










HUGONIS GROTII

ANNOTATIONES

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

DENUO EMENDATIUS EDITAE.

VOLUMEN VIII.

CONTINENS ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAS CATHOLICAS

ET

IOHANNIS APOCALYPSIN.

GRONINGAE,

Ex officina W. ZUIDEMA, Bibliopolae.

MDCCCXXX.

ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM IACOBI.

Ἡ τοῦ ἁγίου Ἰακώβου ἐπιστολὴ καθολική, beati Iacobi Epistola catholica] Id est, *ἐγκύκλιος* [*circularis*], non uni Ecclesiae destinata, ut illae Pauli, sed multis exemplis missa in plures locos, ut inde et alia fierent exempla et alio mitterentur.

CAPUT I.

1. *Ἰάκωβος Θεοῦ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, Iacobus Dei et Domini Iesu Christi servus*] Non dicit *Apostolus*, ut solent Paulus et Petrus, qui id non sine causa fecere. Magnam enim auctoritatem addebat illis, quod a Christo ipso in locum qui supra omnes in Ecclesia emineret essent electi. Iacobum hunc Syrus, qui inscriptionem fecit ad has et sequentes Epistolas, putat fuisse Zebedaidem. At id minus credibile est, quia is, ut Act. 12 discimus, prius ab Herode fuit interfectus,

 quam

quam se multum extra Iudaeam promoveret Euangelii sermo. At nec Iacobum hunc esse Alphaei mihi fit probabile: adscripsisset enim et is *Apostoli* nomen. Est ergo is, qui ab Apostolis constitutus fuit Princeps presbyterii Hierosolymitani, ut Apostolis huc illuc, ut fiebat, excurrentibus, haberet coetus ille virum egregium et cui ob eximias virtutes δικαίου [*iusti*] nomen adhaesit, a quo regeretur. Eum Iacobum multi credidere *Apostolum* dici Gal. 1: 19. Sed minime id inde sequi ex eo loco ostendimus. Sed non fuisse Apostolum aperte indicant citati ab Eusebio libro II Hegesippus et Clemens Alexandrinus libro Ὑποτυπώσεων [*Institutionum*]. His adstipulatur Epistola ad Heronem inter Ignatianas, Cyrillus Hierosolymitanus, et Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis et ad Galatas et in Acta, itemque in priorem ad Corinthios et ad Galatas Chrysostomus. Idem est in Constitutionibus quae dicuntur Clementis Romani, libro perantiquo, II. 59, VIII in fine. Et sequitur hanc sententiam Eusebius I. 12. Dictus autem hic Iacobus *frater Domini*, quod filius esset Iosephi τοῦ τέκτονος [*fabri lignarii*] ex priore uxore, ut quidem sentiunt Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, et alii quidam. Sunt qui alio modo propinquum eum κατὰ σάρκα [*secundum carnem*] Christo fuisse sentiunt. Sunt qui dubitant, haecne sententia, an illa sit verior. Δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ vocantur non Apostoli soli, sed et fideles omnes, Act. 2: 18. Maxime vero qui in loco eminente sunt positi, Phil. 1: 1.

Ταῖς δώδεκα φυλαῖς, ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione] Id est, gente Israelitis qui erant extra Iudaeam. Omnis enim locus extra Iudaeam est Hebraice גולה, Graecis διασπορὰ, Deut. 30: 4, Neh. 1: 9, Ps. 47: 2. Syrus hic *sparsis inter gentes*. In eodem sensu usurpatur verbum זרה et vertitur διασπείρειν Lev. 26: 33, Ps. 44: 12, Ier. 15: 7, 49: 35, Ezech. 12: 14, 15, 20: 23, 22: 15. Τὰς τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ εὐχὰς [*preces eorum qui sunt in dispersione*] habes apud Iustinum Colloquio cum Tryphone. Ταῖς δώδεκα φυλαῖς sic dicitur, quomodo τὸ δωδεκάφυλον Act. 26: 7. Nimirum quia duodecim filii fuere Iacobo, Gen. 35: 22, et duae tribus Ephraimi et Manassis, quanquam duplam sortem

tem cepero, tamen ex una erant stirpe: hinc sacer semper Hebraeis numerus duodenarius, Exod. 15: 27, 24: 4, 29: 12, 39: 14, Lev. 24: 5 et alibi saepe. Sunt in hac Epistola quaedam monita omnibus Israelitis communia, quaedam proprie pertinentia ad eos qui iam in Christum crediderant.

Χαίρειν, salutem] Mos salutandi, Act. 15: 23, 23: 25, 2 Ioh. 2. Sic שלמא [*pax*] Esdr. 5: 7.

2. *Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, ἀδελφοί μου, summum gaudium existimate, fratres mei*] Πᾶσαν χαρὰν, id est, *materiam summi gaudii*, nempe spiritualis. Nam et causa pro effectu nominari solet, et *πᾶσα* dici pro eo quod *summum* est, ut 1 Tim. 1: 15. De tali gaudio vide quae dicta Hebr. 10: 34, Act. 5: 41 et alibi. Adde Iob. 5: 16, ubi in Graeco: *Νουθέτημα δὲ Παντοκράτορος μὴ ἀπαναίνου* [*Castigationem Omnipotentis ne reprobes*]. Est et in libro Musar: *Gaude in castigationibus.*

Ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις, cum tentationibus variis circumveniamini] Περιπίπτειν est sono neutrum, sensu passivum, et significat *circumveniri*, Luc. 10: 30, 2 Sam. 1: 6. Variae *tentationes* נסיונות sunt quales exsilii, confiscationis, odii, quibus subiacere solent pii, Sir. 2: 1, 1 Petr. 1: 6, 2 Petr. 2: 9. Putem hanc Epistolam scriptam tempore Edicti illius Claudiani, cuius mentio Act. 18: 2, quo tempore Iudaei, et in illis Christiani, Roma et ad id exemplum ex aliis magnis urbibus eiecti sunt, ut Iohannes ex Epheso, ut diximus in nostro ad loca quaedam Apocalypseos Commentario.

3. *Γινώσκοντες ὅτι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν, scientes explorationem fidei vestrae tolerantiam efficere*] Δοκίμιον est *id per quod fit exploratio.* Utitur sic Plato loquens de venulis per quas sapores diiudicamus, Rabbini dicunt בחינה. Itaque aliter hic sumitur *δοκίμιον* quam *δοκιμὴ* [*exploratio*] Rom. 5: 4, ubi dicta vide. Efficit *ὑπομονήν*, id est, firmiorem in nobis *ἕξιν* [*habitum*] producit tolerantiae.

4. *Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω, tolerantia autem opus perfectum habeat*] Talis sit animus ut nec recalcitret nec concidat, sed plane se subiiciat Divinae voluntati.

Ἵνα ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, ut sitis perfecti et integri] Vox una Hebraea שלם modo per τέλειον, modo per ὁλόκληρον vertitur, ut videre est Deut. 27: 6, Ios. 8: 31, 1 Reg. 8: 62, 11: 4, 15: 3, 14, 1 Par. 28: 9, Ier. 13: 19. Possunt alioqui ista distingui, ut τέλειον (Rabbinis גמיר, qua voce et hic Syrus utitur) sit *quod labe caret*, ὁλόκληρον *quod omnes suas habet partes.*

Ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, in nulla re deficientes] *Λειπόμενοι* חסרין hic vertit Syrus. Dicitur חסר *qui aliqua in re minus habet quam oportet.* Pari sensu λείπεσθαι habemus bis infra, hîc iam mox et 11: 15.

5. *Εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας*] *Si sentiat* [*autem vestrûm quis*] *se non satis habere prudentiae*, ad diiudicandum quid in singulis circumstantiis agendum sit.

Αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ πᾶσιν ἁπλῶς καὶ οὐκ ὀνειδίζοντος, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non exprobat] Clarius in Manuscripto παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ διδόντος. Sed parum id refert. *Deus omnibus* (nempe pie petentibus) *dat liberaliter*, aut, ut Latinus recte hic vertit, *affluenter* (id enim est ἁπλῶς, ut videre est Rom. 12: 8, 2 Cor. 8: 2, 9: 13): *et non dat superbe*, ut qui verbis aut vultu imputant ac velut *exprobant* data, qualia *panem lapidosum* vocat Seneca. Pro ἁπλῶς Syrus hic habet פשיטאית, id est, *effuse*. Pro ὀνειδίζοντος מחסד [*exprobrantis*].

Καὶ δοθήσεται αὐτῷ, et dabitur ei] Secundum conditiones quas exposuimus Matth. 18: 19.

6. *Αἰτείτω δὲ ἐν πίστει, postulet autem cum fide*] Cum fiducia impetrandi.

Μηδὲν διακρινόμενος] לא מתפלג, *nihil addubitans* aut de potentia Dei aut de voluntate. *Διακρίνεσθαι*, esse quod Chaldaei dicunt הרהר, Rabbini פקפק, alii ἐνδοιάζειν [*haesitare*] et διστάζειν [*dubitare*] et ἐπαμφοτερίζεσθαι [*alternari*], diximus ad Matth. 14: 31, 21: 21, Marc. 11: 23, Act. 10: 20, Rom. 4: 20. Vide et infra 11: 4, ubi vox eadem quae hic. Hermas II, 9: *Iterum dixit mihi, Tolle a te dubitationem, et nihil omnino dubites petens aliquid a Domino*, etc.

Ὁ γὰρ διακρινόμενος ἔοικε κλύδωνι θαλάσσης ἀνεμιζομένῳ καὶ ῥιπιζομένῳ, qui enim haesitut, similis est undae maris,

ris, quae a vento movetur et circumfertur] Sicut marina unda a ventis impellitur et nunc huc nunc illuc iactatur, ita ipsius animus modo sperat, modo spem abiicit. In Glossario *ἀνεμίζω, ventilo:* ibidem, *ῥιπίζω, flabello.* Philo de Mundo: *Πρὸς ἀνέμου ῥιπίζεται τὸ ὕδωρ* [*Iactatur a vento mare*]. Rabbini dicerent נשגש, Esaias סער, 54: 11. Ier. 22: 14 מרוח ab Interpretibus nonnullis vertitur *ῥιπίζω. Κλύδων, gurges, unda* in Glossario, גל Hebraeis. Par similitudo Esai. 57: 20, *ut mare impulsum*, ubi Graeci, *κλυδωνισθήσονται.*

7. *Μὴ γὰρ οἰέσθω ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, neque enim cogitet homo ille*] Talis aliquis. *Μὴ οἰέσθω* לא יסבר.

Ὅτι λήψεταί τι παρὰ τοῦ Κυρίου, se obtenturum aliquid a Domino] Eorum quae petit. *Παρὰ τοῦ Κυρίου, a Christo*, id est, per Christum, qui preces nostras Deo commendat. *Λαμβάνειν* hic est *obtinere*, נסב Rabbinis.

8. *Ἀνὴρ δίψυχος, vir duplici animo*] Id est, *διχάζων* [*dubitans*], ut iam diximus. Habes hoc nomen et infra 4: 8. Habet et in Physiognomonicis Adamantius. Dicuntur autem *duplici* esse *animo*, qui

— *διάνδιχα θυμὸν ἔχουσι,*
[— *dubiosa mente vacillant*];

aut quibus

— *δίχα θυμὸς ὀρώρεται,*
[— *animus per utrumque movetur*],

ut Homerus loquitur.

Ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ] *Fluctuans in omnibus suis actibus.* Nam *actus ὁδοὺς* [*vias*] dicere mos est Hebraeorum. Qui fide vacillat, is necesse est actiones edat varias atque inter se multum discrepantes. Haec est illa *assidua mutatio propositi*, et *nusquam residentis animi volutatio*, ac *vita pendens*, ut Seneca libro de Tranquillitate loquitur. Idem de Vita beata: *Turbo quidam animos nostros rotat et involvit fugientes petentesque eadem, et nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit.* Et de Otio: *Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus, petita relinquimus, relicta repetimus.* Epistola XX: *Vitium est haec diversitas, et signum vacillantis animi, ut nondum habentis tenorem suum.*

9. *Καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ, glorietur autem frater humilis ob sublimitatem suam*] *Καυχάσθω*, id est, *ἀγαλλιάσθω*, *laetetur*, ut alibi exposuimus: *ὁ ταπεινὸς qui abiectae est sortis.* Vertitur sic Hebraeum עני Ps. 82: 3, Prov. 3. 34, Esai. 11: 4, 14: 32, 32: 7, 49: 13, 54: 11, 66: 2, Ier. 22 16, Amos. 2: 7, Soph. 2: 3. Vide Luc. 1: 48. *Ob sublimitatem suam* ברומוהי, id est, ob honorem in eo positum quod Dei filius censetur.

10. *Ὁ δὲ πλούσιος ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, dives autem ob humilitatem suam*] Supple *ταπεινούσθω* [*submissus sit*], quod partim ex contrario praecedente (sicut 1 Tim. 4: 3 et alibi), partim ex nomine sequente satis intelligitur. Dives submissum gerat animum, considerans suam vilitatem, id est, sortis suae instabilitatem. Idem sensus 1 Tim. 6: 17.

Ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται, quoniam sicut herbae viror transibit] *Χόρτος* Hebraeis est omnis *herba* עשב, ut diximus Gen. 1: 11, *ἄνθος* vero *viror*. Eadem similitudo Ps. 37: 2, Esai. 40: 6 et 7, 1 Petr. 1: 24. Neq multum dissidet illa quae est Sir. 14: 17. *Παρελεύσεται* יעבר.

11. *Ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι, καὶ ἐξήρανε τὸν χόρτον, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο, oritur enim sol cum aestu, et arefacit herbam, et viror eius decidit, et decor vultus eius abiit*] Sunt *ἀόριστοι* [*aoristi*] pro praesenti aut quovis tempore. Et praeterea Hebraismus, *Sol oritur et arefacit*, pro *Sol, ubi ortus est, arefecit.* Solebat solis ortum comitari ventus qui *καύσων* dicitur Ion. 4: 8, ubi est רוח, in Graeco *ἀνατείλας*. Est autem *καύσωνος* proprium *ξηραίνειν*, ut vides Ezech. 17: 10, ut et solis, Matth. 13. 6. *Ἐξέπεσε*, נפל Syrus, id est, *abiit*. *Ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου* more Hebraeorum, qui cuiusvis rei quod in adspectum venit vocant פנים [*vultus*]. Syrus hic habet שופרא דחזוה [*decor adspectus illius*], id est, id quod adspectu erat pulchrum.

Οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται, ita et dives in processibus suis marcesset] Futurum pro potentiali. Si diu *procedit*, nempe vivendo, facile *marcescet*, id est, opibus suis destituetur. Persequitur com-

pa-

parationem. Nam *μαραίνεσθαι* dicuntur proprie quae vigorem speciemve floridam amittunt, נבל Hebraice. *Ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ*, בהלכותיו. Conferendus cum hoc loco ille Philonis libro de Sacrificantibus: *Ἔσω δὴ, φησὶ, μόνος Θεὸς αὔχημά σου καὶ μέγισον κλέος, καὶ μήτ᾽ ἐπὶ πλούτῳ, μήτ᾽ ἐπὶ δόξῃ, μήθ᾽ ἡγεμονίᾳ, μήτε σώματος εὐμορφίᾳ, μήτε ῥώμῃ, ἢ τοῖς παραπλησίοις, ἐφ᾽ οἷς εἰώθασιν οἱ κενοὶ φρενῶν ἐπαίρεσθαι, σεμνυνθῇς· λογισάμενος, ὅτι πρῶτον μὲν ἀμέτοχα ταῦτ᾽ ἐςὶ τῆς ἀγαθοῦ φύσεως· ἔπειτα δὲ, ὅτι καὶ ὀξεῖαν ἔχει τὴν μεταβολὴν, μαραινόμενα τρόπον τινὰ πρὶν ἀνθῆσαι βεβαίως* [*Solo, inquit, Deo gloriare. Hic tibi honore esto maximus. Nec tu tibi ob divitias, neque ob honores, neque adeo ob principatum place: nec te forma aut robur efferat, eorumve quid, quae amentibus fere cristas addunt. Primum enim hoc cogita, haec ad bonorum naturam non pertinere: deinde momento mutari saepe, et priusquam effloruerunt quodammodo marcescere*].

12. *Μακάριος ἀνὴρ ὃς ὑπομένει πειρασμὸν, beatus vir qui suffert tentationem*] Id est, *qui adversis exploratur*. Nam *ὑπομένειν* hic sumendum, ut Hebr. 12: 7. Ostendunt id sequentia. Videtur respici locus Iob. 5: 17, ubi est, *Μακάριος ὁ ἄνθρωπος ὃν ἐλέγξει ὁ Κύριος* [*Beatus homo quem corripit Dominus*]. Et hoc loco Manuscriptus habet non *ἀνὴρ*, sed *ἄνθρωπος*.

Ὅτι δόκιμος γενόμενος, quoniam cum probatus fuerit] *Cum factus sit* (id est, apparuerit) *probus* sive *constans*. טהור 2 Par. 9: 17. Vide Rom. 14: 18, 16: 10, 1 Cor. 11: 19, 2 Cor. 10: 18, 13: 7, 2 Tim. 2: 15.

Λήψεται σέφανον τῆς ζωῆς, accipiet coronam vitae] Pro *σέφανον* in Arabico est تاج, quod Chaldaei efferunt תגא; proprie est *corona regni*. Sic habet Paraphrastes Esth. 1: 11, 2: 17, Cant. 5: 7. Vocatur autem *corona vitae*, quia datur in vita illa aeterna, sicut Apoc. 2: 10. Hic est sensus mysticus eius quod sequitur apud Iobum 5: 19.

Ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, quam promisit Dominus ipsum diligentibus] Atque ideo dicitur *τῆς δικαιοσύνης σέφανος* [*corona iustitiae*], 2 Tim. 4: 8. Vide Luc. 22: 29. In Manuscripto non est *ὁ Κύριος*. Itaque subauditur *Θεὸς* [*Deus*], ut Hebr. 13: 15 et alibi. Nec aliter hic legerunt et acceperunt Syrus et Latinus.

13. *Μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ πειράζομαι, nemo cum tentatur dicat, a Deo tentor*] Nemo vestrum, ubi in mala incidit, putet a Deo ea sic dirigi, ut per ea vestrum aliquis in peccatum impellatur, *πρὸς τὸ τίκτειν ἁμαρτίαν* [*ad pariendum peccatum*], ut mox sequitur, quasi Deus inevitabiles nobis ad peccandum iniiciat necessitates. Hoc ideo dicit ne multis malis pressi succumberent. Cohaeret enim haec adhortatio cum iis quae sequuntur infra 16, 17. Plane idem huius loci sensus est qui 1 Cor. 10: 13. Non ideo adversa vobis immittit Deus, ut vos peiores faciat, sed ut meliores. Ne despondete animum. Deus bene volentibus aderit. Nota *ἀπὸ* pro *παρὰ*, quod et alibi observavimus. Tertulliano, de Oratione, *Diabolus tentat, Deus probat.* Hinc Diabolus vocatur *ὁ πειράζων* [*Tentator*] Matth. 4: 3.

Ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραςός ἐςι κακῶν, Deus enim non potest tentari malis] Sicut ipse ad actiones pravas seduci nequit. Frequentius apud Graecos est *ἀπείρατος*. Sed nec alterum illud contra *ἀναλογίαν* [*normam vulgarem*] est. Et in Glossario reperio *ἀπείραςος, intentabilis.*

Πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα, et ipse neminem tentat] Sic nec ipse amat alios seducere. Qualis ipse est, tales ut sint homines optat.

14. *Ἕκαςος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας, sed a sua quisque tentatur concupiscentia*] מיצר הרע [*ex inclinatione prava*], ut loquuntur Hebraei. Si per adversa a Deo abducimur, non Deus in causa est, sed quod bona huius vitae, vitamque hanc ipsam plus amamus quam fieri oporteret. Hanc *ἐπιθυμίαν* significabat Eva, ut et in Allegoriis et alibi explicat Philo.

Ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος, abductus et pertractus] *Ἐξελκόμενος* מוציא, ita ut abducatur a recto; *δελεαζόμενος*, ita ut pertrahatur ad mala scilicet, ut pisces esca. Frequens similitudo. Sic Graeci scriptores optimi dicunt *γαςρὶ* et *λόγοις δελεάζεσθαι* [*ventre* et *verbis illici*]. In Glossario, *δελεάζω, illecebro, pellicio, allicio, illicio.* In Syriaco ומתנגד מתרגג.

15. *Εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν, deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*] *Συλλαβοῦσα τίκτει* תהר ותלד [*concepit et peperit*]. Primus Evae par-

partus Cain. Homo terrestria cogitans per Adamum figuratus, et adhaerens ei cupiditas per Evam significata, per se (id est, nullo Dei Spiritu sublimiore interveniente) quid producere de se potest nisi pravum? Philo in Allegoriis: Ἀφροσύνη δέ ἐςι κύριον ὄνομα ὠδίνουσα, ὅτι ὁ ἄφρων νοῦς ἀνεπιείκτων ἔργων ἑκάςοτε ἐν ὠδινήσει ἐςίν. Ὅταν χρημάτων ἐρᾷ ὠδίνει, ὅτε δόξης, ὅτε ἡδονῆς, ὅτε ἄλλου τινός [*Est enim proprium imprudentiae nomen parturiens, quoniam imprudens mens illicita plerumque parturit. Cum pecunias amat parturit, cum gloriam, cum voluptatem, cum id genus alia concupiscit*]. Et postea: Τῆς γὰρ κακίας ἡ μὲν ἐν σχέσει θεωρεῖται· ἡ δὲ ἐν κινήσει θεωρεῖται. Νεύει γὰρ πρὸς τὰς τῶν ἀποτελεσμάτων ἐκπληρώσεις, ἡ ἐν τῷ κινεῖσθαι [*Pravitas altera in habitu est, altera in motu. Laborat enim ut operis aliquid efficiat, quae in motu est*], etc. Plotinus citatus Theodoreto libro VI contra Graecos: Ὀλίγη κατ' ἀρχὰς τροπὴ γενομένη προϊοῦσα αὐτὴ πλεῖον καὶ μεῖζον τὸ ἁμαρτανόμενον ἀεὶ ποιεῖ· καὶ σῶμα δὲ συνέςη καὶ ἐξ ἀνάγκης ἐπιθυμία [*Qui vel paululum initio deflectat, is, quo pergit longius, eo aberrabit magis. Corpus porro ubi exstitit, necessario exstitit et concupiscentia*].

Ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον, *peccatum vero cum adultum fuerit, parit mortem*] Ἀποκύει הוליד. Eva non peperisset morituros, nisi Adam actu ipso peccasset. Sic et nos non damnabit morti affectus, si abortiat, sed ita demum si deliberatas easque malas actiones pariat. Non mori tantum, sed et in morte manere poena est peccati, id est, exitus vitae non Christianae, 1 Cor. 15: 55, 56. Ἀποκύω vel ἀποκυέω vox est bene Graeca, quam et mox habebimus c. 18. Utitur Plutarchus aliquoties. In Glossario, ἀποκυήσασα, *enixa*: ἀποκύω, *enitor*.

16. Μὴ πλανᾶσθε, *nolite errare*] Mos loquendi ubi falsas opiniones, quae aut irrepsere in quorundam animos, aut irrepere possent, amoliri volumus. Sic 1 Cor. 6: 9, 15: 33, Gal. 6: 7, 1 Ioh. 3: 7.

Ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, *fratres mei dilecti*] Benigna allocutio, qualis et 1 Cor. 15: 58, Eph. 6: 21, Col. 4: 9, 14, Philem. 16. Sic et infra 19 et 2: 5. Hoc vult,

Ne

Ne putate vestrum studium sufficere sine precibus, ut Iudaei non pauci existimant. Precibus opus est, et quidem indefessis. Vide Luc. 18: 1. *Ἀγαπητοί* Syrus vertit חביבא, quod illa lingua blandum admodum vocabulum est.

17. *Πᾶσα δόσις ἀγαθή*] *Largitio vere bona*, id est, quae nos bonos faciat, Matth. 7: 11. *Datum* pro Graeco *δόσις* etiam Cicero et Seneca usurpant.

Καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, et omne donum perfectum] Id est, quod nos *perficiat*, sive perducat ad vitam aeternam. Sic *τελειοῦσθαι* habemus Hebr. 2: 10, 11: 40.

Ἄνωθέν ἐστι, desursum est] Vide Ioh. 3: 31, 9: 11. Sic et infra 3: 15, 17. Philo de Confusis linguis: *Καὶ μὴν σφαλλομένων γε τῶν καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς περί τε νοῦν καὶ αἴσθησιν κριτηρίων, ἀνάγκη τακόλουθον ὁμολογεῖν, ὅτι ὁ Θεὸς τῷ μὲν τὰς ἐννοίας, τῇ δὲ τὰς ἀντιλήψεις ἐπομβρεῖ· καὶ ἔστιν οὐ τῶν καθ' ἡμᾶς μερῶν χάρις τὰ γινόμενα, ἀλλὰ τοῦ, δι' οὗ καὶ ἡμεῖς γεγόναμεν, δωρεαὶ πᾶσαι* [*Cum nos de iis, quae aut sensu aut mente percipimus non recte iudicemus; negari non potest, quin et menti hoc ipsum ut intelligat, sensui ut sentiat, largiatur Deus: nec si quid ex hisce commodi capimus id corpori animove nostro, sed ei, qui et nos quoque condidit, Deo acceptum ferendum sit*].

Καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, descendens a Patre illuminationum] Par locutio cum illa Hebr. 12: 9, *τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων* [*Patri Spirituum*]. Deus sicut *spirituum* sive *donorum spiritualium auctor*, ita specialiter etiam illarum *illuminationum* quae rectius אורים dicuntur, quam fulgores illi in pectorali summi Sacerdotis. *Pater* Hebraeis auctor rei, Gen. 4: 19, 20. *Καταβαίνειν* ירד dicitur quod a Deo venit, Ioh. 1: 33.

Παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, apud quem non est transmutatio nec abscessus umbra] Omnes hae voces sunt Astronomicae. Nam Deus soli comparatur, ostenditurque multo eius lux solis perfectior. Sol *παραλλαγὰς* sive *παραλλάξεις* habet, ut et Plato dicit in Timaeo, aliter conspicitur in ortu, aliter in meridie, aliter in occasu. Praeterea habet *τροπὰς*, *annuos a nobis abscessus*, quos *solstitia* dicimus, Graeci *τροπὰς*, Avienus vertit *pulsus*. Pro iis abscessibus alias nobis *umbras* iacit, quod est *ἀποσκιάζειν*. Et pro *ἀποσκίασμα*

vo-

vocem quae *umbram* significat posuere hic Syrus et Arabs. Deus non oritur, nec occidit, nec abscedit: sed semper propinquus est se invocantibus. Easdem luces iacit sine umbrae mixtura. Mal. 3: 6, *Ἐγὼ Κύριος οὐκ ἠλλοίωμαι* [*Ego Dominus non mutor*].

18. *Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, quia voluit genuit nos verbo veritatis*] Deus olim Israelitas *genuisse* dicitur cum eos ex Aegypto liberavit, Deut. 32: 18. At nunc multo excellentius eos *genuit* ad vitam aeternam per Euangelium, 1 Petr. 1: 23, idque *ideo quia voluit* nullis nostris operibus ad id excitatus, Eph. 1: 4, 5. ברצונו [*sua voluntate*].

Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων, ut simus primitiae aliquae creaturarum eius] ראשית דרכו [*initium viae eius*]. *Κτισμάτων* intellige *καινῶν* sive *νεῶν* [*novarum*] quod non semper exprimitur, sed ex rei natura intelligitur, ut Eph. 2: 10, 3: 9. *Ἀπαρχαὶ* dicuntur qui ante alios vocati sunt, Rom. 16: 5, 1 Cor. 16: 15. Ideo Iudaeis id nomen tribuitur Rom. 11: 16, qui etiam dicuntur *προηλπικότες* [*qui ante speraverunt*] Eph. 1: 12, *electi ἀπ' ἀρχῆς* [*a principio*] 2 Thess. 2: 13.

19. *Ὥςε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, itaque fratres mei dilecti*] Cum in id tendant adversa, quae nobis immittuntur, ut fiamus meliores, ut dictum supra 4, ac praeterea Deus nos tanta vocatione dignatus sit, ut iamiam dictum. Pro *ὥςε* Manuscriptus habet *ἴςε* [*scitote*], et sic legit Latinus.

Ἔςω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum] Ideo Philosophi aiunt nobis datas aures duas, linguam unam: et aures patulas, linguam septo dentium obvallatam. At multi sunt quibus dici potest Sophocleum illud:

Βούλει λέγειν τι καὶ λέγων μηδὲν κλύειν.

[*Hac lege loqueris, audias contra ut nihil.*]

Vide Prov. 10: 19 et 13: 3 et 17: 28.

Βραδὺς εἰς ὀργὴν, tardus ad iram] ארך רוח vel ארך אפים.

20. *Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ οὐ κατεργάζεται, ira enim viri iustitiam Dei non operatur*] Si quis cito et saepe irasci assuescat, is iustitiam Dei (id est, inter-

nam

nam quam Deus requirit) non adipiscetur, aut si adeptus est, amittet. De iustitia illa Dei sive interna vide Matth. 5: 20, Rom. 3: 21, 22, 10: 3, 2 Cor. 5: 21.

21. *Διὸ, propter quod*] Hoc quoque refer ad ea ad quae referunt illa supra 19.

Ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥυπαρίαν, abiicientes omnes sordes] Ῥύπος et *ῥυπαρία sordes* significat, interpretante Glossario. Et solet de corporis sordibus dici, 1 Petr. 3: 21, inde ad animum transfertur: significatque omne id quo inquinatur animus, ut videre est Esai. 4: 4. Etiam Iob. 14: 4 טמא vertitur *ῥύπος* [*sordes*]. Syrus hic habet טנפותא a verbo טנף Syriaco quod *inquinare* significat, et reperitur etiam Cant. 5: 4.

Καὶ περισσείαν κακίας, et abundantiam malitiae] Videtur exprimere voluisse vim vocis Hebraeae ערלה quae proprie *praeputium* significat, sed transfertur ad omnia ea quae ut inutilia reiici debent. In Manuscripto est *περίσσευμα*.

Ἐν πραότητι δέξασθε, cum mansuetudine suscipite] Ἐν *πραότητι* hic est *animo docili:* quomodo *πραότης* sumi videtur et Ps. 45: 5.

Τὸν ἔμφυτον λόγον] *Verbum illud quod* Apostolorum opera vestris animis *inseritur.* Quod Latini *insitionem* vocant, id Theophrastus Graecique alii *ἐμφυτείαν.* In Glossario, *ἔμφυτον, insitum.* Vide Matth. 13: 3 et ibi dicta, et 1 Cor. 3: 6. Syrus hic נציבא, id est, *plantatum*, bene.

Τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν, quod potest salvare animas vestras] Est enim Euangelium *potentia Dei ad salutem*, Rom. 1: 16.

22. *Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου, καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, estote autem factores verbi, nec tantum auditores*] Par admonitio ei quae est apud Matthaeum 7: 21, 24, 26, ubi dicta vide. Rabbini dicunt duas esse coronas, alteram שמיעה *auditionis*, alteram מעשה *operis*. Vide Exod. 19: 5. Et Hebraei de pio, *Discit ut faciat.*

Παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς, fallentes vosmetipsos] Qui tantum audiendo verbum Dei et profitendo Christianos se esse sine factis piis servari se posse sperant, *semet fallunt. Παραλογίζεσθαι* pro *πλανᾷν* [*seducere*] habemus et

Col.

Col. 2: 4, Iud. 16: 13, Gen. 29: 25 et alibi. Sic ἑαυτοὺς πλανῶμεν, 1 Ioh. 1: 8.

23. Ὅτι εἴ τις ἀκροατὴς λόγου ἐςὶ καὶ οὐ ποιητὴς, οὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἐν ἐσόπτρῳ, *quia si quis auditor est verbi nec factor, hic similis est viro faciem nativam videnti in speculo*] Ὅτι deest in Manuscripto, ut et apud Syrum. *Ἔοικε similis est*, דמא Syro. *Κατανοεῖν* hic est *conspicere*. Respondet Hebraeo נבט et ראה, et Syriaco חזא. Sic et Matth. 7: 3, Luc. 6: 41, Act. 7: 31, 32, 11: 6, 27: 39. *Γένεσις* vero hic et infra 3: 6, ut et Sap. 1: 14 et 14: 27, id quod alicui *naturale* est significat. *Τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως* Proclus dixit τὸ ἀρχέτυπον [*archetypum*]. Perinde est atque suam ipse faciem videret, quia ei plane respondet id quod est in speculo. Sic dicimus:

Nuper me in litore vidi.

24. *Κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν καὶ ἀπελήλυθε, vidit enim se et abiit*] Mulieres solent diu inhaerere speculo, ut ad id se forment: viri vix conspecto speculo solent abire, nec curare quales sint.

Καὶ εὐθέως ἐπελάθετο ὁποῖος ἦν, et statim oblitus est qualis sit] Facile enim obliviscimur quae non multum curamus. *Εὐθέως in momento* vertit Arabs.

25. *Ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας καὶ παραμείνας, qui autem inspectaverit in legem perfectam libertatis et inhaeserit*] *Νόμον τέλειον* vocat Euangelium comparatum Legi Mosis minus perfectae: Hebr. 7: 19, 2 Cor. 3: 6. Id ipsum Euangelium comparat speculo. Et bene, ostendit enim nobis nos quales sumus. Sed non satis est *παρακύπτειν*, id est, *quovis modo inspectare* (ita enim id verbum sumitur 1 Petr. 1: 12 et Ps. 33: 14, et Syrus hic recte posuit דיק, quanquam proprie de iis dicitur qui *per fenestram prospectant*, ut Gen. 26: 8, 1 Par. 15: 29, Prov. 7: 6, Cant. 2: 9): *inhaerendum* est, sicut foeminae faciunt, quae ad singulos capillos bene ponendos de speculo consilium sumunt.

Οὗτος οὐκ ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς γενόμενος, hic non auditor oblivionis factus est] *Auditor oblivionis*, locutione Hebraea, id est, *obliviosus*. *Ἐπιλησμονῆς* voce usus est Cratinus, teste Scholiaste ad Nubes Aristophanis et Suida.

Ἀλ-

Ἀλλὰ ποιητὴς ἔργου, sed effector operis] Singulare pro plurali. Effector eorum operum, quae Euangelica Lex exigit.

Οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔςαι, hic beatus ob actionem suam erit] Est pulchra ἀναφορὰ [*repetitio*] in pronomine οὗτος. Ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ hic valet *ob actionem*, id est actiones, *ipsius*. Sic περὶ τῆς ποιήσεως Exod. 32: 34. Quo loco in aliis nonnullis מעשה vertitur ποιήσεις.

26. *Εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι ἐν ὑμῖν, si quis autem inter vos existimat se religiosum esse*] Frequentius est θρησκευτὴς, quod in Glossario exponitur *religiosus*. Sed θρῆσκος etiam Hesychius alibi reperit. Syrus et Arabs vertunt *ministrans Deo*: et δοκεῖ, סבר Syro: *existimat*.

Μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ, non refraenans linguam suam] Saepe reprehendit maledicentiam, quod videret id vitium late regnare apud Hebraeos. Et frequens in hac re comparatio a fraeno desumpta. Nam sic ἀχαλίνων ςομάτων τέλος δυςυχίαν [*finem effraenati oris miseriam*] dixit Euripides. Talis et Ps. 39: 2. Graeci dicunt γλώσσης κρατεῖν [*temperare linguam*].

Ἀλλ' ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ, sed seducens cor suum] Locutio Hebraea ut videre est Iob. 31: 27. *Lactat se vana spe.* Syrus מטעא לה לבה, *seducit sibi cor suum.*

Τούτου μάταιος ἡ θρησκεία, huius vana est religio] Nihil illi proderit talis imaginaria religio. *Μάταιον quod effectu caret*, 1 Cor. 15: 17, Tit. 3: 9. *Θρησκεία* פרחקא Syro, Arabi طاعة. Et dicitur hic θρησκεία voce ista generali, ut et bonam et malam religionem comprehendat. Vide Sap. 14: 18, 27. Apparet id ex sequentibus. Dictum maxime hoc saeculo cogitandum.

27. *Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος*] *Religio vera et non adulterina.* Similitudo sumpta a gemmis, in quibus requiritur ut et sincerae sint et non ulceratae. In Manuscripto connectitur hoc non male cum praecedentibus, hoc modo, θρησκεία γάρ [*religio enim*]. Et sic legit Syrus. *Καθαρὰ* זכא, quomodo et hic Arabs. *Ἀμίαντος*, קדישא *sancta* Syro, Arabi טהרה *pura.*

Παρὰ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, apud Deum et Patrem] Id est, ex existimatione Dei, qui et Pater est noster. *Καὶ* hic ponitur ut 2 Cor. 1: 3, Eph. 1: 3, 4: 6, 5: 20, Phil. 4: 20, Col. 1: 3, 2: 2, 1 Thess. 1: 3, 3: 11, 2 Thess. 2: 16.

Αὐ-

Αὕτη ἐςὶν, ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν., haec est, visitare pupillos et viduas in aerumna eorum] Ex specie genus intelligitur, ut Matth. 25: 35. Sic, *ius dicite pupillo, defendite viduam*, apud Esaiam 1: 16. Religio vera fidem quidem requirit, sed perficitur duabus maxime rebus, beneficentia et vitae puritate. *Ἐπισκέπτεσθαι* hic sumitur ut Matth. 25: 36, 43. מסער Syrus hic. *Ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, in angustiis earum* vertit Arabs.

Ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου, immaculatum se custodire a mundo] Id est, a malis mundi exemplis. Vide Ioh. 17: 14, 1 Ioh. 2: 15, 5: 19. *Ἄσπιλον* habuimus et 1 Tim. 6: 14 et 2 Petr. 3: 14. Hebraice vertere liceat ך. Syrus hic לא משלא *sine macula*. Idem *τηρεῖν* bene vertit למסער *custodire*.

CAPUT II.

1. *Ἀδελφοί μου, fratres mei*] Ut supra 1: 2, 16.

Μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίςιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ τῆς δόξης, ne personarum respectu detinete fidem de Domini nostri Iesu Christi gloria] Recte haec construxit Syrus hoc modo, *τὴν πίςιν τῆς δόξης τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰηςοῦ Χριςοῦ.* Et *ἔχετε* idem est quod *κατέχετε* [*detinete*] Rom. 1: 18. Et dicitur *πίςις δόξης* sicut *πίςις Ἰησοῦ Χριςοῦ* Gal. 3: 22, Phil. 3: 9, *πίςις τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* [*fides Filii Dei*] Gal. 2: 20, pro quo alibi *πίςις ἐν Χριςῷ* [*fides in Christum*], ut 1 Tim. 1: 13, 2 Tim. 3: 15. Hoc ergo vult: *Ne fidem illam quam habetis de Christi gloria (sive de Christo in summam claritatem evecto*, nempe propter obedientiam) *detinete velut captivam atque inefficacem, propter respectus illos qualitatum nihil ad rem Christi pertinentium.* Sicut in iudiciis est *προσωποληψία*, ubi alia respicit index quam quae sunt in causae meritis, ut attigimus Matth. 22: 16, ita in Euangelica re *προσωποληψία* est alios aliis praeferre, ob ea quae ad Euangelium nihil pertinent. *Προσωποληψίας* in numero multitudinis haud facile reperias apud elegantiores scrip-

tores Graecos. Sed nostri Scriptores pluralia inusitata saepe faciunt de singularibus usitatis.

2. *Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ, si enim quis introierit in conventum vestrum*] Quanquam usus posterior recepit, ut *synagoga* de coetu Iudaeorum, de coetu vero Christianorum *ecclesia* dicatur, tamen et ἐκκλησίαν saepissime dici de coetu Iudaeorum ostendimus ad Matth. 16: 18, et contra *synagogam* de coetibus Christianis Act. 15: 21. Et ita omnino sumendam hanc vocem ostendunt verba praecedentia. Ἀνὴρ, איש, id est, *aliquis*.

Χρυσοδακτύλιος; aureum annulum habens] Non ineleganter fecit nomen compositum ad instar aliorum, quae in Graeco erant recepta. Annulus aureus non minus apud veteres Hebraeos quam apud alias gentes gestamen honoratorum ac ditiorum, Gen. 38: 18, 25, 41: 42, Esai. 3: 19.

Ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, veste splendida] Vestitus splendide, בגדי החמדת Gen. 27: 15. Vide Luc. 16: 19, Apoc. 15: 6, ubi vox Hebraea חמדת quam hic usurpat Arabs, 18: 14, 19: 8, 22: 1, 16. Menander:

Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον.

[*Superbe qui divitiis utatur suis.*]

Ostendit hunc sensum et sequens oppositio. Syrus λαμπρᾷ vertit שפירא *pulchra*. Arabs eodem sensu.

Εἰσέλθῃ δὲ καὶ πτωχὸς, introierit autem et pauper] Id est, *homo pauper*. Nam sic vox πτωχῶν non raro apud nostros Scriptores sumitur, ut videre est Marc. 12: 41, Luc. 14: 13. Arabi est مسكين, sicut מסכן Eccl. 4: 12. Hinc Italicum *meschino*.

Ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, sordida veste] Veste nec nitida nec elegante, לבוש בגדים צאים, Zach. 3: 3, 4. Sic Cicero ex Caecilio:

Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Virgilius:

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Sic. Zach. 3: 3 et 4 בגדים צואים vertitur ἱμάτια ῥυπαρά [*vestimenta sordida*].

3. *Καὶ ἐπιβλέψητε ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπράν, et suspiciatis eum qui indutus est veste praeclara*]

Ἐπι-

'Επιβλέπειν hoc quidem loco est quod Latini dicunt *suspicere.*

Καὶ εἴπητε αὐτῷ, et dixeritis ei] Vos nempe qui curam habetis rerum istarum, id est, Diaconi. Vide Clementis Constitutiones II. 57, 58. Locus est insignis. In Manuscripto hic deest *αὐτῷ*, ut nimirum quod sequitur *σὺ* [*tu*] sit *δεικτικόν* [*demonstrativum*].

Σὺ κάθου ὧδε καλῶς, tu sede hic bene] Id est, *devore, honorate*, Arabs. In Ecclesia sunt et sui sedilium ordines, sed ex virtutibus, non ex opibus. Tertullianus Apologetico: *Praesident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Sic inter feminas primus locus viduis univiris, proximus virginibus, deinde matronis. Recte vero Iacobus cum intellexisset morem invalescere dandi *προεδρίαν* [*primarium locum*] ex opibus non ex virtutibus, huic malo multa post se mala tracturo occurrit. Etiam in Republica egregium illud sive Sallustii sive alterius, qui C. Caesari dat consilium: *Ergo imprimis auctoritatem pecuniae demito, neque de capite, neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit: neque Praetor neque Consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur.*

Καὶ τῷ πτωχῷ εἴπητε· Σὺ στῆθι ἐκεῖ, pauperi autem dicatis: Tu sta illic] Iuvenes multum stare solebant. Philo de Vita contemplativa: *Οἱ παρεστῶτες νέοι* [*Adstantes iuvenes*]. Clemens Constitutionum dicto loco II. 57: *Οἱ μὲν νεώτεροι ἰδίᾳ καθεζέσθωσαν ἐὰν ᾖ τόπος, εἰ δὲ μή, στηκέτωσαν ὀρθοί* [*Iuniores seorsim sedeant, si sit locus, sin minus, stent erecti*].

Ἢ κάθου ὧδε ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου, aut sede hic sub scabello pedum meorum] *Ad pedes meos*, qui locus discentium. Vide quae diximus Act. 22: 3. Illud *ὧδε hic* abest in Manuscripto.

4. *Καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς*] *Annon discrimen fecistis apud vos ipsos*, id est, ex carnali affectu. Interrogative enim haec legenda, quomodo legit Syrus. *Διακρίνεσθαι* idem quod Activum *διακρίνειν* Act. 11: 2, 15: 9, Iud. 22.

Καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν, et facti estis iudices cogitationum malarum] Genitivus hic est non

 ob-

obiecti, sed attributi. *Iudicatis secundum malas cogitationes.* Praefertis enim caduca duraturis. *Διαλογισμοὺς πονηροὺς* habemus et Matth. 15: 19, *κακοὺς* Marc. 7: 21.

5. *'Ακούσατε*] Id est, *animum attendite*, ut Matth. 11: 15.

'Αδελφοί μου ἀγαπητοί, fratres mei dilecti] Sic 1 Cor. 15: 58, Eph. 6: 21, Col. 4: 7, 9, supra 1: 16, 19.

Οὐχ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου τούτου; nonne Deus elegit pauperes huius mundi] Pauperes plurimos sibi in peculium secrevit. Vide Matth. 20: 16, 1 Thess. 1: 4, et quae dicta ad Eph. 1: 4. Et dixit *πτωχοὺς τοῦ κόσμου, qui mundo videntur pauperes*, ut melius inferret *ἀντίθετον* [*oppositum*] quod sequitur.

Πλουσίους ἐν πίστει, divites fide] Ne quis putaret pauperes omnes esse a Deo tanquam peculium ipsius sepositos, addit, sed *abundantes fide.* Nam ita vocem *πλούτου* et *πλουσίου* vidimus sumi Rom. 2: 4, Eph. 2: 4 et alibi. Tales autem plures semper reperti in pauperum quam in divitum grege, ob causas quas attulimus ad Matth. 5: 3 et 1 Cor. 1: 26.

Καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἧς ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, et heredes regni, quod promisit ipsum diligentibus se] Illud *καὶ* rectius abest in Manuscripto. Et intelligitur *ut essent* heredes, quod supplevit Syrus. Sic post *ἐξελέξατο* sequitur *εἶναι* [*esse*] Eph. 1: 4. Talia autem verba saepe subaudiuntur. Promissum est regnum illud aeternum Deum diligentibus 1 Cor. 2: 9, 2 Tim. 4: 8. Adde Tit. 1: 2.

6. *'Υμεῖς δὲ ἠτιμάσατε τὸν πτωχὸν, vos autem despicatui habuistis pauperem*] *'Αόριστος* [*aoristus*] pro quovis tempore, ut et supra 4. *'Ητιμάσατε, despicatui habuistis*, ut hic Syrus. לועג לרש, *ὁ καταγελῶν πτωχοῦ* [*qui subsannat pauperem*], Prov. 17: 5. בושסכם על־דל [*conculcatis pauperem*], Amos. 5: 11. Confer et Ps. 10.

Οὐχ οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, nonne divites opprimunt vos] Videte, inquit, qui fastus, quae insolentia plerumque divitias comitari soleat, quo eas minoris faciatis. In Manuscripto *ὑμᾶς* constructione *πρὸς τὸ σημαινόμενον* [*ad significationem relata*]. Nam *καταδυναστεύειν* est *opprimere*; ut videre est Sap. 2: 10; 17: 2. Respondet Hebraeo רדה, ut diximus ad Matth. 20: 25, et משל,

ut

ut Prov. 22: 7 ubi eadem quae hic verba, sed et verbis aliis. Divitum mos est imperiose agere adversum pauperes, operam eorum parvi ducere. Denique

— *Libertas pauperis haec est,*
Contusus rogat, et pugnis concisus adorat.
— *Ὕβριν τοι τίκτει πλοῦτος,*
[— *Fastus est opibus comes*],

ait Euripides. Confer Ps. 10: 2, 8, 9. Est et in hanc rem egregius locus in Plauti Aulularia Act. II Sc. 2.

Καὶ αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια; et ipsi rapiunt vos in iudicia] *In ius rapiunt*, ut Plautus loquitur Curculione. Est autem etiam in re aequa durum in iudicio certamen pauperi cum divite, non modo quia saepe iudices ob gratiam addunt diviti, verum etiam quia et sumptus litis et temporis, quod in eam impenditur, gravat pauperem. Itaque per contemptum solet dici, *Age lege*, ut Donatus notavit. Agit autem de divitibus in genere, non speciatim de iis qui frequentabant Ecclesiam. Exemplum habes Act. 13: 50.

7. *Οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, nonne ipsi bono maledicunt nomini, e quo vos vocamini*] Ex divitibus illis multi reperiuntur qui ita odere Christianismum, ut et Christo maledicant, ex cuius nomine vos vocamini. Locutio est Hebraea, *Vocatur nomen meum super eum*, id est, ille dicitur de meo nomine, Gen. 48: 16, Esai. 4: 1. Sicut filii de parentum, foeminae de maritorum dicuntur nominibus, ita a Christo Christiani. *Ὄνομα καλὸν*, id est, *nomen honorificum*. Vide de voce *καλῶς* supra 3.

8. *Εἰ μέντοι νόμον τελεῖτε βασιλικὸν, si iam Legem perficitis regalem*] Christi qui Rex noster, Ioh. 18: 37 Hebr. 7: 2, Apoc. 1: 5, 15: 3.

Κατὰ τὴν γραφὴν, secundum Scripturam] Nempe Lev. 19: 18.

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν, diliges proximum tuum sicut te ipse] Verba sunt ex versione LXX dicti loci, sed quae hic intelligenda *μυστικῶς* [*sensu recondito*], ut *proximus* sit non solus Israelita, sed homo quivis: et *dilectio* intelligatur qualem praescribit Euangelium.

Καλῶς ποιεῖτε, bene facitis] Sic Phil. 4: 14.

9. *Εἰ δὲ προσωποληπτεῖτε, si autem personas respicitis*] Verbum fecit ἀναλογικῶς [*per congruentiam formandarum dictionum*] ex nomine προσωπολήπτης [*personarum respector*]. תהדרו פני גדול, ἐθαυμάσατε πρόσωπον δυνάςου [*admirati estis adspectum potentis*], Lev. 19: 15.

Ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε, peccatum patratis] Sic ἐργαζόμενοι ἀνομίαν, Matth. 7: 23.

Ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τοῦ νόμου ὡς παραβάται, redarguti a Lege ceu transgressores] כמועל [*ceu praevaricator*]. Vide Rom. 2: 25, 27, Gal. 2: 8, infra 11. Legem intelligit quae est Deut. 16: 19, ubi in Graeco, οὐδὲ ἐπιγνώσονται πρόσωπον [*neque agnoscent personam*]. Sed haec quoque Lex hoc loco sumenda, nempe ut non tantum ad iudicia pertineat, sed et ad honorum signa in coetu Ecclesiae. Est enim et in hoc quaedam iudicii species.

10. *Ὅςις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, quicunque enim totam Legem servaverit*] In Manuscripto πληρώσει [*impleverit*]: quae locutio est Rom. 13: 8 et Ps. 20: 5, 6. Argumentum iterum sumit a Lege Mosis ad Legem Euangelicam, ut saepe Paulus et Scriptor ad Hebraeos. *Si quis caetera Legis praecepta servet*, nempe quae comminationem habent poenae capitalis, qualia sunt vetantium multa, iubentium illud de circumcisione et de Paschate.

Πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, offendat autem ad unum]. Nempe eorum quibus poena capitalis constituta est, ut iam diximus, et sequentia apertum facient. Deut. 7: 25 תוקש *illaquees te*, Graece vertitur πταίσης.

Γέγονε πάντων ἔνοχος, factus est omnium reus] Id est, ὡς πάντων ἔνοχος [*quasi omnium reus*]. Non minus morte punitur, quam si omnia praecepta violasset. Sic Rabbini dicunt: *Qui transgreditur unum praeceptum, ac si transgrederetur omnia.* De talibus praeceptis intelligendum et illud in libro εἰς τοὺς Μακκαβαίους [*in Maccabaeos*], qui Iosepho attribuitur: Τὸ γὰρ ἐπὶ μικροῖς καὶ μεγάλοις παρανομεῖν ἰσοδύναμόν ἐςι [*Peccare enim in minimis idem est ac si peccetur in maximis*]. Pro ἔνοχος Syrus habet חיב, Arabs ملكاً [*debitor*], nempe poenae.

11. *Ὁ γὰρ εἰπὼν, μὴ μοιχεύσῃς, qui enim dixit, Non moechaberis*] Deus qui moechari vetuit addita mortis poena, Deut. 22: 22.

Εἰ-

Εἶπε καὶ, μὴ φονεύσῃς, dixit et, Non occides] Itidem addita mortis poena, Exod. 21: 12, Lev. 24: 17, 21, Deut. 19: 13.

Εἰ δὲ οὐ μοιχεύσεις, φονεύσεις δὲ, γέγονας παραβάτης νόμου, quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor Legis] *Παραβαίνειν* מעל non de quovis facto contra Legem, sed de gravioribus illis dicitur. In Manuscripto est *ἐγένου ἀποςάτης νόμου* [*factus es Legis desertor*], מרד Num. 14: 9, Ios. 22: 19.

12. *Οὕτω λαλεῖτε καὶ οὕτω ποιεῖτε, ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι, sic loquimini, et sic facite, ut qui per Legem libertatis estis iudicandi*]. Ostendit iam ad Euangelicam Legem aptanda quae de Lege Mosis dixerat. Lex Mosis factis quibusdam capitale supplicium minatur: Lex Euangelii gehennam, nec factis tantum, sed et dictis, Matth. 5: 22. Et dicitur *Lex libertatis*, quia qui eam sequuntur liberi esse debent etiam ab illis vitiis quae Lege Mosis non puniebantur, supra 1: 25, 2 Cor. 3: 17. Non est nostrum seligere quibus praeceptis obsequi velimus, quibus non. *Non sufficit ad salutem si maioribus spretis minora faciamus*, ait, et, ut id firmet, hunc locum adducit Salvianus III de Gubernatione Dei.

13. *Ἡ γὰρ κρίσις ἀνίλεως, τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος, iudicium enim sine beneficentia erit illi qui non fecerit beneficentiam*] *Ἔλεος* Scriptoribus nostris non solam *lenitatem in poenis exigendis*, sed et omne genus *beneficentiae* significat, respondens Hebraeo חן, ut videre est Gen. 19: 19, Num. 11: 15 et alibi. Sic et Matth. 9: 13, 12: 17, 23: 23. Lex Euangelii est ut bene faciamus omnibus; qui id non facit, dure tractabitur, Matth. 7: 2 et seqq., 25: 42.

Καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως] *Contra vero beneficentia hoc habet, ut nos a condemnatione liberet*, Matth. 5: 7, 25: 37. Cum uni virtuti salus promittitur, non intelligendum excludi alias, sed illius virtutis vim esse eximiam. Vide Luc. 11: 41 et Matth. 5: 3—5, 6: 14, Luc. 6: 37. *Κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως* significat, *beneficentia de damnatione triumphat: eam non metuit.* Non potest Deus damnare suae bonitatis imitatores. Nam et inter Dei מדות si-

sive *proprietates* praecipuam esse Clementiam dicunt Hebraei. Vide Iarchi ad Dan. 9: 4, 5. Claudianus:

Principio magni custos clementia mundi.

Seneca pater: *Perierat totus orbis nisi iram finiret misericordia.* In Manuscripto non male est κατακαυχάσθω [*triumphet*], *efficite ut per beneficentiam triumphetis de damnatione.* Et hunc sensum sequitur Syrus.

14. *Τί τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μου, quid proderit, fratres mei*] In hunc locum ad finem usque capitis commentationem edidimus satis uberem, quam adiunximus nostris ad Euangelia Annotatis (*). Inde et aliunde sumemus hic ea, quae huius tractationis modo conveniunt. Cum Apostoli multam ubique praedicarent fidei efficaciam, inde factum est ut multi homines carnales, in quibus fuit Simon Magus, id arripuerint in vitae mendosae patrocinium, quasi *sine operis iustis*, ut Irenaeus loquitur, salus aeterna possit obtineri, nempe per fidem: cum contra Apostolorum esset doctrina, fidem aptam esse ut nos purget, purgatis dari Spiritum Sanctum, et sic *fidem fieri efficacem per dilectionem* Gal. 5: 6. Ac proinde dilectionem, quae ex fide et spe eam comitante exsurgat, plus valere et fide et spe, 1 Cor. 13: 13. *Τί τὸ ὄφελος;* מה בצע, ut Gen. 37: 25, Ps. 30: 10, Mal. 3: 14, *quae utilitas*, nempe ad salutem aeternam, ut 1 Cor. 15: 32. Pro eodem *οὐδέν εἰμι* [*nihil sum*] dixit Paulus 1 Cor. 13: 2.

Ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat] *Λέγῃ*, id est, *cogitet*, quomodo λεγέτω supra 1: 13. *Si quis intra se cogitet, Opera quidem mea non recta sunt, sed fides recta est, ac propterea de salute non periclitor.* Haec opinio olim valde fuit frequens apud Iudaeos, qui existimabant omnem Israelitam, qui modo professionem Iudaismi non abiecisset, partem tandem habiturum in altero seculo, id est, in vita aeterna. Eandem sententiam apud multos Christianos invaluisse ostendit, et eos acriter, ut certe debuit, refellit Augustinus libro de Fide et Operibus. Renata est hoc infelici seculo ea sententia, et qui-

(*) [Sermo est de Hugonis Grotii opusculo, quod inscribitur, *Explicatio trium utilissimorum locorum N. Testamenti, in quibus agitur de fide et operibus*, quod Supplementis inseretur.]

quidem sub nomine repurgatae doctrinae, cui omnes qui pietatem et salutem proximi amant, se debent opponere.

Μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτὸν, numquid haec poterit fides servare eum] Concedit aliquam fidem talem esse posse, sed salutem aeternam ei competere negat. Pro *σῶσαι* Arabs habet *eruere*, Syrus אחיותו *vivificare*. Dicunt quidem interdum viri sancti, aliquos servari fide ante opera, sed intelligunt ante perpetuam seriem tractumque bonorum operum, quia scilicet vita illis ad id indulta non est. Caeterum nulla cuiquam fides profuit sine tali opere quale tempus permittebat, ut illius cum Christo crucifixi exemplo apparet. Salvianus IV de Gubernatione Dei: *Cum Spiritus Sanctus nec fidem quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis posse prodesse*. Cyprianus de Habitu virginum: *Credenti praemium datur, si quod creditur et geratur.* Adde Hieronymum Dialogo I adversus Pelagium.

15. *Ἐὰν δὲ ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ γυμνοὶ ὑπάρχωσι, si autem frater aut soror nudi sint*] Egregia similitudine, ab illorum quos oppugnat factis sumpta, rem illustrat. *Γυμνοὶ*, quomodo vox *γυμνοῦ* sumitur Iob. 22: 6, Matth. 25: 36, 38, 43, 44, Marc. 14: 52, Ioh. 21: 7. *Γυμνητεύειν* [*nudum esse*] 1 Cor. 4: 11 et *γυμνότητος* [*nuditatis*] Rom. 8: 35, 2 Cor. 11: 27.

Καὶ λειπόμενοι ὦσι τῆς ἐφημέρου τροφῆς, et indigeant victu quotidiano] *Λειπόμενοι* חסרי. Vide supra 1: 4, 5. Si non modo destituantur rerum mediocri copia, sed *nec habeant unde in diem vivant*. Quod hic *τροφὴ ἐφήμερος*, id *τροφὴ καθ' ἡμέραν* Alexidi et Aristophani. Qui nihil habent amplius *καθημερόβιοι* Graecis. Vide quae dicta nobis ad Matth. 6: 14. Pro *καὶ* in Manuscripto est *ἢ* [*vel*].

16. *Εἴπῃ δέ τις αὐτοῖς ἐξ ὑμῶν, dicat autem illis aliquis ex vobis*] *Ex vobis* qui fidem creditis sufficere ad salutem.

Ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, ite cum pace] *Bene vobis sit.* Est enim bene precantis, *ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ* vel *εἰς εἰρήνην*, ut Marc. 5: 34, *πορεύου εἰς εἰρήνην*, Luc. 7: 50, 8: 48, לכי לשלום, 1 Sam. 1: 17.

Θερμαίνεσθε, calescite] *Μετωνυμία* [*transnominatio*], pro *estote vestiti*. Sic *ἐθερμάνθησαν* pro *vestiti sunt* Iob. 31: 20.

Καὶ χορτάζεσθε] *Bene pasciminor:* sit vobis unde saturemini. Vide Matth. 14: 20, 15: 33, 37, Marc. 6: 42, 7: 27, 8: 4, 42, Luc. 6: 21, 9: 17, 16: 21, Ioh. 16: 26, Phil. 4: 12. שבע.

Μὴ δῶτε δὲ αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, neque iis dederitis quae corpori expediunt] Nempe cum id facere vobis in proclivi sit. Bona vota non sunt spernenda, sed nullius pretii, si ab eo proficiscantur qui quod optat, effectum dare potest, et non vult. *Ἐπιτήδεια τοῦ σώματος* non male dicuntur *quae corpori expediunt.* Nam adiectivum istud apud Graecos modo genitivum, modo dativum regit. *Ἐπιτήδεια πορίζεσθαι* et *ἔχειν* [*exhibere* et *habere quae corpori expediunt*] et *ἔνδειαν ἐπιτηδείων* [*rerum necessariarum inopiam*] dixit Xenophon. In Glossario, *ἐπιτήδεια, τὰ ἀναγκαῖα, copiae.* Arabs حاجة *necessaria*, quomodo etiam Latinus hic.

Τί τὸ ὄφελος, quid proderit] Quid haec bona vota illis prosunt?

17. *Οὕτω καὶ ἡ πίστις, ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν, sic et fides, si non habeat opera, per se mortua est*] Sicut vestra illa fides cum bonis verbis coniuncta proximis vestris non prodest, ita nec vobis proderit. Deus vestro vos modulo metietur. *Mortuum* esse dicitur, quicquid effectum suum non consequitur: ut videre est Rom. 4: 19, Hebr. 11: 12, Rom. 7: 8. Effectus ad quem tendit fides, est vita aeterna, sed ita demum effectum suum consequitur, si adsit purgatio a vitiis, dilectio et dilectionis opera. *Καθ' ἑαυτὴν per se*, sive *tota quanta est.* Sic *ἀφ' ἑαυτοῦ* Ioh. 15: 4. Sic abundat *καθ' ἑαυτῆς* et *ἐφ' ἑαυτὸν* Matth. 12: 25, 26, et *ἐν ἑαυτοῖς* Rom. 1: 24. Infra pro eodem dicitur sine tali additamento *νεκρά ἐστι* 20, 25.

18. *Ἀλλ' ἐρεῖ τις*] *At* merito fidem suam ab operibus vacuam praedicanti *dicet* pius *aliquis* bene suetus agere.

Σὺ πίστιν ἔχεις] *Habes* [*tu*] *fidem* eamque multum iactas.

Κἀγὼ ἔργα] *Ego vero* de fide mea tacens *do operam piis factis.*

Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων, ostende mihi fidem tuam ex factis] Cum et Manuscripti plurimi, et ille optimus quo utimur, et Latinus, et Syrus, et Arabs lege-

gerint τὴν πίςιν σου χωρὶς τῶν ἔργων [*fidem tuam absque factis*], omnino praestat eam lectionem nos sequi, hoc sensu: *illam tuam fidem ostende* verbis quantumlibet, nam *facta non adsunt.* Et vide quanti eam facturi sint homines pii, et inde collige quid facturus sit Deus.

Κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίςιν μου, et ego ostendam tibi ex factis meis fidem meam] Ista secunda persona ponitur pro homine quolibet. Ego fidem meam non iactitans, sed perpetuam dans operam modestiae, patientiae, dilectioni, facile cuivis persuadebo etiam tacens, esse in me veram fidem. Nam perpetua illa sanctitas et in malis constantia, qualis illo saeculo apparebat, causam aliam quam veram fidem habere non poterat. Hoc ergo dicit: Pii omnes fidem meam factis demonstratam prae tua verbis iactata multum praeferent: quanto magis Deus?

19. *Σὺ πιςεύεις, ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐςι, tu credis, Deum unum esse*] In Manuscripto, ὅτι εἷς ἐςιν ὁ Θεός. Sumit id quod inter credenda primum est, et quo Iudaei non tantum *παρὰ τῶν ἀθέων* [*ab impiis*], sed et *παρὰ τῶν Ἑλλήνων* [*a Gentibus*] separabantur, *Deum esse* et *esse unum*, Deut. 4: 35, 39, 6: 4, unde etiam pendet tota in Christum fides. Nam Christo auctoritas est ab illo uno ac vero Deo, Ioh. 14: 1, 17: 3.

Καλῶς ποιεῖς, bene facis] Hoc dicit, *Hactenus res tuae bene se habent.* Sed subiicit hoc ad salutem non sufficere.

Καὶ τὰ δαιμόνια πιςεύουσι] *Mali Spiritus idem credunt.* Τὰ δαιμόνια Rabbinis שעירים, quomodo et LXX interpretantur Esai. 13: 21.

Καὶ φρίσσουσι] *Timent* eum malitiae suae vindicem 2 Petr. 2: 4, Iud. 6. Sic et tu timere debes eundem Deum, si Diaboli facta imitaris. Pro φρίσσουσι Syrus רעלין *tremunt*, Arabs يفرقون, eodem sensu. Per μετωνυμίαν [*transnominationem*] id verbum ingentem metum significat, vertiturque in Glossario, *horreo, horresco.* Inde φρικτῶς [*horrende*] Sap. 6: 5, et φρικτὸν שערורה [*res horrenda*] Ier. 5: 30, 18: 13, 23: 14, et φρικῶδες [*horriferum*] Os. 6: 10.

20. *Θέλεις δὲ γνῶναι*] Id est, *Vin' tibi hoc doceri* etiam documentis e Veteri Testamento?

Ω

Ὦ ἄνθρωπε κενὲ, o homo vane] ריקא, de qua voce dictum Matth. 5: 22. Syrus hic חלשא *debilis* iudicio scilicet: Arabs الكاذب *vane*. Christus prohibet iracundiam in tales voces prorumpentem, non ipsas voces, ubi a magistris ad corrigendos discipulos usurpantur, multoque minus ubi non certi homines sic notantur, sed certa hominum genera. Apparet hoc Matth. 23: 17, 18, Luc. 24: 25, Gal. 3: 1. Merito autem vani vocantur qui vana spe se iactant.

Ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν] *Fidem sine operibus* [*mortuam esse*], producere non posse id quod speras. *Χωρὶς τῶν ἔργων* idem quod saepe *ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ* [*si opera non habuerit*].

21. *Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν, Abraham Pater noster*] Etiam secundum carnem: nam Hebraeis scribit.

Οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, nonne ex operibus iustificatus est] *Δικαιοῦσθαι* modo significat *iustum reddi*, modo *ut iustum amari* atque *tractari*. Habent enim pleraeque voces Hebraicae eius formae significatum duplicem. Quanquam vero certum est hominem iustum fieri per fidem, deinde etiam iustiorem per opera continua, tamen totus huius sermonis contextus, et maxime ea quae iam sequentur, exigunt ut *δικαιοῦσθαι* hic sumamus in sensu posteriore, et quidem ita ut intelligantur tum Abraham, tum Rahab a Deo *tractati* ita, *ut* ii qui *iusti* sunt tractari solent, non tantum respiciente ipsorum fidem, sed et ex fide profecta opera. Quod si Abrahami fides illa adeo praedicata, Gen. 15: 6, profuit quidem, sed non sola, quid est cur alii de sua fide non operante plus promittere sibi debeant? Abraham si fidem ad favorem Dei conciliandum ac retinendum sibi credidisset sufficere, abstinuisset opere tam luctuoso, de quo iam loquetur hic Scriptor.

Ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, Isaacum filium suum arae imponens] Filium de Sara unicum vinctum, ut fieri mos victimis, imposuit arae, paratus etiam eum mactare, si Deus in iusso perstitisset. De hac re vide quae diximus Hebr. 11: 17.

22. *Βλέπεις*] *Viden'*.

Ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ] *Pariter et fides*

et

et opera concurrerunt ad retinendam arguendamque Dei benevolentiam, quam non nisi iustis promisit.

Καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίςις ἐτελειώθη, et ex operibus fides perfecta est] *Perficitur per dilectionem fides*, ait Tertullianus adversus Marcionem quinto. *Perficitur* res quaeque cum effectum sibi destinatum parit. Eum fides consequi non potest ἄνευ συναιτίων [*sine causis adiuvantibus*].

23. *Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ, ἡ λέγουσα, et impleta est Scriptura, dicens*] Ante quidem id dictum fuerat de Abrahamo quam Isaacum offerret, ut videre est dicto loco Gen. 15: 6. Sed mos est Hebraeis dicere, *Hoc* מתקים, id est, ἐπληρώθη cum rei alicubi narratae similis alia contingit. Nam tunc ex fide Abraham Deo victimas obtulit, et nunc victimam multo pretiosiorem. Pari modo dictum illud, *Reputatum est ei ad iustitiam*, ad tempus Isaaci oblati refert Scriptor 1 Macc. 2: 52, Ἀβραὰμ οὐχὶ ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιςὸς, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην; [*Abrahamus nonne in tentatione repertus est fidelis, et reputatum est illi ad iustitiam?*]

Καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, et reputatum est illi ad iustitiam] Id est, fides illa a Deo habita est pro re egregia, quales res *iustitiae* nomine appellari solent. Habes idem loquendi genus Ps. 106: 31, ubi zelus Phineae dicitur *ei reputatus in iustitiam*, id est, magni a Deo factus, magnaque mercede sacerdotii summi remuneratus.

Καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη, et amicus Dei vocatus est.] Nempe quia filium obtulerat, ut dicitur Gen. 22: 16, ubi Deus quod ante non fecerat, iuratum foedus cum Abrahamo init, sicut Reges cum amicis solent: additurque causa: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me.* Quanti autem foedus tale iuratum fieri debeat, egregie explicat Scriptor ad Hebr. 6: 13 et seqq. *Amicus Dei vocatus est*, id est, *fuit*, locutione Hebraea, cuius exempla habemus Esai. 1: 26, 48: 8, 62: 4, Ier. 33: 16, Ezech. 48: 35. Sic *fieri filios Dei*, Ioh. 1: 12, idem est quod in 1 Epist. 3: 1, *vocari filios Dei.* Ex re autem nomen illud Abrahamo adhaesit, ut videmus Esai. 41: 8 et 2 Par. 20: 7. Clemens in Epistola ad Corinthios: Ἐμαρτυρήθη μεγάλως Ἀβραὰμ, καὶ φίλος προ-

προσηγορεύθη τοῦ Θεοῦ [*Magnum testimonium accepit Abrahamus, dictus Dei amicus*].

24. Ὁρᾶτε τοίνυν, *videtis ergo*] Discite hoc viri maximi exemplo.

Ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, *ex operibus iustificari hominem, neque ex fide sola*] Nisi ad fidem opera accedant, nunquam Deus aliquem pro iusto habebit. Haec enim omnia sub nomine הצדיק [*iustificari*] in significatu secundario comprehendi solent. Idem est ἐκ πίστεως μόνον quod ἐκ πίστεως μόνης. Sic μόνον adverbium vice adiectivi ponitur Matth. 5: 47, 21: 19, Ioh. 13: 9, Act. 11: 19, Rom. 3: 20 et alibi.

25. Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥαὰβ ἡ πόρνη, *similiter etiam Rahab meretrix*] Quia multi etiam alienigenae in eandem cum Iudaeis credentibus Ecclesiam coaluerant, alterum Iacobus exemplum addit, valde ad eorum rem appositum, foeminae, et extraneae a sanguine Abrahami, et vitae antea mendosae, quales et plerique ex Gentibus fuerant. De hac Rahabe et de voce πόρνης diximus ad Hebr. 11: 31, ubi tam fides huius mulieris praedicatur quam hic eius opera.

Alterius sic

Altera poscit opem res, et coniurat amice.

Οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη] Interrogative: *Nonne operibus id consequuta est ut iustitiae praemium a Deo referret*, solo Dei iussu servata, cum omnes eius populares interficerentur, deinde dignata coniugio viri eminentis inter suos Boozi.

Ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους, *excipiens nuntios*] Δεξαμένη τοὺς κατασκόπους [*excipiens exploratores*] Hebr. 11: 31. Multum hoc in foemina. Cum sciret illos esse exploratores ab hostibus Hierichuntinorum missos, tamen eos hospitio excepit, texitque, reverentia unius Dei, quem ab Hebraeis coli, quemque huius belli auctorem esse Hebraeis, intellexerat. *Exploratores* recte etiam *nuntii* dicuntur, quia in id mittuntur ut spectata renuncient. Sed quidam Codices etiam hic habent κατασκόπους. Et sic vertunt Syrus et Arabs.

Καὶ ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβαλοῦσα, *et alia via dimittens*] *Alia via* quam qua ituri putabantur. Nam et per murum eos di-

dimisit, et devia itinera monstravit, ne ab Hierichuntinis deprehenderentur. Haec omnia non factura si salutem ex nuda fide sperasset.

26. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν, *sicut enim corpus sine spiritu, mortuum est*] Id est, functiones hominis convenientes non edit. Sic enim vocem νεκροῦ sumi supra annotavimus. Πνεῦμα hic autem vocat eam substantiam quae corpori vitam subministrat, Luc. 23: 46, Act. 7: 59.

Οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι, ita et fides sine operibus mortua est] Id est, non efficit ut homo iustus a Deo censeatur, et sic Spiritum Dei vitamque aeternam consequatur; quod multis Veterum locis in uberiore illa commentatione confirmavimus atque illustravimus.

CAPUT III.

1. *Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μου, ne multi fiatis magistri, fratres mei*] Ne quivis ambiat munus Doctoris, id est, Episcopi sic eminenter dicti, τοῦ προεστῶτος, τοῦ κοπιῶντος ἐν λόγοις [*Praesidis, docendo operam dantis*]. Non quod non praeclara ea res sit, sed quod pauci sint pares. *Διδάσκαλοι*, רבים aut מורים. Similis admonitio Eccl. 7: 17.

Εἰδότες, ὅτι μεῖζον κρῖμα ληψόμεθα, scientes, maius de nobis iudicium habendum] Id est, plura a nobis, qui Doctores aliorum sumus, requiret Deus quam ab aliis. Quod si hoc verum in iis qui aliorum iudicio morem gessere, quanto magis in iis qui se ingerunt? Chrysostomus in Cap. 13 ad Hebraeos: *Βαβαὶ, πόσος ὁ κίνδυνος; Τί ἄν τις εἴποι πρὸς τοὺς ἀθλίους, τοὺς ἐπιῤῥίπτοντας ἑαυτοὺς τοσαύτῃ τιμωριῶν ἀβύσσῳ; πάντων ὧν ἄρχεις γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ παίδων σὺ λόγον δίδως· τοσούτῳ πυρὶ τὴν κεφαλὴν ὑποτίθῃς; Θαυμάζω εἴ τινά ἐστι τῶν ἀρχόντων σωθῆναι, πρὸς τῇ τοιαύτῃ ἀπειλῇ, καὶ τῇ παρούσῃ ῥαθυμίᾳ, ὁρῶν ἔτι καὶ ἐπιτρέχοντάς τινας καὶ ἐπιῤῥίπτοντας ἑαυτοὺς τῷ τοσούτῳ ὄγκῳ τῆς ἀρχῆς. Εἰ γὰρ οἱ ἀνάγκῃ ἑλόμενοι οὐδεμίαν ἔχουσι καταφυγὴν καὶ ἀπολογίαν, κακῶς τὸ πρᾶγμα οἰκονομοῦντες*

καὶ

καὶ ἀμελοῦντες· ἐπεὶ καὶ Ἀαρὼν εἱλκύσθη καὶ ἐκινδύνευσε· καὶ Μωσῆς πάλιν ἐκινδύνευσε πολλάκις παραιτησάμενος· καὶ Σαοὺλ ἑτέραν ἐμπιςευθεὶς ἀρχὴν μετὰ τὸ παραιτήσασθαι ἐκινδύνευσεν, ἐπειδὴ κακῶς αὐτὴν ᾠκονόμησε· πόσῳ μᾶλλον οἱ σπουδὴν ταύτην τιθέμενοι καὶ ἐπιῤῥίπτοντες ἑαυτούς; Ὁ δὲ τοιοῦτος πολλῷ πλέον ἑαυτὸν ἀποςερήσει πάσης συγγνώμης· δεδοικέναι γὰρ χρὴ καὶ τρέμειν, καὶ διὰ τὸ συνειδὸς, καὶ διὰ τὸν ὄγκον τῆς ἀρχῆς [*Hui, quantum discrimen! Quid tu istis facias, qui se in hanc suppliciorum abyssum ultro conilciunt miseri? Omnium et virorum et foeminarum et puerorum, quotquot denique hominibus imperas, eorum a te omnium exigetur ratio, tantone tu igni supponis caput? Mirandum nî nemo omnino Praesul servari potest, cum et minas hasce audiam, et plerorumque videam negligentiam, et sint praeterea qui prehensent etiam hoc tantum tam grave imperium, seque ultro ei ingerant. Quod si, qui inviti susceperunt, dum male postea et oscitanter rem gerant, quod excusent tamen quove confugiant, non habent (nam et Aaron, cum raptus esset ad Sacerdotium, non ultro accessisset, periclitatus est tamen: nec Moses, quanquam imperium recusarat saepius, extra periculum fuit: neo Saulo, alio ei concredito imperio quod et ipse recusarat, cum male rem gereret, supplicii immunitas data): quanto illi magis supplicia horrere debent, qui intrudunt se imperio atque id ut obtineant, laborant? Ex hoc numero qui erit, profecto efficiet, ut multo ei minus ignosci possit. Tremere enim atque horrere oportuit, et ob conscientiam, et ob magnitudinem imperii*]: et quae ibi sequuntur ad hunc locum intelligendum apprime conducentia.

2. Πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες, *in multis enim lapsamus omnes*] *Omnes*, id est, plerique, ut docent sequentia. Mos est magnorum virorum per modestiam quandam se addere infirmioribus. Πταίειν Syro שׁרע *lapsare*, hic dicitur de errore aliquo qui docentibus potest obvenire: qua de causa Paulus nullius sibi mali conscius, non tamen ab hoc se plane liberum ait, ab erroribus scilicet, 1 Cor. 4: 4, ubi dicta vide. Mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, ait Lactantius VI. 13. Philo de Agricultura: Χαλεπὸν γὰρ ὥσπερ

τοὺς

τοὺς δρομεῖς ἀρξαμένους ὁδοῦ τῆς πρὸς εὐσέβειαν, ἀπταίστως καὶ ἀπνευστὶ διευθῦναι τὸν δρόμον, ἐπειδὴ μυρία ἐμποδὼν παντὶ τῷ γενομένῳ [*Est enim perdifficile, ceu cursoribus post institutum semel ad pietatem cursum inoffense et sine respiratione ad metam recta decurrere. Sunt enim innumera, quae hominem morentur*]. Et quibusdam interiectis, quae longum sit transscribere: Σπάνιον οὖν εἴ τῳ δωρήσεται ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους σταδιεῦσαι τὸν βίον μήτ' ὀκλάσαντι μήτ' ὀλισθήσαντι, ἀλλ' ἑκατέραν φύσιν ἀδικημάτων ἑκουσίων τε καὶ ἀκουσίων, ῥύμῃ καὶ φορᾷ τάχους ὑπερπτῆναι [*Rarum igitur Dei donum est, a carceribus ad metam usque stadium vitae percurrere absque offensa lapsuque, ita ut liceat naturam utramque peccatorum, quae sponte, quaeque ignorantia committuntur, celerrimo cursu praetervolare*]. Vide et Eccl. 7: 20. Sed ita tamen, ut memineris, aliter haec in illo tempore imperfecto, aliter sub Euangelio intelligenda.

Εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, si quis sermone non lapsat] Qui neque dicit, quod non compertum habeat, et tempora observat quibus quidque aut dicendum aut silendum sit. Haec admonitio maxime directa est in rixosos disputatores, ut sequentia ostendunt.

Οὗτος τέλειος ἀνήρ] *Hic vir est egregius*, 1 Cor. 2: 6; 14: 20, Phil. 3: 15. Is potest dicere אשמרה דרכי מחטוא בלשוני [*Custodiam vias meas, ne linguâ delinquam*], ut est in Ps. 39: 2.

Δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα, aptus ad fraeno ducendum totum corpus] Is demum aptus est ad regendum totum corpus Ecclesiae. Plerumque enim evenit, ut Doctoris linguam sequatur plebs. *Χαλιναγωγεῖν* habuimus et supra 1: 26. Syrus hic שעבד *facere ut serviat*. *Σῶμα* pro Ecclesia 1 Cor. 12: 20, 25, 27, Eph. 4: 12, 16, Col. 1: 18. Nomen hoc sicut universae Ecclesiae iure quodam competit, ita et Ecclesiis singulis suo modo: nam et omne collegium in iure *corpus* dicitur.

3. *Εἰ δὲ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, καὶ ὅλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν, si autem equis fraena in ora mittimus ut obediant nobis, et omne corpus illorum circumagimus*] Apposita similitudine ostendit saepe exigua esse quae res

magnas moveant. Vide Ps. 32: 9. Hinc *fraenare* pro *regere*, non apud Poetas tantum, sed et apud Oratores. Et pellicula linguae adhaerens dicitur χαλινός. Πείθεσθαι שמע [*obedire*]. Sic dicimus: *Nec audit currus habenas.*

Ἰδοὺ καὶ τὰ πλοῖα τηλικαῦτα ὄντα, *ecce et naves licet magnae sint*] Magna illa navigia, צים אדירים Esai. 33: 21, de quibus Virgilius:

— *Credas innare revulsas*
Cycladas.

Reges Aegyptii *thalamegos* habuere, quarum longitudo semistadii. *Καὶ* hic est pro *sicut*, quemadmodum Iob. 5: 7.

Καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα, *et a ventis vehementibus agitentur*] Difficultatem regimini et hoc addit, quod et fluctibus huc illuc agitantur. Σκληρῶν ἀνέμων רוחות גדולות Ion. 1: 4.

Μετάγεται ὑπὸ ἐλαχίστου πηδαλίου, *circumaguntur modico gubernaculo*] Proponit hanc quaestionem Aristoteles: Διὰ τί τὸ πηδάλιον, μικρὸν ὂν καὶ ἐπ' ἐσχάτῳ τῷ πλοίῳ, τοσαύτην δύναμιν ἔχει, ὥστε ὑπὸ μικροῦ οἴακος, καὶ ἑνὸς ἀνθρώπου δυνάμεως, καὶ ταύτης ἠρεμαίας, μεγάλα κινεῖσθαι μεγέθη πλοίων; [*Unde fit, ut parvum adeo gubernaculum haerens praeterea extremo navigio, tantum valeat, ut homo unus, nulla fere adhibita in eam rem vi, nisu nullo, exiguo temone magnas navium moles facile dimoveat loco?*] Et rationem reddit Μηχανικῶν [*Mechanicorum*] capite 6.

Ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται, *quo voluntas gubernatoris voluerit*] Ὁρμὴ hic *voluntatem* significat, non τὴν πρώτην κίνησιν [*primum motum*], ut sumunt Philosophi: sed quomodo Historici saepe. Ὁ εὐθύνων hic est pro εὐθυντὴς participium pro verbali, more Hebraeo. Etiam Graeci *gubernatorem navis* ἰθυντῆρα vocant, et *rectorem* Latini Poetae.

5. Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστι, *ita et lingua parvum membrum est*] Parvum est membrum, ratione habita corporis humani, multoque magis ratione habita corporis socialis.

Καὶ μεγαλαυχεῖ] *Magna crepat.* גבה vertitur μεγαλαυχεῖν Ezech. 16: 49, Soph. 3: 11, et ערץ Ps. 10: 18. Utitur hoc verbo Isocrates et alii bene Graeci. In Glossario,

με-

μεγαλαυχῶ, *magnifico*, *glorior*. In Ps. 12: 4, מדברת גדלות Graece vertitur, *γλῶσσαν μεγαλοῤῥήμονα* [*linguam grandiloquam*]. Ps. 17: 10, דברו בגאות *ἐλάλησεν ὑπερηφανίαν* [*loquuti sunt superbiam*]. Dan. 7: 20 vero ממלל רברבן *λαλοῦν μεγάλα* [*magna loquens*].

Ἰδοὺ ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει, *ecce parvus ignis quantam materiem incendat*] Sic Bensyra: *Ignis ardens accendit multos acervos*. *Ὕλη* non utique *nemus* significat, sed omne *quod incendi potest*. Apparet id Sir. 28: 10.

6. *Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας· οὕτως ἡ γλῶσσα καθίςαται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν*, *sic et lingua ignis est*, *mundus iniquitatis*; *sic lingua constituitur in membris nostris*] Haec non cohaerent. Manuscriptus habet: *Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ*, *ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας*, *ἡ γλῶσσα καθίςαται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν* [*Et lingua ignis est*, *mundus iniquitatis*, *lingua constituitur in membris nostris*], ad quam lectionem prope accedit interpres Latinus. Sed Syrus optime legisse videtur: *Ἡ γλῶσσα πῦρ τῷ κόσμῳ τῆς ἀδικίας καθίςαται* [*Lingua ignis mundo iniquitatis constituitur*], etc. Solet lingua igni comparari: itaque interpres, Bensyrae dictam iam *παραβολὴν* [*comparationem*] explicans, ait: *Sicut exiguus ignis multos frugum acervos consumit*, *ita nihil est quod magis devastat mundum quam mala lingua*. Vides hic quoque mundum poni vice materiae quam ignis incendit, plane ut sensit Syrus. Dicitur autem lingua mala esse *πῦρ τῆς ἀδικίας*, quia incendia suscitat odiorum, dissidiorum, seditionum, bellorum, quae omnia *ἀδικίας* nomine recte appellantur. Sic Prov. 16: 27 vir malus describitur hoc modo, *In labiis eius ignis ardens*. Et Ps. 120: 3, 4 lingua dolosa carbonibus comparatur. *Καθίςαται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν*, Syro איתוהי בהדמין, unum est de numero tot membrorum et quidem exiguum, et tamen res tantas efficit, quomodo fraenum, gubernaculum, flamma. Euripides:

Σμικρᾶς ἀπ' ἀρχῆς νεῖκος ἀνθρώποις μέγα
Γλῶσσ' ἐκπορίζει —.
[*Immane parvis saepe de primordiis*
Excivit odium lingua —.]

Et Latinum proverbium in hanc rem utile, *ex scintilla incendium.*

Ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα, quae maculat totum corpus] *Os inquinat carnem*, Eccl. 5: 5. Nempe cum ex blanditiis ad adulteria venitur. Sed hic rectius, ut iam diximus, *σῶμα* sumitur pro *corpore Ecclesiae*, quae saepe per unius atque alterius linguam in gravissimas dissensiones impellitur. *Σπιλοῦν* est *maculare* Sap. 15: 4, Iud. 23. מכתם Syro. *Σπίλωμα* [*macula*] etiam de *re* quavis *foeda* dicitur Esai. 28: 8. Ad animum ubi transfertur, significat *vitiis inficere*, plane ut *μιαίνειν* Hebr. 12: 15.

Καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, et incendit rotam naturae] Puto scribendum *τρόχον* [*cursum*]. Libri illorum temporum accentus non habuere, quos postea quisque addidit suo arbitratu. *Γένεσις* est *natura*, ut diximus supra 1: 23. *Cursus naturae* est *περίφρασις* [*circumlocutio*] vitae. Varro:

Nemini fortuna cursum carcere emissum intimo
Labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sinit.

Sic et senectus *βίου καμπτὴρ* [*vitae meta*] Herodi in Mimiambis. Tale et illud:

Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi.

Φλογίζειν דוה Dan. 3: 28, לוח Ps. 117: 3. Hesychius, *φλογίζω, καίω* [*uro*].

Καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης, et incensa a gehenna] Praesens pro futuro, nisi scribendum *φλογισομένη*, quomodo legisse videtur Syrus. Sicut ipsa *incendit*, ita et ipsa nempe cum corpore *incendium feret gehennae.* Sensus idem qui Matth. 5: 22. Vide et Matth. 18: 9, Marc. 9: 47. Pro *ὑπὸ τῆς γεέννης* Syrus habet בנורא, Arabs بالنار, id est, *ab igne.* Vide Dan. 7: 9.

7. *Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ, omnis enim natura ferarum et volucrum et serpentum et aquatilium domantur et domita sunt naturâ humanâ*] Euripides:

Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
Χθονίων τ' ἀερίων τε παιδεύματα.

[*Vis*

[Vis exigua est, quamcunque homini
Natura dedit: sed consiliis
Variis artes, quae nata mari,
Et quae terra, coeloque domant.]

Adiecit hic Iacobus *serpentes*. Nam et illos capit humana industria, et venenum eis detrahit. Dicit autem *δαμάζεται καὶ δεδάμαςαι*, ut ostendat perpetuum hoc esse: et ut nunc fit, ita factum semper. *Δαμάζειν* חשל Dan. 2: 40. *Φύσις* hic Arabi طبع, quod est Rabbinorum טבע.

8. *Τὴν δὲ γλῶσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι*] *Linguam*, nempe alienam, *nemo domare potest*, sicut animalia fera mansuefacimus.

Ἀκατάσχετον κακόν] Supple *ἐςι* [*est*]. Quod ostendit membrum sequens. *Malum est quod inhiberi nequit.*

Μεςὴ ἰοῦ θανατηφόρου, plena veneno mortifero] Iterum subaudi *ἐςι*. Falsum crimen *quasi venenatum telum* dixit Cicero. Vocem *θανατηφόρου* habes non tantum apud Poetas Graecos, sed et in Graeco Iob. 33: 23 et Num. 18: 22. Idem *θανάσιμον* Marc. 16: 18. Rabbinis *ἰὸς θανατηφόρος* est סם המות [*pulvis mortis*]. Eodem sensu habemus Deut. 32: 33 וראש פתנים אכזר *venenum aspidum crudele*. Cleanthes:

Κακουργότερον οὐδὲν διαβολῆς ἐςί πω.
[Calumniâ res nulla pestilentior.]

9. *Ἐν αὐτῇ εὐλογοῦμεν τὸν Θεὸν καὶ πατέρα, per ipsam laudamus Deum et Patrem*] *Εὐλογεῖν* accusativo frequens et Interpretibus Veteris Testamenti et Scriptoribus Novi: *εὐλογεῖν τὸν Θεὸν* habes Ps. 66: 8, Luc. 2: 28 et alibi saepe. Illud *καὶ* hic est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum*], ut supra 1: 27. *Ἐν* hic est *per*. In Manuscripto *εὐλογοῦμεν τὸν Κύριον* [*laudamus Dominum*], id est, Christum.

Καὶ ἐν αὐτῇ καταρώμεθα τοὺς ἀνθρώπους, et per ipsam maledicimus hominibus] *Καταρᾶσθαι* ארר proprie est *diris devovere*: sed sumitur pro quolibet modo *maledicere*, ut diximus ad Matth. 5: 44. Pulchre haec conveniunt cum Aesopi dicto, *linguam et optimam esse et pessimam*. Est in utramque partem egregia dissertatio apud Plutarchum *περὶ ἀκοῆς* [*de auditione*]. Et Hebraei dicunt, *Vita et mors in manu linguae*.

Τοὺς καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γεγονότας, qui ad similitudi-

nem Dei facti sunt] In Manuscripto γεγεννημένους, id est, πεποιημένους Gen. 1: 26, 27. Ad quem locum a nobis notata vide, si vacat.

10. *Ἐκ τοῦ αὐτοῦ ςόματος ἐξέρχεται εὐλογία καὶ κατάρα, ex eodem ore procedit benedictio et maledictio*] Sicut ille apud Aesopum eodem flatu calefaciebat et refrigerabat. Pro ἐξέρχεται Arabs habet طفي *emanat*, quomodo et βρύει vertit.

Οὐ χρὴ, ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, ταῦτα οὕτω γενέσθαι, non decet, fratres mei dilecti, haec ita fieri]. Virum bonum decet in bono esse constantem.

11. *Μήτι ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν, numquid fons ex eodem cavo emanat dulcem et amaram aquam*] *Ex eodem cavo.* Nam ex vicinis cavis fit interdum, ut hinc dulcis fluat aqua, inde amara aut salsa, ut Physici notant. *Βρύει, emanat.* In Glossario, βρύω, *scaturio.* Hoc est quod Hebraei dicunt, יקיר מתוק במר [*Eructat dulce cum amaro*].

12. *Μὴ δύναται, ἀδελφοί μου, συκῆ ἐλαίας ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σῦκα, numquid potest, fratres mei, ficus olivas facere, aut vitis ficus*] Similis sententia Matth. 7: 16. Sic M. Antoninus Imperator: Ὁ μὴ θέλων τὸν φαῦλον ἁμαρτάνειν, ὅμοιος τῷ μὴ θέλοντι συκῆν ὀπὸν ἐν τοῖς σύκοις φέρειν [*Qui non vult peccare hominem vitiosum, par est ei, qui nolit in ficu esse sui generis succum*].

Οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, ita nullus fons salsam et dulcem potest facere aquam] Hoc iam dixerat: nam sub πικροῦ nomine comprehenditur et *salsum*; ut:

Doris amara suas non intermisceat undas.

Sic et Graecus Poëta de Alphaeo:

—— *Καὶ ἄνθεα πικρὰ θαλάσσης.*

[—— *Et maris amari flores.*]

Quare recte hic Manuscriptus, οὔτε ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, id est, quomodo Latinum interpretem puto scripsisse, *neque salsa dulcem potest facere aquam.* Mare non edit de se aquas dulces.

13. *Εἴ τις σοφὸς καὶ ἐπιςήμων ἐν ὑμῖν, si quis sapiens et peritus inter vos*] Sic σοφίαν et σύνεσιν [*intellectum*] habemus Col. 1: 9. Hebraice diceres, מי חכם ונבון [*quis sa-*

sapiens est et intelligens], ut Os. 14: 10. Videtur autem dici σοφὸς qui multa novit; ἐπιστήμων, qui etiam habet τὸν τρόπον τῆς παιδείας [*modum disciplinae*], qui alios instituere potest.

Δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραΰτητι σοφίας, ostendat bono convictu opera sua ex miti sapientia profecta] Id est, ἐν σοφίᾳ πραείᾳ, ut hic recte explicat Syrus. Sic,

— *Mitis sapientia Laeli.*

Sensus est: *In convictu producat opera, quae mitem sapientiam testentur.* Vocem ἀναστροφῆς eodem sensu habes Gal. 1: 13, Eph. 4: 22, 1 Tim. 4: 12, Hebr. 12: 7, et apud Petrum aliquoties. Praepositio ἐκ hic significat occasionem. *Δεικνύειν* autem *producere*, ut Ioh. 10: 32. Sententia non longe hinc aliena Prov. 11: 2, ואת־צנועים חכמה, ubi Graeci, στόμα ταπεινῶν μελετᾷ σοφίαν, [*penes humiles sapientia*].

14. *Εἰ δὲ ζῆλον πικρὸν ἔχετε καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, quod si aemulationem amaram habetis animo et contentiones*] In Manuscripto, εἰ δὲ ἄρα ζῆλον. *Ζῆλον* et ἐριθείαν ut affinia habes 2 Cor. 12: 20 et Gal. 5: 20, ubi dicta consule. Et bene addidit ἐπίθετον [*agnomen*] illud πικρὸν, ut apertius faceret quo tenderent istae similitudines supra 3: 11, 12.

Μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας, ne gloriamini et mendaces estote contra veritatem] In Manuscripto, μὴ καυχᾶσθε. Ne vobis ipsis placete, contra veritatem vobis arrogando sapientis titulum. Est autem πλεονασμὸς [*abundantia*] in illo, μὴ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας. Sic ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι [*veritatem dico, non mentior*], Rom. 9: 1. Ψευδόμεθα καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν [*mentimur et veritatem non facimus*], 1 Ioh. 1: 6.

15. *Οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη*] *Non haec est illa vera sapientia* [*superne descendens*], qualem operatur Spiritus Sanctus. Sic ἄνωθεν καταβαῖνον supra 1: 7. Vide Ioh. 15: 26.

Ἀλλ' ἐπίγειος, sed terrena] Conveniens *curvis in terras animis.* Sic οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες [*qui terrena sapiunt*], Phil. 3: 19.

Ψυχική, animalis] Ψυχικοὶ dicuntur, *qui Spiritum Dei non habent*, Iud. 19. Ista sapientia a natura est, non a Deo. *A cogitationibus animae*, dicit hic Syrus. Per eam sunt homines σοφοὶ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ [*sapientes in hoc seculo*] 1 Cor. 3: 18.

Δαιμονιώδης, diabolica] Nam terrestribus curis Daemon solet se admiscere, 2 Cor. 4: 4, Eph. 2: 2. Syrus hic מן שאדא *a vastatore*: ita enim illi Daemonem appellant. *Satanica* apud Arabem.

16. *Ὅπου γὰρ ζῆλος καὶ ἐρίθεια, ubi enim aemulatio et contentio*] Ea vitia nominat quae maxime apparebant, ut supra 14.

Ἐκεῖ ἀκαταστασία] *Tumultus* sive *seditiones* [*ibi*], ut Luc. 21: 9, 2 Cor. 6: 5, 12: 20. In Manuscripto non male, ἐκεῖ καὶ ἀκαταστασία [*ibi et tumultus*].

Καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, et omne opus pravum] Ὑπερβολή [*superiectio*]. Vult enim dicere, ex aemulatu et quae eum sequitur acerba contentione plurima nasci mala.

17. *Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία, quae autem superne est sapientia*] A Deo data supra naturam.

Πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, primum quidem casta est] Pura a terrestribus illis studiis. Syrus מליא שלמא [*plena pace*].

Ἐπιεικής, modesta] Omnia quantum fieri potest in meliorem partem interpretans. Vide 1 Cor. 13: 4. Vide Phil. 4: 5, 1 Tim. 3: 3, Tit. 3: 2. Syrus vertit מכיכא, id est, *modesta*.

Εὐπειθής] *Obsequiosa*. Syrus משמעיא. Utuntur sic hac voce Philo et Galenus.

Μεστὴ ἐλέους] *Plena beneficentiae*. Nam sic sumi a nostris ἔλεος diximus et alibi et supra 2: 13.

Καρπῶν ἀγαθῶν, fructibus bonis] Repetendum hic μεστή [*plena*]. Καρποὺς hic vocat *opera*. Matth. 3: 8, 7: 16, Gal. 5: 22, Eph. 5: 9, Phil. 1: 11.

Ἀδιάκριτος] *Quae non discernit* homines secundum carnem. Vide supra 2: 4. Syrus דלא פלגותא *sine partitione*, nempe iniqua.

Ἀνυπόκριτος, sine simulatione] Non, ut mos est ambitionis, *aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habens*, ut est apud Sallustium. Talis ille apud Homerum:

Ὅς

Ὅς γ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.
[*Cuius mens aliud condit, quam lingua profatur*].
Vide Rom. 12: 9, 2 Cor. 6: 6, 1 Tim. 1: 5, 2 Tim. 1: 5, 1 Petr. 1: 22, Sap. 5: 19, 18: 16.

18. *Καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην, fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem*] Duplex *ἀντανάκλασις* [*refractio*]. Nam et vocem *καρποῦ*, quam modo usurpavit de operibus, nunc usurpat de praemio operum, et *εἰρήνης*, vocem sumit primum pro *rebus prosperis* (est enim *ἐν εἰρήνῃ* dictum pro *εἰς εἰρήνην*), deinde pro *concordia*. Et *δικαιοσύνη* hic generaliter sumitur, ita ut omnia comprehendat, quae nostri sunt officii, ut Matth. 5: 20, Act. 10: 35, Rom. 3: 21, 22, Phil. 1: 11 et alibi. Comparatio sationis in hac re frequens, ut 2 Cor. 9: 6, Gal. 6: 7, 8. Sic Latini dicunt, *uti seres, ita metes*. Deinde *ποιεῖν εἰρήνην* est *dare operam paci*, quomodo *ποιεῖν δικαιοσύνην*, 1 Ioh. 2: 29, 3: 7, quod Act. 10: 35. *Ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην*, et *κατεργάζεσθαι δικαιοσύνην* supra 1: 20, *iustitiae operam dare*. Quomodo עשה frequens apud Hebraeos.

CAPUT IV.

1. *Πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν*] *Unde inter vos*, nempe Israelitas, *rixae et bella?* Intelligit motus illos Iudaeorum Philadelphensium contra eos qui in Peraea erant, factionem filiorum Iudae Galilaei, pugnas cum Samaritanis, et Suariorum arma, de quibus vide Iosephum libro XX. Credibile est istis motibus abreptos fuisse etiam quosdam nomine magis quam re Christianos. Admonet utrosque, hos ut se corrigant ad Euangelii normam, illos ut ad Euangelium veniant.

Οὐκ ἐντεῦθεν, ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν, nonne hinc, ex voluptatibus vestris quae bella gerunt in membris vestris] *Μετωνυμικῶς* [*per transnominationem*] *voluptates* appellat cupiditates rerum voluptariarum sive non necessariarum ad vitam. Et *cupiditates* posuit Syrus, tum hoc commate, tum infra 3. Porphyrius quarto de Non esu animalium, cum vitam

illam sub Saturno descripsisset, paucis iisque necessariis contentam, addit: Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ πόλεμοι αὐτοῖς ἦσαν, οὐδὲ στάσεις πρὸς ἀλλήλους· ἆθλον γὰρ οὐδὲν ἀξιόλογον ἐν τῷ μέσῳ προκείμενον ὑπῆρχεν, ὑπὲρ ὅτου τις ἂν διαφορὰν τοσαύτην ἐνεστήσατο· ὥστε τὸ κεφάλαιον εἶναι τοῦ βίου συνέβαινε σχολὴν, ῥαθυμίαν ἀπὸ τῶν ἀναγκαίων, ὑγίειαν, εἰρήνην, φιλίαν [*Nec seditio erat, nec bellum, neque adeo dissidii sat magnum praemium ullum. Erat ergo horum vita universa otium: cum et necessaria ultro suppeterent, et bene omnes valerent, et pacem colerent, et amici essent omnes invicem*], Tibullus:

Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuere
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

Cicero de Finibus primo: *Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordias, seditiones, bella nascuntur.* Iamblichus: Καὶ γὰρ πολέμους καὶ στάσεις καὶ μάχας οὐδὲν ἄλλο παρέχει ἢ τὸ σῶμα, καὶ αἱ τούτου ἐπιθυμίαι [*Bella etenim, seditiones et pugnas nulla res excitat alia quam corpus eiusdemque cupiditates*]. Sic et Diogenes dicebat bella non pro victu olerum ac pomorum, sed pro carnium et epularum deliciis excitari; et Plinius *opulentiae exitus* ait *ad scelera, caedes et bella tendere.* Multa alia praeclara ad hanc rem attulimus lib. I de Iure Belli ac Pacis 2. 5, tum in contextu, tum in annotatis, ad quae lectorem remitto. Egregie autem dicit Iacobus στρατευομένων, quia bella illa externa non essent nisi prius fuisset internum, *cupiditatum* scilicet istarum, cum recta sanaque ratione. Pari sensu ἀντιστρατεύεσθαι [*repugnare*] habemus Rom. 7: 23.

2. Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε, *concupiscitis, neque habetis*] *Quo plura concupiscitis, eo minus habetis*, Deo vos puniente. Pertinet hoc ad caritatem primum annonae, deinde famem quae fuit Claudianis temporibus; de qua Act. 11: 28. Sumpta verba ex Prov. 13: 4.

Φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν· μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε, *occiditis et aemulamini nec potestis adipisci; pugnatis et bellatis, neque habetis*] Haec absunt quidem in Manuscripto: sed videtur omissio evenisse ob illud οὐκ ἔχετε bis repetitum, ea quae in medio sunt praetervidente librario. Pro φονεύετε sunt qui le-

legunt φθονεῖτε [*invidetis*] non male, nisi quis malit φονεῖτε. *Saevitis alii in alios, et felicibus invidetis, et tamen ad eorum felicitatem pertingere non potestis.* Poeta Graecus quidam:

Ὦ τῆς μεγίστης τοῦ φθόνου πονηρίας·
Τὸν εὐτυχῆ μισεῖ τις, ὃν Θεὸς φιλεῖ.
[O summa mentis invidae perversitas;
Odit beatos invidus caros Deo.]

Alius:

Ὅταν συγῇ τὶς ἄνδρα, τὸν Θεὸς φιλεῖ,
Οὗτος μεγίστην μωρίαν κατεισάγει.
Φανερῶς γὰρ αὐτῷ τῷ Θεῷ κορύσσεται,
Χόλον μέγιστον ἐκ φθόνου δεδεγμένος.
Δεῖ γὰρ φιλεῖν ἐκεῖνον, ὃν Θεὸς φιλεῖ.
[Prosequitur odio quisquis adamatum Deo,
Damnatus ille maximae est insaniae.
Deum lacessens marte manifestario
Iram reportans praemium invidentiae.
Et nos decet diligere dilectos Deo.]

Apuleius:

Nam sese excruciat qui beatis invidet.

Cyprianus: *Calamitas sine remedio est odisse felicem.* Praeterea ait: *Pugnatis etiam et bellatis, nec tamen consequimini*, nempe vitam tranquillam, cuius causa bella suscipiuntur.

Διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς; quia non precamini] Deus promisit precantibus, non pugnantibus, Matth. 7: 7. *Αἰτεῖσθαι* pro *αἰτεῖν* Attice, ut Matth. 18: 19, 20: 22, Luc. 23: 23, 25 et alibi

3. *Αἰτεῖτε καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖσθε, ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε, precamini neque accipitis, eo quod male precamini, ut voluptatibus vestris impendatis*] Poterant quidem dicere, At vero si alii non precantur Deum, nos precamur. Etiam his respondet, non mirum esse si non exaudiantur, quia male precantur, non ut habentes necessaria Deo serviant, sed ut habeant quae in voluptates impendant. Talia autem non promisit Deus, Matth. 6: 32. Diximus supra 1: 5 et Matth. 28: 19, dari petentibus, sed si recte petant, id est, si petant necessaria humiliter, et animo recte utendi.

4.

4. *Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες*] *Adulteri et adulterae.* Nam *μοιχαλὶς* est *moecha*, Rom. 7: 3. Hic tamen hae voces sumendae in sensu figurato. Nam qui Deo uni non adhaerent, nec ei per omnia parere cupiunt, sed partim Deo, partim Mundo se accommodant, similes sunt iis coniugibus, qui suo suave coniuge non contenti externos amores admiscent.

Οὐκ οἴδατε ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ Θεοῦ ἐστιν, nescitis amicitiam Mundi hostilitatem esse Dei] Id est, *amicitia cum Mundo*, sive cum Mundi vitiosis actionibus, *a Deo habetur pro hostilitate in se*: quia totum hominem sibi poscit. Idem sensus Matth. 12: 30, ubi dicta vide. *Ἔχθρα Θεοῦ*, genitivo objective sumpto, idem quod *ἔχθρα εἰς Θεὸν* Rom. 8: 7.

Ὃς ἂν οὖν βουληθῇ φίλος εἶναι τοῦ κόσμου, ἐχθρὸς τοῦ Θεοῦ καθίσταται, quicunque ergo voluerit amicus esse Mundi, inimicus fit Dei] *Deo fit exosus.* Sic *φίλος Θεοῦ* supra 2: 23 *amatus Deo.*

5. *Ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει, Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν, an putatis, frustra Scripturam dicere, Ad invidiam concupiscit Spiritus qui habitat in nobis*] Non sunt ipsa verba, sed sensus sumptus ex duobus locis Gen. 6, nempe 3 et 5. Nam quod ibi est מחשבת *διανοεῖται* [*cogitat*] hic est *ἐπιποθεῖ*. Illud *τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν* est ex commate 3, et idem valet quod commate 5 לבו [*cordis eius*]: quod eodem commate 5 est רע [*malum*], in Graeco *ἐπὶ τὰ πονηρὰ* [*ad mala*], hic est *φθόνον*, quia in malorum genere invidia non minimum est, et maxime ei affines erant illi, ad quos haec epistola scribitur. *Spiritus ille* a Deo hominibus datus et eius iussu *in hominibus habitans*, id est animus, in dies per mala exempla peior erat factus, et ea desiderans, quae non dilectio, sed *invidia* suggerit. Nam *φθόνος* hic *μετωνυμικῶς* [*per transnominationem*] sumitur, ut modo *ἡδοναί* [*voluptates*].

6. *Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, maiorem autem dat gratiam*] *Deus* nempe hoc tempore. Nam de Messia vetus erat dictum, *futurum ut corrigeret* יצר הרע [*malum fomentum*], nempe et praeceptis quae habemus Matth. 5: 28 et alibi, et promissis aeternis ac coelestibus, ac prae-

te-

terea Spiritu illo suo, id est, eximio. Idem sensus 1 Petr. 3: 19 et seqq., ubi similiter tempus Christi comparatur cum tempore diluvii. Videri possunt haec verba *μυστικῶς* [*sensu arcano*] sumpta de Prov. 4: 19.

Διὸ λέγει, Κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν, propter quod dicit, Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam] Sunt haec ipsa verba LXX, Prov. 3: 34. Sed cum absint ab optimis Manuscriptis et a Latinis codicibus nonnullis, credibile est hunc locum, ut ab eo quod hic tractatur alienum, annotatum fuisse in margine ex 1 Petr. 5: 6, deinde, ut fieri solet, irrepsisse in textum. Et his omissis sensus melius cohaeret.

7. *Ὑποτάγητε οὖν τῷ Θεῷ, subiecti ergo estote Deo*] Cum Deus multo maiora nunc det dona quam diluvii tempore, aequum est vos ab ipso vos regi sinatis, non ab humano illo spiritu pridem corrupto. *Ὑποτάγητε* passivum pro reciproco, id est, *subiicite vos ipsos:* quomodo eadem vox sumitur Rom. 10: 3, 13: 1, 5, 1 Cor. 16: 16, Eph. 5: 21, 22, 24, Col. 3: 18, Tit. 2: 5, 9, 3: 1, 1 Petr. 2: 13, 18, 3: 1, 3, 5, 5: 5.

Ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ, resistite Diabolo] Idem sensus 1 Petr. 5: 9. Resistendum est per Dei sapientiam isti sapientiae *δαιμονιώδει* [*diabolicae*], de qua supra 3: 15. In Manuscripto *ἀντίστητε δέ*.

Καὶ φεύξεται ἀφ' ὑμῶν, et aufugiet a vobis] Repulsus saepe, sicut a Christo capite nostro, aufugiet. Vide Matth. 4: 11 et ibi dicta. Superbus est ille spiritus, nec facile eo redit, ubi saepe est triumphatus.

8. *Ἐγγίσατε Θεῷ, καὶ ἐγγιεῖ ὑμῖν, appropinquate ad Deum, et appropinquabit ad vos*] קרב *ἐγγίζειν Θεῷ* est Deum orare et ei obedire velle. Deus contra dicitur ad nos venire, cum nos adiuvat, tum contra cupiditates carnis, tum contra Diaboli assultus de quibus iam egit. Hic est sensus mysticus verborum Ier. 4: 1.

Καθαρίσατε χεῖρας, ἁμαρτωλοί, emundate manus, peccatores] טהרו, reddite male rapta, Ion. 3: 8.

Καὶ ἁγνίσατε καρδίας, δίψυχοι, et purgate corda, duplices animo] Vocem *διψύχου* etiam supra habuimus 1: 8. *Ἁγνίσατε καρδίας*, קדש, *purgate corda*, nempe utentes tam prae-

praesenti Dei favore et auxilio, precibus et omni conatu expellite istam inconstantiam quae vos modo ad Deum trahit, modo ad Mundum repellit. Vide 1 Petr. 1: 22, 1 Ioh. 3: 3, ubi idem verbum ἁγνίζειν.

9. *Ταλαιπωρήσατε καὶ πενθήσατε καὶ κλαύσατε*] Christianis in gravia lapsis non datur reditus ad bonam frugem nisi per poenitentiam luctuosam: cuius vim ut exprimeret Iacobus haec verba posuit. *Ταλαιπωρήσατε* שדדו *affligite*, nempe vosmetipsos ieiuniis et aliis corporis σκληραγωγίαις [*duris exercitiis*]. *Πενθήσατε* אבלו *lugubrem habitum induite*, saccum et cilicia, ut poenitentes Christiani solebant. Haec enim vis est istius vocis, ut videre est Gen. 37: 33, 2 Sam. 13: 37, 19: 2 et alibi. *Κλαίειν* בכה *flere*, solet plerumque iungi cum ieiunio, ut 1 Sam. 1: 7, 2 Sam. 1: 12, 12: 22, et cum verbo πενθεῖν, ut Neh. 1: 4, 8: 11.

Ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταςραφήτω, καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem] Quantum antea risistis et gavisi estis, ubi ultionem vobis de inimicis sumere, et res eorum rapere licuit, tantum nunc suscipite dolorem ac moestitiam. *Κατήφεια* apud Poetas, Plutarchum, et alios est is *moeror qui ipso etiam vultu se prodit*, quod Hebraei dicunt נפלו פנים [*deiicite vultus*]. Tacite innuit imminere excidium Hierosolymorum, et disiectionem Iudaicae gentis.

10. *Ταπεινώθητε ἐνώπιον τοῦ Κυρίου*] Demissis precibus ענו [*humiliate vos*], Lev. 16: 29 et alibi, *coram Domino*, id est, Christo.

Καὶ ὑψώσει ὑμᾶς] ירוממכם, *attollet vos*, sive sublimes faciet donis suis. De quibus supra 1: 17.

11. *Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοὶ, ne obloquamini vobis invicem fratres*] Redit ad id quod supra attigerat 3: 9, 10. Dicimus et καταλαλεῖν κατά τινος Num. 21: 7, Ps. 50: 19, et brevius καταλαλεῖν τινος Ps. 78: 19, Iob. 19: 3. Sic et 1 Petr. 2: 12, 3: 16. In Glossario, καταλαλῶ, *obloquor*. Hinc nomen καταλάλος, Rom. 1: 30, ubi dicta vide.

Ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ καὶ κρίνων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, qui obloquitur fratri et qui iudicat fratrem suum] Nempe ob eas res quas Christus in Euangelio non damnat, qua-

qualia sunt observationes dierum, ciborum, et similia. Idem sensus qui Rom. 14: 3, 4. In Manuscripto *ἢ κρίνων* [*aut iudicat*] disiunctive.

Καταλαλεῖ νόμου καὶ κρίνει νόμον, obloquitur Legi et iudicat Legem] Doctrinam Euangelicam (quam et supra aliquoties Legis appellavit nomine, ut et Paulus Gal. 6: 2) homo talis spernit et damnat ut imperfectam. Christus enim tales non damnat, Rom. dicto loco.

Εἰ δὲ νόμον κρίνεις, si autem iudicas Legem] Si Euangelicam doctrinam damnas ut imperfectam.

Οὐκ εἶ ποιητὴς νόμου, ἀλλὰ κριτής, non es factor Legis, sed iudex] Qui obsequi Legi debueras, iudicium tibi in Legem sumis. *Ποιηταὶ νόμου* dicuntur et Rom. 2: 13 per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] *ii qui faciunt ea quae Lex praecipit, οἱ ποιοῦντες τὰ τοῦ νόμου*, ut eodem loco dicit Paulus. Hebraice עשים כל־המצוה, Deut. 6: 25. Idem alibi *τηρεῖν νόμον* et *φυλάσσειν*.

12. *Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης, unus est Legislator*] Nobis non Moses, sed Christus, Hebr. 8: 6. Manuscriptus hic adiicit *καὶ κριτὴς* [*et iudex*], et sic legere Latinus, Syrus, Arabs.

Ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, qui potest servare et perdere] Illud *δυνάμενος* hic *ius potestatemque* significat, ut Act. 4: 20, 2 Cor. 13: 8. Christus iudex omnium a Deo datus *ius potestatemque habet et servandi nos et perdendi*. Illi igitur integrum relinquendum est iudicium de rebus dubiis.

Σὺ δὲ τίς εἶ ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον, tu autem quis es qui iudicas alium] Quem te facis? Nonne homo es, neque Legis auctor neque iudex animorum a Deo constitutus? Pro *τὸν ἕτερον* Manuscriptus habet *τὸν πλησίον* [*proximum*] sensu eodem, et ita legerunt Syrus et Latinus.

13. *Ἄγε νῦν οἱ λέγοντες, age nunc qui dicitis*] Illud *ἄγε*, hic et infra 5: 1, tantum valet quantum apud Prophetas, *Iam ego ad vos*, nempe *sermonem meum converto*. Utuntur sic et Xenophon et Plutarchus. Solet etiam pluribus id dici, ut apud Homerum:

— *Ἀλλ' ἄγε, μίμνετε πάντες.*

[— *Sed age! omnes quaeso manete.*]

Xenophon: *Ἄγε δή, ἀκούσατε* [*Agedum! attendite*].

Οἱ

Οἱ λέγοντες, Σήμερον καὶ αὔριον πορευσόμεθα εἰς τήνδε τὴν πόλιν, qui dicitis, Hodie et cras ibimus in illam urbem] Alii Codices σήμερον ἢ αὔριον [*hodie aut cras*], quomodo legerunt Syrus et Latinus. *Πορευσόμεθα* et quae sequuntur verba tum hic tum, infra 15, in futuro legerunt Syrus, Latinus, Arabs: et sic optimi habent Graeci codices: non in potentiali. *Εἰς τὴν πόλιν*, Syro למדינתא איךא, id est, *in urbem hanc vel illam*, puta Damascum, Alexandriam, Antiochiam. Sic de personis dicimus *πρὸς τὸν δεῖνα* [*ad illum*].

Καὶ ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα] *Manebimus ibi per annum.* Habes hoc loquendi genus Act. 15: 33, 18: 23, 20: 3, 2 Cor. 11: 25, et apud Hebraeos Eccl. 7: 1. Sed et Latini dicunt *facere cum aliquo paucos dies, annos multos*, ut notaverunt Eruditi.

Καὶ ἐμπορεύσομεν καὶ κερδήσομεν, et mercabimur et lucrum faciemus] Ita super rebus incertis consilia sua disponunt, tanquam ea haberent in manu.

14. *Οἵτινες οὐκ ἐπίςασθε τὸ τῆς αὔριον, qui ignoratis quid erit cras*] Manuscriptus *τὰ τῆς αὔριον.* Nesciunt quid cras sit eventurum, quid pariturus sit dies crastinus, ut loquitur Salomon Prov. 27: 1. Favorinus: *Ἄνθρωπος ὢν μηδέποτε φῇς ὅτι γίνεται αὔριον* [*Homo cum sis noli dicere quod cras sit futurum*]. Seneca:

Nemo tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.

Horatius:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Τὰ τῆς αὔριον, id est, *τὰ συμβαίνοντα τῆς αὔριον ἡμέρας* [*cras futura*]. Est non aliena ab hoc argumento monitio Senecae de Brevitate vitae cap. 3 et 4: *Repete memoria tecum quando certus consilii fueris, quotusquisque dies, ut destinaveras, recesserit.* Et deinde: *Audies plerosque dicentes, A quinquagesimo in otium secedam, sexagesimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? quis ista sicuti disponis ire patietur?*

Ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν, quae est enim vita vestra] Quam caduca res est vita haec nostra!

Vi-

Vita data est utenda, data est sine foenore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die.

Ἀτμὶς γάρ ἐςιν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ καὶ ἀφανιζομένη] Rectius *ἐςίν*, quam ut in Codicibus quibusdam *ἔςαι* [*erit*]. Et sic legere Syrus, Latinus, Arabs. *Ἀτμὶς* pro *ὥσπερ ἀτμίς* [*sicut vapor*]. *Vapor* aut *fumus pauxillum ad tempus videtur, deinde disparet.* *Ἀτμὶς* pro *fumo* Lev. 16: 13, Ezech. 8: 11, Sir. 20: 27, 24: 18, 38: 28. Sic Aeschylus de vita humana:

Καὶ πιςὸν οὐδὲν μᾶλλον, ἢ καπνοῦ σκιά.
[*Nec est solidior, umbra quam fumi levis.*]

Sic et umbrae vitam humanam conferunt Hebraei 1 Par. 29: 15, Iob. 8: 9, Ps. 102, 12, 144: 4, et inter Graecos Sophocles non uno loco. Debent autem ista ab *οἵτινες* ad *ἀφανιζομένη* sumi ut *παρενθετικὰ* [*interposita*].

15. *Ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς, Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, καὶ ποιήσωμεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο, pro eo quod dicere debetis, Si Dominus voluerit et vixerimus, faciemus hoc aut illud*] Rectius Latinus et Syrus legere *ποιήσομεν* absque *καὶ* praecedente: quanquam solet saepe ea vocula apud Hebraeos Graece scribentes *πλεονάζειν* [*abundare*] aut sumi pro *tunc*. Sensus est: *Si Deus dederit ut vivamus, faciemus hoc et hoc.* Nam *καὶ* saepe est *ἐξηγητικόν* [*explicativum*]. Quod hic praescribitur, eius exempla habemus Act. 18: 21, *τοῦ Θεοῦ θέλοντος* [*volente Deo*]; 1 Cor. 4: 19, *ἐὰν ὁ Κύριος* (id est, Christus) *θελήσῃ* [*si Dominus voluerit*]. Est autem vetus sententia Hebraeorum apud Bensyram: לעלם אל יאמר אדם שום דבר אלה בגזר השם; *Nunquam dicat homo facturum se quicquam, nisi prius dicat, Si Deus voluerit.* Neque ignoratum id Platoni, apud quem dicenti Alcibiadi, *Ἀλλὰ πῶς χρὴ λέγειν;* [*Quomodo ergo dicendum?*] respondet Socrates, *Ὅτι ἐὰν Θεὸς ἐθέλῃ* [*Si Deus voluerit*]. Proclus ad illud in Timaeo: *Κατὰ δύναμίν γε οὐδὲν ἐλλείψομαι* [*In me, quantum quidem ego potero, mora non erit*], ait: *Τὸ ἀσφαλὲς ἐν ταῖς ὑποσχέσεσι, καὶ τὸ μέτριον ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις ἱκανῶς παρίςησιν* [*Curat, ut nec id cui praestando non sit, promisisse, nec de se plura quam modestum deceat praedicasse videatur*].

16. *Νῦν δὲ καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν*] *Placetis* vo-

vobis in istis iactantiis de futuro. In Glossario, *ἀλαζονεία, iactantia.*

17. *Εἰδότι οὖν καλὸν ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντι, ἁμαρτία αὐτῷ ἐστιν, qui scit rectum facere nec facit is peccat*] Comparate dictum, ut Ioh. 9: 41. Sensus idem Luc. 12: 47. Vide quae utroque loco a nobis dicta, et ea oppone iis, qui putant hominem semper ac necessario velle pro modo eius quod est in intellectu: quod ego satis puto cuiusque intra se experientia refelli. Syrus legit, *εἰδότι οὖν τὸ καλὸν* sine *ποιεῖν*: non male. Sic Lacones de Atheniensibus, *scire eos quid rectum esset, sed facere nolle.* Hoc vult Iacobus: *Moniti estis a me: ignorantiam non potestis obtendere: si quid posthac tale dixeritis, gravior erit culpa.* — Qui monitus peccat, eius peccatum est רמה, Num. 15: 30, *ὑπερηφανία* [*superbia*].

CAPUT V.

1. *Ἄγε νῦν, age nunc*] Vide supra 4: 13.

Οἱ πλούσιοι, divites] Divites Iudaeos alloquitur, quibus Christiani erant permixti. Nam proprie ad Christianos mox vertet sermonem. Nam de aliis divitibus locutus erat supra 2: 6, at non eos allocutus, ut non sui gregis. Apostoli et eorum auditores non expellunt eos, qui divites sunt et tales manere volunt, ab Ecclesia; sed ostendunt eis, periculosum esse eorum statum, et plurimis eos opus habere cautionibus ut serventur. Vide 1 Tim. 6: 17. Poterant autem haec utilia esse etiam bonis Christianis ad convertendos ad Euangelium Iudaeos, quibus Iudaismus parum adeo profuisset.

Κλαύσατε ὀλολύζοντες, plorate ululantes] Videtur respicere locum Zach. 11: 2 et Ioel. 1: 5, ubi quod in Hebraeo est הילילו in Graeco vertitur *ὀλολύξατε.*

Ἐπὶ ταῖς ταλαιπωρίαις ὑμῶν ταῖς ἐπερχομέναις, propter miserias vestras quae advenient vobis] *Ἐπὶ* hic est *propter*, ut Matth. 26: 50 et alibi saepe. Praesignificat eventuras Iudaeis calamitates, de quibus aliquid diximus supra 4: 9. Prope enim adventabat tempus a Christo praedictum. Post excisa Hierosolyma, gentem dispersam,

pes-

pessime etiam aliis in locis tractari coepere Iudaei, quorum tunc sub nomine latebant et Christiani. Vide librum VII Iosephi de Bello Iudaico. Etiam didrachmum, quod soliti erant dare in usus Templi, impensum fuit in usus Capitolii. Vide quae dicta ad Matth. 7: 24.

2. Ὁ πλοῦτος ὑμῶν σέσηπε, *divitiae vestrae putrefactae sunt*] Est hic activum pro passivo, ut in Glossario σήπω, *tabeo, puteo:* ita enim ibi legendum. Deinde est species posita pro genere. Vult enim dicere res ita quaesitas, ita asservatas, saepe non aliis, sed et ipsis inutiliter perire, qui est sensus mysticus eius quod in Manna significatum Exod. 16: 20, ubi in Hebraeo ויבאש, in Graeco ἐπώζεσε.

Καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt] Tinea dicitur comedere vestimenta Esai. 51: 8. Vocem σητόβρωτα habes Iob. 13: 28, ubi in Hebraeo אכלו עש. Similis compositio in σκωληκόβρωτος [*consumptus a vermibus*] Act. 12: 23. Syntheses, quibus sublevare potuistis miseriam pauperum, saepe nimis diu extra usum humanum asservatae vobis pereunt, sive a tineis corrosae, sive aliter. Vide Matth. 6: 19, 20, Luc. 12: 33.

3. Ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται, *aurum et argentum vestrum aeruginavit*] Perstat in figuris similibus: nam sicut vestes per *tineas* corrumpi solent, ita ferrum *rubigine*. Menander:

Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεστιν ἔνδοθεν,
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες.
[*Et rei cuiusque pernicies intus latet,*
Hoc est ferrugo ferro, si consideres,
Tineaeque vestibus.]

Quod vero proprium erat ferri, id etiam ad aurum et argentum transtulit, non quod id fieri soleat, sed quod par saepe sit eventus. Confer locum Iob. 41: 17, Ezech. 24: 11. Χαλκὸς ἰοῦται [*aes aeruginat*] Sir. 12: 9. Et de speculo dicitur κατίωσε.

Καὶ ὁ ἰὸς αὐτῶν εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔσται, et aerugo eorum in testimonium vobis erit] De hac locutione vide ad Matth. 8: 4, 10: 18, 24: 14, Marc. 1: 44, 6: 11, 13: 9, Luc. 5: 14, 21: 13. Nonne est quod pudeat ista ita de-

tinuisse inutilia, ut et vobis et aliis perirent, quaesita praeterea saepe per iniustitiam et immisericordiam, ut iam dicet? Vide Matth. 6: 24 et ibi dicta.

Καὶ φάγεται τὰς σάρκας ὑμῶν, ὡς πῦρ· ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, et comedet carnes vestras sicut ignis; asservastis in novissimos dies] Arabs videtur legisse ὡς πῦρ, ὃ ἐθησαυρίσατε [*sicut ignis, quem asservastis*]. Non male Manuscriptus repetit vocem ὁ ἰὸς post σάρκας ὑμῶν. Φάγεται bene Graecum. Dicunt enim Graeci φάγομαι, ἔδομαι, πίομαι [*manducabo, edam, bibam*], et sic φάγεσαι, ἔδεσαι, πίεσαι, et φάγεται, ἔδεται, πίεται, pro φαγοῦμαι, ἐδοῦμαι, et sic caetera. Ex Aeolica dialecto venit hoc in usum communem. Sensus autem est: *Bona ista vestra tantam in copiam asservata extra hominum usus ut saepe inutiliter pereant, causa erunt vobis gravissimarum poenarum post tempus iudicii, plane quasi ignem in vestro malo asservassetis. Ignis* dicitur *carnes comedere*, Ps. 21: 10, Esai. 30: 27, 33: 11. Et sub *ignis* nomine solet notari ira Divina aut eius instrumenta. Θησαυρίζειν hic sume ut Rom. 2: 5. Ἐν ἐσχάταις ἡμέραις pro εἰς ἐσχάτας ἡμέρας. Ista autem locutio, cum ad Iudaeos sermo est, solet referri ad tempus excidii Hierosolymorum, et Templi, et Reipublicae: quo tempore immensa Iudaeorum millia pessime periere, maxime incendio, quod omen est iudicii universalis.

4. *Ἰδοὺ ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν τῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν, ὁ ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν, κράζει, ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat*] Non tantum illiberalem tenacitatem divitibus illis exprobrat, sed et iniustitiam contra praecepta non Christi modo, sed et Legis per Mosem datae, ut videre est Levit. 19: 13, Deut. 24: 15. Nimirum differebant mercedes operis rusticis solvere, quo diutius pecuniae incubarent et ea ad mercatum uterentur. Peccata tam aperte societatem humanam perturbantia dicuntur *ad Deum clamare*, ut videmus Gen. 4: 10, Exod. 22: 23, 27 et alibi. Recte autem dicit μισθὸν ἀπεστερημένον, quomodo לא־תעשק [*non opprimes*] Deut. 24: 14, vertitur οὐκ ἀποστερήσεις μισθόν [*non fraudabis mercedem*]: quia et *minus solvit*, ut aiunt Iurisconsulti, *qui tempore minus solvit.*

Καὶ

Καὶ αἱ βοαὶ τῶν θερισάντων εἰς τὰ ὦτα Κυρίου Σαβαὼθ εἰσεληλύθασιν, et clamor eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introivit] Sensus ex Deut. 24: 15. יהוה צבאות frequens in Sacris Literis Deum significat siderum et Angelorum, ac proinde potentissimum. Nomen Hebraeum LXX relinquere solent *Σαβαὼθ* et sic Paulus Rom. 9: 29. In illis nominibus quae Gnostici usurpabant erat *ἰγαλσαβαὼθ*, ut videre est apud Irenaeum I. 34, et Epiphanium de Haeresibus 37. Id vero est יה אל צבאות [*Dominus Deus exercituum*].

5. *Ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐσπαταλήσατε, epulati estis super terram et luxuriati*] תתענגו ותשלו. Vide Esai. 57: 3 et Ezech. 16: 49, Luc. 7: 25, 1 Tim. 5: 6. *Gaudia vestra posuistis et supra modum usurpastis in hac vita terrestri.*

Ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, enutristis corda vestra tanquam in die occisionis] *Τὰς καρδίας ὑμῶν*, id est, vosmetipsos. Sic בלבו [*in corde suo*] vertitur *ἐν ἑαυτῷ* [*in se ipso*] Exod. 4: 14, Esth: 6: 6. Et בלבך [*in corde tuo*], *ἐν σεαυτῷ* [*in te ipso*], Iob. 10: 13. Et לבבי [*in corde meo*], *ἐμαυτῷ* [*in me ipso*] Iob. 27: 6. Pro *ἐν ἡμέρᾳ* in Manuscripto est *ἐν ἡμέραις* [*in diebus*]. *Ita vos pavistis quotidie, sicut fieri solebat in diebus solenniorum conviviorum post victimas σωτηρίους* [*ob salutem acceptam oblatas*]. Ita *μετωνυμικῶς* [*per transnominationem*] sumitur נכסא, quod hic habet Syrus, respondens Hebraeo זבח, ut videre est Gen. 31: 54, Prov. 7: 14 et 17: 1. Am. 5: 25 זבחים vertitur *σφάγια* [*victimae*].

6. *Κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον, condemnastis, occidistis iustum*] Assentior iis, qui haec referunt ad interfectionem Christi ab Iudaeis procuratam. Nam et is ὁ *δίκαιος* per excellentiam dicitur Act. 3: 14, 22: 14, et ὁ *ἅγιος* [*sanctus*] 1 Ioh. 2: 20. Et recte dicuntur Iudaei id fecisse cuius non auctores tantum, sed et impulsores fuere, Act. 2: 23, 37, 3: 15, 1 Cor. 2: 8.

Οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν] Hebraeo more, verbum pro participio; *eum qui vobis nihil obstabat.* Est *λιτότης* [*extenuatio*]. Nam contra plurimum proderat, expellendo Daemonas, sanando morbos, corrigendo vitam et verbis et exemplo. *Ἀντιτάσσεται* passivum pro reciproco, quod plu-

plurimis verbis evenit, maxime vero iis quae a τάσσω [*constituo*] derivantur: deinde μετωνυμία [*transnominatio*]. Nam qui se aliis opponunt, id quaerere solent, ut eis noceant.

7. *Μακροθυμήσατε οὖν, ἀδελφοί, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου, patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini*] Verbum ἀδελφοί monstrat hic sermonem verti ad illos Israelitas qui Christi doctrinam erant amplexi, et ob id ipsum ab aliis multa mala patiebantur, ut iam attigit 2: 6, 7. Hos vult *patienter haec mala ferre* in spem rerum meliorum: id enim μακροθυμεῖν, ut Hebr. 6: 15 et alibi. Παρουσία Κυρίου videtur hic significare et iudicium Christi in gentem Iudaicam, quod et voce ἐπανελθεῖν [*redire*] indicatur Luc. 19: 15, et simul iudicium eiusdem in humanum genus universum, quae propinquis inter se temporum spatiis fore iuncta Christiani veteres suspicabantur, ideo quod nihil certi ea de re didicissent, et semper iussi essent intenti esse in ultimum illum diem qui bonos ab omni malorum vexatione erat liberaturus. Vide et 2 Thess. 2: 1. Confer Rom. 8: 23.

Ἰδοὺ ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ, ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat primorem et serotinam pluviam] *Spes alit agricolas.* Ὁ γεωργὸς, id est, *quivis agricola.* Egregie dixit τὸν τίμιον καρπὸν ἀρούρης frugem qua maxime alimur. Eius enim frugis magnus semper honos et apud Iudaeos et apud Christianos. Tertullianus de Corona: *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur.* Ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, id est, *sementalem et antemessivum*, quorum ille Hebraeis יורה vel מורה, hic vero מלקוש Deut. 11: 14, Prov. 16: 16, Ier. 5: 24, Os. 6: 3, Ioel. 2: 23, Zach. 10: 1. Ἕως ἂν hic non finem spei significat, sed tempus intercedens, quomodo et Hebraeum עד saepe sumitur. Vide Gen. 28: 15, et quae diximus ad Matth. 1: 25.

8. *Μακροθυμήσατε καὶ ὑμεῖς, patientes estote et vos*] Sub spe frugis multo maioris, irrigati interim imbre Spiritus sancti.

Στηρίξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ob firmate corda vestra]

Vos-

Vosmetipsos obfirmate, חזקו ויאמץ לבבכם [*viriliter agite et ob firmetur cor vestrum*] Ps. 31: 25.

Durate, et rebus vosmet servate secundis.

[a]*Ὅτι ἡ παρουσία τοῦ Κυρίου ἤγγικε, quoniam adventus Domini appropinquavit*] Vide quod diximus supra 7, et Phil. 4: 5, Hebr. 10: 25. Ἤγγικε sono praeteritum, sensu praesens, ut Matth. 3: 2, 4: 17, 26: 45, Rom. 13: 12, 1 Petr. 4: 7.

9. *Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων, ἀδελφοί, ne ingemite, fratres, vobis invicem*] Idem est quod supra 4: 2. *Ne invidete alii aliis.* Est enim *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Nam invidia solet alienis bonis ingemere. Respicitur autem non obscure Caini historia, qui cum fratri invideret, a Deo audiit, *quare iratus es?* Gen. 4: 6.

[a]*Ἵνα μὴ κριθῆτε, ne iudicemini*] Id est, *κατακριθῆτε* [*condemnemini*], ne Deus vos puniat, ut Cainum. Vide Rom. 1: 29, Gal. 5: 21, Tit. 3: 3.

Ἰδοὺ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν, ecce iudex ante ianuam assistit] Idem sensus, qui verborum Dei ad Cainum, *Peccatum* (id est, peccati poena) *in foribus cubat.* Etiam hoc respicit poenas Iudaicae genti iamiam imminentes.

10. *Ὑπόδειγμα λάβετε, ἀδελφοί μου, τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας τοὺς προφήτας, οἳ ἐλάλησαν τῷ ὀνόματι Κυρίου, exemplum sumite, fratres mei, vexationis et patientiae Prophetas, qui locuti sunt nomine Domini*] Ὑπόδειγμα hic est *exemplum ad quod nos ipsos fingere debemus*, ut Ioh. 13: 15. *Κακοπαθεῖν* est *malis vexari*, ut 2 Tim. 2: 9, infra 13, hinc *κακοπάθεια* Mal. 1: 13, 2 Macc. 2: 27, 28. In Glossario, *κακοπάθεια*, *vexatio*, *labor.* Utitur Cebes et alii. De his malis quae Prophetae pertulerunt vide Hebr. 11: 35—38 et ibi dicta. *Μακροθυμία* hic est *constans in adversis patientia*, ut Hebr. 6: 12. In Manuscripto hic est, *ὑπόδειγμα, ἀδελφοί, τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας ἔχετε τοὺς προφήτας* [*exemplum, fratres, vexationis et patientiae habetis Prophetas*]. Illud *ὀνόματι Κυρίου*, vel ut alii Codices plenius habent *ἐν ὀνόματι Κυρίου*, significat *Dei mandato.* Nam quanquam *Κύριος* in Novo Federe de Christo solet dici, tamen ubi agitur de rebus Veteris Testamenti, solet more

LXX Interpretum poni pro יהוה, quod legitur אדני, ut Matth. 1: 22, 2: 15, 3: 3, Act. 2: 21, 3: 22, 15: 17 et alibi.

11. Ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας, *ecce beatos praedicamus eos qui sustinent*] In Manuscripto melius τοὺς ὑπομείναντας [*eos qui sustinuerunt*], quomodo legerunt et Syrus et Latinus. *Laudamus adhuc constantiam eorum qui talia mala pertulere, beatosque eos hoc nomine praedicamus.* Μακάριος ὁ ὑπομένων [*beatus qui sustinet*] est apud Danielem 12: 12. Μακαρίζειν אשר Gen. 30: 12, Num. 24: 17, Iob. 29: 11, Ps. 41: 2 et alibi, Luc. 1: 48. Hinc μακαρισμὸς [*praedicatio felicitatis*] Rom. 4: 6, 9.

Τὴν ὑπομονὴν τοῦ Ἰὼβ ἠκούσατε, *patientiam Iobi audistis*] Amissis liberis ac bonis, torto per gravissimos dolores corpore, amicis eum calumniantibus. Est enim, ut ad Iobi librum diximus, vera haec historia, sed tractata poetice.

Καὶ τὸ τέλος τοῦ Κυρίου εἴδετε, *et finem Domini vidistis*] Est hic genitivus causae. *Vidistis*, inquit, id est, legendo cognostis, *quem exitum ei Deus dederit:* bonam ac firmam valetudinem, plurimos ac florentes liberos, famam, et honores, et divitias.

Ὅτι πολύσπλαγχνός ἐςιν ὁ Κύριος καὶ οἰκτίρμων, *quoniam misericors Dominus est et benignus*] Horum prius ad affectum referri videtur, ut et σπλάγχνα Luc. 1: 78; alterum ad actus affectui congruentes. Sensus idem Exod. 34: 6, 2 Sam. 24: 14.

12. Πρὸ πάντων δὲ ἀδελφοί, *ante omnia autem fratres*] Quia Iudaei valde proni erant ad iuramenta, nec facile evelli ea consuetudo potuit, ideo Christianos monet serio Iacobus ut meminerint eius praecepti quod Christus dedit, de quo multa diximus ad Matth. 5: 33—37 et II de Iure Belli ac Pacis 13. 21. Quae autem valde caveri volumus, ea dicere solemus *cavenda ante omnia.*

Μὴ ὀμνύετε, *ne iurate*] Nempe promittendo aliquid de re incerta. Non quod non et assertorio iuramento abstinendum sit, quantum Dei honos et Superiorum iussa id sinunt, sed quia de eo hic non agi sententiae nexus ostendit. Etiam Esseni a talibus iuramentis abstinebant, et eorum exemplo Pythagorici, nempe περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριςον τῆς ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας [*de iis*

quae

quae et utramque in partem cadere possunt, nec in quam casura sint certum est], ut ex Hierocle apertum fecimus.

Μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, neque per coelum, neque per terram] Iudaei superstitiosiores (quemadmodum ex Philone observavimus) ad vulgaria iuramenta non diserte Dei nomen usurpabant, sed res alias, ut *coelum et terram*. Sed his quoque abstineri vult Christus: nam sicut Ulpianus dixit, *eum qui per salutem suam iurat, videri Deum iurare, quia respectu Divini Numinis iurat*, ita qui coelum iurat, precatur, si fallat, coelum sibi insalubre; et qui terram, terram infrugiferam: quae omnia a Deo pendent.

Μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, neque aliud quodcunque iuramentum] Puta per Hierosolyma, per templum, per altare, per κορβᾶν [*donum Dei*], per caput suum, Matth. 5: 35, 23: 16—22.

Ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὒ, sit vestrum Est, est, et Non, non] Id est, quod verbo promittitis, id facto implete, sive id in agendo sive in non agendo consistat. *Ναὶ* et promissum significat et promissi implementum, ut videre est 2 Cor. 1: 18, 19, 21. Est igitur hic πλοκὴ, [*copulatio*], ut et in simili dicto Iudaeorum: *Iusti* אין [*ita*] *est* אין *et non est non*. Illud אין est promittentis, ut *ναὶ* vel *μάλιςα* [*maxime*] Graecis.

Ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε] *Ne inveniamini mendaces*. Sic *ne mentiar* Prov. 30: 9. Nam *ὑπόκρισις* [*simulatio*] pro *mendacio* sumitur 1 Tim. 4: 2, et *ὑποκρίνεσθαι* pro *mentiri* Prov. 16: 28, in versione Symmachi, et *ὑποκριτὴς* pro *mendace* Iob. 34: 30, 36: 13. Videtur haec locutio non bene percepta causa fuisse cur Syrus, Latinus, Arabs legerint, *ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε* [*ne in iudicium decidatis*].

13. *Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν*] *Si quis premitur adversis*. Vide supra 10.

Προσευχέσθω, oret] Exempla habes Matth. 26:39, Act. 21: 5.

Εὐθυμεῖ τις] *Si quis laetatur* ob accepta a Deo bona. Sic *εὔθυμοι γενόμενοι* [*laeti facti*] Act. 27: 36.

Ψαλλέτω, psallat] Deo gratias agat, etiam cum cantu. Vide 1 Cor. 14: 15, Eph. 5: 19. *Ψάλλειν* proprie est *fidibus canere*, sed latius sumitur apud Nostros.

14. *Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν*] Id est, *si quis* [*vestrûm*] *aegrotat.* Ita verbum hoc sumitur Matth. 10: 8, 25: 36, Marc. 6: 56, Luc. 4: 40, Phil. 2: 26, 27 et alibi saepe. Syrus כריה *in dolore est.* Respondet ea vox Hebraeae חלה, ut videre est Prov. 22: 35. Quod hic est *ἀσθενεῖν*, mox est *κάμνειν*.

Προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *advocet Presbyteros Ecclesiae*] Syrus קשישא דעדתא. Solent ad hanc rem in Oriente adhiberi Presbyteri septem.

Καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, *et orent pro ipso*] *Ἐπ' αὐτὸν*, עליו, id est, *pro ipso.*

Ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου, *ungentes eum oleo nomine Domini*] Ex instituto Christi, Marc. 6: 13. Nempe quia oleum apud Hebraeos Divinam gratiam significabat: ut et manuum impositio, quae et ipsa circa aegrotos adhiberi solebat, Marc. 16: 18, Act. 28: 8. Omnia autem ista fiebant in nominc Christi, Marc. 16: 17, Act. 3: 6, 16, 19: 13. Proculus Christianus Severum Imperatorem per oleum aliquando curavit. Testis Tertullianus ad Scapulam.

15. *Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα*] *Oratio* tam Presbyterorum quam ipsius aegrotantis, *profecta ex fide* in Christum (nam et hic genitivus causam notat), *impetrat aegroto salutem corporis:* nempe nisi aliter ei expediat ad salutem aeternam. Vide 2 Cor. 12: 9, 1 Tim. 5: 23, 2 Tim. 4: 20. *Σώζειν* hic sumitur quomodo *σώζεσθαι* Matth. 9: 21, 22, 14: 30, Marc. 6: 56 et alibi saepe.

Καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος] *Christus erit*, non Presbyter, *qui eum ex morbo eriget.* Sic Marc. 1: 31, *προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν*, הקים [*accedens eam surgere fecit*]. Locutio inde quia qui graviter aegrotant solent cubare. Hinc et Latini *surgere* dicunt eos qui sanitatem recuperant.

Κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, *et si in peccatis sit*] Quia saepe peccata morborum causae, Matth. 9: 2, Ioh. 5: 14, 1 Cor. 11: 30.

Ἀφεθήσονται αὐτῷ, *remittentur ei*] Nempe ad certum effectum, ne a morbo absorbeatur. Caeterum debebat is, qui sic erat sanatus, pro peccatorum modo poenitentiam sumere ab Ecclesia, et sumptam implere, et sic ad plenum ius communionis recipi.

16.

16. *Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, fatemini alterutri peccata*] In Manuscripto connectitur hoc cum superioribus non male hoc modo, ἐξομολογεῖσθε οὖν ἀλλήλοις τὰς ἁμαρτίας [*fatemini ergo alterutri peccata*]. Nec aliter Latinus legit. *Fatemini*, inquit, *peccata:* nempe quia efficacius orat Ecclesia pro peccatis sibi cognitis, adhibens simul idonea remedia malo, ne in id recidatur. Vide quae diximus ad Matth. 3: 6, Act. 19: 18. Adde si placet Maimonidem de Poenitentia.

Καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, et orate pro vobis invicem] In Manuscripto προσεύχεσθε. Stantes pro lapsis orate.

Ὅπως ἰαθῆτε, ut salvemini] Ut vos lapsos Deus a peccatis repurget. Non enim omnibus id contingit.

Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη, multum valet deprecatio iusti intenta] Vide Ioh. 9: 31, ubi et Graecum versum attulimus:

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος Θεός.

[*Deus ipse non est surdus ad iustas preces.*]

Et bene addidit ἐνεργουμένη, id est, *intenta*; *efficax*, *non languida*. Est enim more Hebraeo participium pro verbali ἐνεργής, 1 Cor. 16: 9, Philem. 16, Hebr. 4: 12.

17. *Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, Elias homo erat similis nobis*] Et morti et vitae malis obnoxius, non minus quam nos. Idem nomen ὁμοιοπαθεῖς habemus Act. 14: 15 et Sap. 7: 3. Utitur Plato, Aristoteles, Theophrastus.

Καὶ προσευχῇ προσηύξατο, et oratione oravit] Id est, *intente oravit*, ἐνεργῶς. Nam verbis addita verbalia apud Hebraeos vehementiam significant.

Τοῦ μὴ βρέξαι, ne plueret] *Τοῦ*, id est, ἕνεκα τοῦ. In Scriptura tantum habemus praedictam ab Elia ἀνομβρίαν [*siccitatem*] et deinde imbrem. Sed traditio addidit factum hoc ad ipsius preces, et est id per se credibile. Nam et cultus Baalis passim receptus viro pleno ardoris pro Deo (talem enim eum fuisse tota ostendit historia) extorsit poenae postulationem, et contra populo ad meliora mutato facile et ipse ad mitiora se vertit.

Καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς, et non pluit super terram] In terris decem tribuum. Huius ἀνομβρίας [*siccitatis*] in Phoenicum historia meminit Menander, ut Iosephus nos docet VIII. 7.

Ἐνι-

Ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ, *annos tres et menses sex*] Sic et Luc. 4: 25. Ubi quae a nobis dicta nihil opus hic repeti.

18. *Καὶ πάλιν προσηύξατο, καὶ ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε, et rursum oravit, et coelum dedit pluviam*] 1 Reg. 18: 45.

Καὶ ἡ γῆ ἐβλάστησε τὸν καρπὸν αὐτῆς, et terra dedit fructum suum] Ἀνομβρία [*siccitas*] enim causa fuerat deliquii frugum, ut videmus 1 Reg. 18: 2. Adde Deut. 28: 12, 23, 24. Contra pluvia tempestiva causa foecunditatis, Esai. 30: 23 et supra 7.

19. *Ἀδελφοί, ἐάν τις ὑμῶν πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, fratres, si quis ex vobis erraverit a via veritatis*] *Viam veritatis* vocat illam vitae rationem quam praescribit Euangelium, quod eminenter *veritas* dicitur Rom. 15: 8, 2 Cor. 4: 2, 6: 7, Gal. 2: 5, 14, 3: 1, 5: 7, Eph. 1: 13, 4: 24, Col. 1: 5, 2 Thess. 2: 10, 12, 13, 1 Tim. 2: 5, 3: 15, hic supra 1: 18, 1 Petr. 1: 22.

Καὶ ἐπιστρέψῃ τὶς αὐτόν, et converterit quis eum] Si quis eum bonis monitis abducat ab iniustitia, ab invidia, ab odio, a facilitate iurandi et similibus. Sensus mysticus praecepti quod est Deut. 22: 1.

20. *Σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, salvabit animam a morte*] In Manuscripto τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*animam eius*]. Causa erit salutis ei qui peccaverat. Par locutio Rom. 11: 14, 1 Tim. 4: 16, Iud. 23. Recte autem *a morte eripi* dicitur non tantum qui primum ad Christianismum perducitur, sed et qui a vita vitiosa ad vitam Christianismo convenientem reducitur. Vide exemplum 1 Cor. 3: 15.

Καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν, et operiet multitudinem peccatorum] Efficiet ut illa iam conversi peccata priora Deus dissimulet, et quasi extra conspectum suum ponat. *Καλύπτειν* כסא est *condonare*, ut videre est Ps. 32: 1, ubi in Graeco, ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι [*quorum tecta sunt peccata*]. Hoc sensu vir sapiens dicitur *tegere aliorum peccata* in Thalmude titulo Balthra, sectione 8.

A N-

ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM PETRI

PRIOREM.

CAPUT I.

1. *Πέτρος*] Idem nomen quod *Κηφᾶς*, sicut idem nomen *Θωμᾶς* et *Δίδυμος*. Habet haec Epistola τὸ σφοδρὸν [*vehemens dicendi genus*], conveniens ingenio Principis Apostolorum.

Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, Apostolus Iesu Christi] Non solent in Epistolarum initiis hanc suam dignitatem, sane maximam, omittere Apostoli, ut inde etiam scriptis ipsorum sua constet, eaque maxima, auctoritas.

Ἐκλεκτοῖς, electis] Christianis, ut Rom. 8: 33, 16: 13, Col. 3: 12, 2 Tim. 2: 10, Tit. 1: 1, infra 2: 6, 9. Iudaeis scilicet; nam illis praecipue destinatus erat Petrus. Est titulus sumptus ex Veteri Testamento, in quo Israelitae בחירים *ἐκλεκτοὶ* Esai. 65: 9 et alibi. Ideo Apostoli idem nomen, et certe multo meliori iure in Christum credentibus aptarunt, quo Deus sibi seposuit ad multo maiorem sanctimoniam, ut iam sequetur. Vide Ioh. 15: 19.

Παρεπιδήμοις] תושבים. Ea enim vox sic vertitur Gen. 23: 4 et Ps. 39: 13. Significat *peregre habitantibus.* Vide Hebr. 11: 13. Sic ut infra 2: 11.

Δια-

Διασποράς, dispersionis] Sic vocantur loci omnes in quibus Israelitae extra patriam vivebant, quocunque tempore, quacunque occasione illae migrationes evenissent, sive in bellis, ut per Tiglathphalasarum, Salmanasarem et Nabuchodonosorum, sive ad vitanda mala interna, quibus de causis multi et in Syriam et in Aegyptum et in alia loca Romani imperii concessere. Nec omittenda hic illa dispersio quae post Stephani mortem evenerat: de quibus verbum *διασπαρέντες* [*dispersi*] usurpat Lucas Act. 8: 4 et 11: 19. Hi sunt נדחי [*expulsi*] Esai. 56: 8. Vide et quae diximus ad Iac. 1: 1.

Πόντου] Ex hac primum nominata regione Epistola haec dicitur *ad Ponticos*, quomodo eam appellant Tertullianus, et eum in multis sequens Cyprianus. Sunt autem omnes quae hic nominantur regiones Romani imperii, non Parthici, in quo erat Babylon. Falli puto eos qui aut duas tantum putant dici *διασποράς* [*dispersiones*], aut Babylonem putant fuisse caput eorum Iudaeorum qui erant per Asiam parentem Romanis. Media, Hyrcania, et longius sita erant sub Patriarcha Babyloniensi; at Aegyptus, Libya, et eis proxima, sub capite Synedrii Alexandriae. Alii erant omnes sub *principe*, id est נשיא, Hierosolymitarum, qui postea Tiberiade consedit. In Colchis iam olim quidam fuere gentis Israeliticae ex deportatione Salmanasaris et Nabuchodonosori, ut diximus in Annotatis ad librum primum pro veritate Religionis Christianae. Sed hic de Iudaeis agitur de quibus et Act. 2: 9, ubi et *Cappadociae* et *Asiae*, eius scilicet in qua Ephesus, mentio. Omnes isti non Chaldaica versione utebantur, sed Graeca, et ea lingua eos allocutus est Paulus. Apud Philonem Agrippa de Hierosolymis: *Μητρόπολις δὲ οὐ μιᾶς χώρας Ἰουδαίας, ἀλλὰ κατὰ τῶν πλείςων, διὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἔξω ἔπεμψεν, εἰς τὰς μὲν ὁμόρους, Αἴγυπτον, Φοινίκην, Συρίαν, τήν τε ἄλλην καὶ τὴν Κοίλην προσαγορευομένην· εἰς δὲ τὰς πόῤῥω διῳκισμένας, Παμφυλίαν, Κιλικίαν, τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας ἄχρι Βιθυνίας καὶ τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν* [*Metropolis est non unius Iudaeae, sed plurimarum praeterea aliarum regionum, ob colonias inde deductas, partim in finitima, Aegyptum, Phoenicem, Syriam cum reliquam, tum eam quae Coele dicitur: partim in longe dis-*

dissita, Pamphyliam, Ciliciam, Asiae pleraque Bithyniam usque et ultimum Pontum]. Deinde multis interiectis venit ad loca trans Euphratem: Babylone autem suo tempore nullos ait fuisse Iudaeos.

Γαλατίας] In qua multi Iudaei, ut ex Epistola Pauli ad Galatas apparet.

Καππαδοκίας] Vide dictum locum Actorum.

Ἀσίας] Ioniae, in qua Ephesus. In qua regione plurimi Iudaei; Iosephus XII. 3, XIV. 17, in Dolabellae edicto, et XVI. 3, ubi in Ioniae urbibus ingentem ait fuisse Iudaeorum multitudinem. Vide locum quem diximus in Act. et 6: 9, et eodem libro 14: 2, 8, 19: 10, 13, 33.

Καὶ Βιθυνίας] Bithynia vicina Ponto, Galatiae et Asiae sic peculiariter dictae. Vide Geographos.

2. *Κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ Πατρὸς, secundum antecedens decretum Dei Patris*] Hoc per traiectionem referendum ad illud *ἐκλεκτοῖς* quod praecessit. *Πρόγνωσις* autem hic non *praescientiam*, sed *antecedens decretum* significat, ut et Act. 2: 23. Idem sensus qui Eph. 1: 4.

Ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, in sanctificationem Spiritus] Id est, *εἰς ἁγιασμὸν πνεύματος*, quomodo accepit et Latinus. Ita nos *selegit* et amavit, *ut etiam per Spiritum suum nos sanctificaret*. *Πνεύματος*, genitivus causam denotans.

Εἰς ὑπακοὴν, in obedientiam] Qui Spiritus facit ut multo quam ante excellentius Deo obediamus.

Καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, et adspersionem sanguinis Iesu Christi] Non agitur hic de remissione peccatorum, quae donum Spiritus sancti praecedit. Sed est hic rursus genitivus causae. Vide Rom. 3: 25, 5: 9, Eph. 1: 7, 2: 13, Col. 1: 19, Hebr. 9: 19, 10: 19, 29, 12: 24, 13: 12. Sed vox *ῥαντισμοῦ* sumpta est ex Lege Mosis, ubi et populus et Sacerdotes, antequam in Sanctuarium terrestre intrarent, humore quodam adspersi sunt, Exod. 24: 8, Num. 31: 23. Sic et nos, ut in Sanctuarium coeleste intremus, *adspergi* debemus *Christi sanguine*, id est, eius exemplum in perpessionibus sequi. Hebr. 12: 24 *αἷμα ῥαντισμοῦ* [*sanguis adspersionis*] dicitur sanguis Christi per genitivum effecti, hic vero ipse *ῥαντισμὸς αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ*, per genitivum efficientis; quia

quia illa *sanctificatio*, id est, ius intrandi in Sanctuarium coeleste, non contingit nobis nisi per sanguinem Christi, qui nobis pro exemplari et passionis et gloriae proponitur.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη] *Et favor Dei et inde procedens prosperitas vobis crescat in dies.* Eadem precatio iisdem verbis 2 Petr. 1: 2, et prope iisdem verbis Iud. 2. Apud Paulum quoque 1 Cor. 1: 3 et aliis locis plurimis. Similis precatio Num. 6: 24—26.

3. *Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi*] Frequens gratias agendi formula, 2 Cor. 1: 3, Eph. 1: 3, simile Dan. 2: 20.

Ὁ κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος, qui secundum misericordiam suam magnam] Similia habes Eph. 2: 4. כרוב חסדו.

Ἀναγεννήσας ἡμᾶς, regeneravit nos] Utitur hac voce et infra 23. *Γεννᾶσθαι ἄνωθεν* dixit Iohannes 3: 3, de quarum vocum sensu et voce *παλιγγενεσίας* [*regenerationis*] ibi diximus. *Fecit nos homines alios* longe verius, quam id olim de Saule dictum 1 Sam. 10: 6. Dicitur Deus et populum Israelis *genuisse* cum eum fecit populum liberum, Deut. 32: 18. At haec generatio multo excelsior ad res aeternas, ut sequitur.

Εἰς ἐλπίδα ζῶσαν, in spem viventem] Illa vita hic nova spem in nobis excitat *viventem*, id est, vivificantem, nempe in aeternum. Idem loquendi genus observavimus Ioh. 6: 51, Hebr. 10: 20. Syrus hic, *in spem vitae.*

Δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis] Nam illa Christi resurrectio et rem ostendit esse possibilem, et simul ostendit ipsum esse veracem qui nobis resurrectionem promisit. Nam quorsum alioqui Deus ipsum resuscitasset? an ad omnes homines fallendos? Minime id convenit Dei veritati. Eadem de causa resurrectionis Christi fit mentio infra 21, et 3: 21.

4. *Εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον*] Obiectum et effectum illius spei est *hereditas*, id est possessio firma, נחלה (de hac voce vide Act. 20: 32, Gal. 3: 18, Eph. 1: 14, 18, Col. 3: 24, Hebr. 9: 15), *quae neque perire potest, neque extrinsecus foedari, neque intus*

tas marcescere. Vocem ἄφθαρτον habemus et 1 Cor. 9: 25, 15: 52, et ἀφθαρσίαν 1 Cor. 15: 42, 50, 53, 54, 2 Tim. 1: 10; idem valet לא תתחבל [*non corrumpetur*] Dan. 2: 44. Ἀμίαντος Hebr. 7: 26, Iac. 1: 27, et μιαίνειν de morbis dici solet, ut notavimus Hebr. 12: 15. Ἀμάραντον habemus Sap. 6: 13, et eodem sensu ἀμαράντινον infra 5: 4, et verbum μαραίνεσθαι Iac. 1: 11, מכן Iob. 24: 24.

Τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς εἰς ὑμᾶς, quae vobis in coelis conservatur] Id est, ὑμῖν, לכן, quomodo hoc vertunt Syrus et Arabs. Τηρεῖσθαι hic quod ἀποκεῖσθαι [*reponi*] 2 Tim. 4: 8 et Col. 1: 5. Pari modo τηρεῖν de poena dicitur, 2 Petr. 2: 17.

5. *Τοὺς ἐν δυνάμει Θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως, qui virtute Dei custodimini per fidem*] Per fidem obtinuistis Spiritum Sanctum qui vos custodit in Dei gratia. Spiritus sanctus δύναμις Θεοῦ dicitur Luc. 24: 49.

Εἰς σωτηρίαν ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ] Dei in vos benevolentia huc tendit ut adipiscamini *salutem quae patebit in ultimo die.* Ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι עתיד לתגלות [*paratam revelari*].

6. *Ἐν ᾧ ἀγαλλιᾶσθε, qua de re exsultatis*] Illud ᾧ non ad unum nomen, sed ad totam rem refertur. Illa magna bona exspectata *vos perfundunt gaudio*, Matth. 5: 12. Sic et infra 8 est ἀγαλλιᾶσθε in indicativo.

Ὀλίγον ἄρτι (εἰ δέον ἐστὶ) λυπηθέντες ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς] *Gaudio*, inquit, vos ista perfundunt; *quanquam etiam nunc ad tempus aliquod* (nempe dum brevis haec vita durat), *si res ita ferat, tristitiam sentiatis ex variis tentationibus*, quas nobis inferunt et Gentes incredulae et Iudaei. Ἄρτι *nunc* recte vertitur: Matth. 26: 29, Ioh. 13: 7, 33, 16: 12, 1 Cor. 4: 11 et alibi. Ὀλίγον *aliquantisper*, ut Marc. 6: 31. ברגע קטן Esai. 54: 7.

7. *Ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, ut exploratio vestrae fidei*] Id est, τῆς πίστεως ὑμῶν, plane ut Iac. 1: 3. *Exploratio fidei vestrae*, nempe per illas tentationes.

Πολὺ τιμιώτερον χρυσίου, multo pretiosior auro] Id est, τοῦ δοκιμίου τοῦ χρυσίου [*exploratione auri*], quale illud, *Omnium triumphorum lauream adepte maiorem*, id est, laureâ omnium triumphorum. Quia illa exploratio ad exiguum tempus est utilis, haec in aeternum.

Τοῦ ἀπολλυμένου] Id est, *quod aliquando periturum est.* Atteritur enim aurum abscedentibus latenter ramentis.

— *Consumitur annulus usu.*

Διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, et tamen per ignem exploratur] Etiam illa res non semper duratura tamen ignibus exploratur, ut magis eniteat: Iob. 23: 10, Prov. 17: 3, Mal. 3: 3. *Δοκιμαζομένου* מזקק 1 Par. 28: 18, 29: 4, ubi Graeci *δοκίμου.*

Εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον καὶ τιμὴν καὶ δόξαν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριςοῦ] Tunc illa exploratio summo vobis *honori, laudi gloriaeque cedet, cum Christus apparebit. Ἀποκαλύπτεσθαι* eodem sensu habemus Luc. 17: 30. Multas voces congessit Petrus ut rei magnificentiam declararet. Sic et Eph. 1: 6, 12, 14, Phil. 1: 11 et Rom. 2: 29.

8. *Ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε, quem cum non noveritis, amatis*] Multum est amare eum quem de facie non noveris.

Εἰς ὃν ἄρτι, μὴ ὁρῶντες, πιςεύοντες δὲ, ἀγαλλιᾶσθε, in quem nunc quoque, non videntes, sed credentes exsultatis] Neque illum in terris agentem vidistis, neque nunc eius gloriam conspicitis, sed creditis, et credendo gaudetis. *Εἰς ὃν* ad *πιςεύοντες* pertinet: *μὴ ὁρῶντες*, obiter insertum.

Χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ] *Gaudio*, quod verbis exprimi nequit, *ineffabili.* Sic *ἀλαλήτοις* habes Rom. 8: 26, *ἀνεκδιηγήτῳ* 2 Cor. 9: 15.

Καὶ δεδοξασμένῃ] Id est, gaudio *summa laude digno.* Syrus hoc sensu משבחתא, Hebraice dicas נאדרי, ut Exod. 15: 6.

9. *Κομιζόμενοι, reportantes*] Pro *κομισόμενοι* [*reportaturi*]. Sed praesenti tempore uti maluit ob rei certitudinem. *Κομίζεσθαι* in sensu praemii habemus et 2 Cor. 5: 10, Eph. 6: 8, Col. 3: 25, Hebr. 10: 36, 11: 39.

Τὸ τέλος τῆς πίςεως ὑμῶν, finem fidei vestrae] Id est, *mercedem.* Mercedem, quia in fine operis datur, Hebraei vocant אחרית [*postremum*], ut Ier. 29: 11, item עקב quod *calcem* significat, Ps. 19: 11, ubi in Graeco *ἀνταπόδοσις* [*retributio*]. Idem plane significat פורענא, quod hic prorsus Syrus.

Σωτηρίαν ψυχῶν, salutem animarum] Salutem vestram, quae *περιποίησις ψυχῆς* [*acquisitio animae*] Hebr. 10: 39. *Σῶσαι ψυχὴν* [*servare animam*] habes apud Iacobum 5: 20.

10.

10. *Περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν προφῆται, de qua salute exquisiverunt atque scrutati sunt Prophetae*] Viderunt aliquid magni in nostra sera tempora reservari; sed quale id esset, non potuerunt pervidere. Idem sensus Luc. 10: 24. Longe illud a suis temporibus abesse vidit Moses Deut. 32.

Οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες, qui de futura vobis gratia vaticinati sunt] Praedixerunt bona illa quae nobis evenere, sed sub umbris victoriarum de Gentibus, liberationis e Babylone et ab Antiocho: pauci directe, et pauca.

11. *Ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ προμαρτυρόμενον, scrutantes quod vel quale tempus designaret, qui in iis, Spiritus Christi praedicens*] Danielem maxime indicat, qui tempus ab Angelo inquisivit, ut videre est Dan. 9: 22, 23. *Quod tempus*, id est, qua annorum hebdomade; *quale tempus*, id est, libero populo, an serviente, an semilibero. *Spiritum Christi* vocat ex obiecto, Spiritum res Christi praesignificantem, et qui Christi causa ipsis erat datus. Barnabas fine Epistolae: *Prophetae ab ipso habentes donum in illum prophetaverunt. Ἐδήλου προμαρτυρόμενον, praedicendo designabat.*

Τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, Christi supplicia] *Εἰς Χριστὸν*, rectius pro *Χριστῷ*, ut modo *εἰς ὑμᾶς*. Et subauditur *ἀποβησόμενα* [*ventura*]. Praesignificant Prophetae *Christum passurum multa*, Luc. 24: 25, 26, Act. 26: 23. Sed alii obscurius, alii clarius. Hebraei haec vocant חבלי משיח [*gravissimos Messiae dolores*].

Καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, et post haec gloriam] Resurrectionem Christi, adscensum in coelum, missionem Spiritus Sancti, Gentium vocationem.

12. *Οἷς ἀπεκαλύφθη, ὅτι οὐκ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ διηκόνουν αὐτά, quibus revelatum est, se non sibi ipsis, sed vobis eas res administrasse*] Non patefacta illis est res tota, sed hoc intellexere, se *eas administrasse*, id est, praedixisse (nam omnis verbi Divini annuntiatio est *διακονία* Act. 6: 4, Rom. 11: 13, 2 Cor. 4: 1, 5: 18, 1 Tim. 1: 12, 2 Tim. 4: 5) *quae eventurae erant non ipsorum sed vestro tempore.* Magnus sane honor, quod Prophetae non sibi sed no-

nobis inserviere. Viderunt per transennam quae nos clare conspicimus. In Manuscripto: *Οἷς ἀπεκαλύφθη αὐτὰ οὐκ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ διηκόνουν* [*Quibus ea non sibi ipsis sunt revelata, vobis vero ministrabant*]. Sed praefero id quod Latinus hic sequitur.

Ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν Πνεύματι ἁγίῳ ἀποςαλέντι ἀπ' οὐρανοῦ, quae nunc nunciata sunt vobis per eos qui Euangelium communicarunt vobiscum per Spiritum Sanctum coelitus missum] Res illae magnae nobis plene explicatae sunt per Apostolos et eorum adiutores, coelitus donatos Spiritu Sancto, id est; donis maioribus quam ipsi Prophetae habuere, et de quibus ipsi Prophetae sunt locuti, ut Ioel. 2: 28. *Ἀναγγέλλειν* vox valde accommodata huic rei, Act. 14: 27, 15: 4, 20: 27, Rom. 15: 21, 1 Ioh. 1: 5. חוה *εὐαγγελίζειν* aut *εὐαγγελίζεσθαι* sensu activo non raro apud nostros Scriptores accusativum personae regit vice dativi, Luc. 3: 18, Act. 8: 25, 40, 13: 32, 14: 15, 21, Gal. 1: 9. Spiritus *mitti* dicitur, ut Luc. 24: 49, Ioh. 14: 26, 15: 26, 16: 7.

Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι] *Ἃ* hic significat omnes res istas de quibus egerat; *quas Angeli ipsi*, antea non percognitas, *cum summo gaudio nunc adspiciunt.* Ita accepit et Irenaeus IV. 67, *Ea quae praedicta sunt bona, in quae concupiscebant Angeli intendere. Παρακύπτειν* enim hic sumitur, ut Iac. 1: 25. *Ἐπιθυμοῦσιν* תאב, id est, *amant*, quomodo Ps. 119: 20, 40 et alibi saepe. *Angelos proficere per homines* vetus est Hebraeorum sententia apud Rabbinum Israelem de Anima cap. 1. Est autem iterum in his verbis allusio ad Cherubinos quorum oculi versus *ἱλαςήριον* [*propitiatorium*] spectabant.

13. *Διὸ, propter quod*] Cum tantus vobis honor destinatus sit ut noritis quae Prophetae non perviderunt, et ex vestris successibus ipsi Angeli fiant doctiores.

Ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, accincti lumbos mentis vestrae] Solent membra et actus corporis transferri ad animum. *Accingi lumbos* solent qui se ad corporale aliquod ministerium parant; de qua re vide dicta Luc. 12: 35, Eph. 6: 14. Specialiter autem respicitur hic ritus Paschalis Exod. 12: 11. Sensus est, Estote attenti.

Νή-

Νήφοντες, sobrii] Id est, animum habentes minime perturbatum. Vide 1 Thess. 5: 6, 8, 2 Tim. 4: 5.

Τελείως ἐλπίσοντες, semper sperantes] Id est, *ad finem usque*, ut Indith. 11: 5. לנצח. Vide Matth. 10: 22.

Ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ, eam, quae apportatur vobis, gratiam in revelatione Iesu Christi] Est hic primum traiectio pro *εἰς τὴν χάριν τὴν φερομένην ὑμῖν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Deinde *χάρις* ponitur pro summo effectu Divinae benevolentiae, id est, vita aeterna. Idem *χάρισμα* Rom. 6: 23. Sunt inter se *ἀντίστροφα* [*reciproca*], *φέρειν* et *κομίζειν*. Quae Deus nobis *apportat*, nos *reportamus*. *Ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ* hic sume ut supra 7.

14. *Ὡς τέκνα ὑπακοῆς, ut filii obedientiae*] בני משמע. Sic *τέκνα φωτὸς* [*filii lucis*], Eph. 5: 8. Sic ad illud *πίστεως* [*fidei*] subaudiri *τέκνα* diximus Hebr. 10: 39. Contra *τέκνα ὀργῆς* [*filii irae*] habemus Eph. 2: 3, et *κατάρας* [*maledictionis*] 2 Petr. 2: 14.

Μὴ συσχηματιζόμενοι ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν ἐπιθυμίαις, non conformati ad priora ignorantiae vestrae cupidines] Sic *μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ* [*nolite conformari huic seculo*], Rom. 12: 2. Bene autem distinguit tempora Ignorantiae a temporibus Notitiae. Alia haec aetas alios mores exigit. Idem sensus 5: 8 et seq. Vide et Ioh. 9: 39 et Act. 17: 30, Eph. 4: 18. Tunc vixerant ut cupido dictabat, Eph. 2: 3, nunc ut Christus docuit.

15. *Ἀλλὰ κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον, καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε, sed uti is, qui vocavit vos, sanctus, et ipsi in omni negotio sancti sitis*] Deum hic indicari *Sancti* nomine ostendunt sequentia. Et saepe vocem *Sancti* sic usurpat Esaias. Vocatio autem nostra saepe Deo Patri Christi adscribitur, ut causae principi, Rom. 9: 11, 24, 1 Cor. 7: 15, Gal. 1: 6 et alibi. De voce *ἀναστροφῆς* vide ad Hebr. 13: 7, Iac. 3: 13.

16. *Διότι γέγραπται· Ἅγιοι γένεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι, quoniam scriptum est, Sancti estote, quia ego sanctus sum*] Lev. 11: 44 et 19: 2. Si hoc dictum Israelitis illo tempore, quanto magis hoc tempore plus sanctitatis requirente? In Manuscripto pro *γένεσθε* est *ἔσεσθε* [*eritis*], quomodo apud LXX duobus Levitici locis.

17. *Καὶ εἰ πατέρα ἐπικαλεῖσθε, et si Patrem invocatis*] Nempe per Christum.

Τὸν ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα κατὰ τὸ ἑκάςου ἔργον, eum qui sine respectu personae iudicat secundum uniuscuiusque opus] Nempe ut det aut auferat Spiritum suum. *Ἀπροσωπολήπτως* iudicat, Iob. 34: 19. Non magis vos excusatos habebit quam e Gentibus natos, Act. 10: 34, Rom. 2: 11, Eph. 6: 9, Col. 3: 25. *Ἔργον*, singulare pro plurali, ut Iac. 1: 4, 25. Sic Iob. 34: 11, כי פעל אדם ישלם לו [*opus enim hominis reddet ei*], ubi Graeci, *ἀποδιδοῖ ἀνθρώπῳ καθὰ ποιεῖ.*

Ἐν φόβῳ] *Cum Dei reverentia summa*, Eph. 6: 5, Phil. 2: 12.

Τὸν τῆς παροικίας ὑμῶν χρόνον ἀναςράφητε, incolatus vestri tempus versamini] Solatur eos quod peregre habitent, significans omnes homines hic esse peregrinos. Hac de re vide quae attulimus ad Hebr. 11: 13 et seqq. *Τὸν χρόνον* accusativus durationis. *Παροικία* מגור, Ps. 55: 16, 119: 54. Latine *incolatus.*

18. *Εἰδότες*] *Considerantes*, ut Act. 23: 5.

Ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ, quod non rebus corruptibilibus, argento vel auro] Vide supra 7.

Ἐλυτρώθητε, redempti estis] נגאלתם. Idem verbum in eodem sensu Tit. 2: 14, et nomen *λυτρώσεως* [*redemptionis*] Hebr. 9: 12.

Ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναςροφῆς πατροπαραδότου] *Ex observatione rituum*, animo non emundato, *quam* sufficere ad salutem *Patres vestri*, id est magistri, *vos docuerant.* Sic *Patris* nomen sumitur 1 Cor. 4: 15. Hinc פרקי אבות [*fragmenta Patrum*].

19. *Ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι, ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου, Χριςοῦ, sed pretioso sanguine, tanquam agni immaculati et incontaminati, Christi*] Magna res sit oportet ob quam Deus Filium suum morti dederit. Ideo liberatio nostra saepe tribuitur *sanguini Christi*, Eph. 1: 7, 2: 13, Col. 1: 14, 20, Hebr. 9: 14, 10: 19, aut etiam *vitae* ipsius, nempe ob nos amissae, Matth. 20: 28, 1 Tim. 2: 6, aut etiam *morti* ob nos toleratae, Rom. 5: 10, Col. 1: 22, Hebr. 2: 14. Agnus Paschalis debebat esse תמים *perfectus*, Exod. 12: 5, *πρόβατον λευκὸν* [*pecus candidum*] in Graeco.

Ad

Ad id requirebatur ut nulla pars necessaria ei deesset, neque vero alia notabilis in eo aliqua esset deformitas. Ad illud refertur *ἄμωμον*, ad hoc *ἄσπιλον*. Christus vere *agnus Paschalis*, id est, id quod per illum agnum significabatur. Per illum liberati sumus a servitute, et ab Angelo vastante, Ioh. 1: 29, 1 Cor. 5: 7, et fuit is *sine peccato*, Ioh. 8: 46, infra 2: 22.

20. *Προεγνωσμένου μὲν πρὸ καταβολῆς κοσμοῦ, praedestinati quidem ante mundi constitutionem*] Iam a mundi initio Deus Christum mittere destinaverat. Vide quae diximus ad Ioh. 17: 5. *Προγινώσκειν* hic sume ut *πρόγνωσιν* supra 2.

Φανερωθέντος δὲ] *Ostensi mundo.* Sic et *ἐπιφᾶναι* dicitur Luc. 1: 79. Vide Ioh. 1: 31 et 1 Tim. 3: 16.

Ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων, novissimis temporibus] Id est, *tandem*, post longam exspectationem, באחרית הימים. Sic Hebr. 1: 1. Vide 2 Tim. 3: 1, Iud. 18. In Manuscripto, *ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων*, quomodo *ἐπ' ἐσχάτου τῶν καιρῶν*, Num. 24: 14.

Δι' ὑμᾶς] *Vestro bono.*

21. *Τοὺς δι' αὐτοῦ πιςεύοντας εἰς Θεὸν τὸν ἐγείραντα αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ δόξαν αὐτῷ δόντα*] Apparet id factum vestro bono: nam *per eum firmiter credidistis in Deum* Patrem, non ut qui vos liberaverit ex Aegypto aut Babylone, sed ut *qui Christum a morte liberaverit summaque gloria auxerit*, ut illo auctore eadem bona et vos acciperetis. De illa evectione Christi vide Phil. 2: 9, 10, Hebr. 2: 9, 10.

Ὥςε τὴν πίςιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς Θεὸν, ut fides vestra et spes esset in Deum] Frustra populares vestri vobis obiiciunt, vos, quia in Christum fidem et connexam fidei spem collocatis, Deo deficere. Nam illa ipsa fides vestra et spes per Christum in eum Deum tendit, cuius illi se cultores profitentur.

22. *Τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες, animos vestros purgantes*] Agitur hic non de prima illa purgatione, sed de exactiore, ut sequens mentio *Spiritus* monstrat. Vide Ioh. 13: 10, 15: 2, 3.

Ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας] Id est, *εἰς τὴν ὑπακοὴν τῆς ἀληθείας, ut magis magisque Euangelio obediatur.* Euange-

gelium enim eximie vocatur *ἀλήθεια* [*veritas*]. Vide Iac. 5: 19.

Διὰ πνεύματος] *Per Spiritum* Dei exactissime purgantem etiam affectus. Deest hoc in Manuscripto non minus quam in Latino et Syriaco.

Εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον] In humanis amicitiis multum est simulationis: sincera ac sine fuco illa est quae per Christum et propter Christum coalescit. *Φιλαδελφίας* vox apparet etiam Rom. 12: 10, 1 Thess. 4: 9, Hebr. 13: 1, 2 Petr. 1: 7. *Ἀνυποκρίτου* vero Rom. 12: 9, 2 Cor. 6: 6, quibus in locis *ἀγάπη* idem quod hic *φιλαδελφία* [*fraternus amor*]. Latinus *εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον* non male vertit *amore simplici*.

Ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς, ex puro corde vos invicem vehementer diligite] Facite ergo quod Spiritus suadet. Sic *ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας* [*dilectio ex puro corde*] exigitur 1 Tim. 1: 5, adde Matth. 5: 8, 2 Tim. 2: 22. In Manuscripto tantum est *ἐκ καρδίας*, quomodo Rom. 6: 17, et ita legit Latinus. *Ἐκτενῶς, vehementer, non perfunctorie.* Sic *ἀγάπην ἐκτενῆ* habemus et infra 1 Petr. 4: 8, *προσευχὴν ἐκτενῆ* [*preces assiduas*] Act. 12: 5.

23. *Ἀναγεγεννημένοι, renati*] Vide supra 3.

Οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, non ex semine mortali] Semen hominis mortalis non gignit nisi ad vitam mortalem.

Ἀλλὰ ἀφθάρτου] Nempe *σπορᾶς* et *ἀφθάρτου* intellige effective, *ex semine ducente ad vitam immortalem*, quomodo *ἐλπίδα ζῶσαν* [*spem vivam*] habuimus supra 3.

Διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum] In Manuscripto, *Θεοῦ ζῶντος*, ut apertum sit *ζῶντος* cum voce *Θεοῦ*, non cum voce *λόγου*, hic coniungi. Sumpta enim verba ex Dan. 6: 26, ubi in Graeco, *αὐτός ἐςι Θεὸς ζῶν καὶ μένων*, [*ipse est Deus vivus et permanens*]. Non mirum est si ad immortalitatem ducit semen quod proficiscitur a Deo, qui semper vixit victurusque est. Deum *satorem* vocare frequens apud Hebraeos ut diximus ad Matth. 13: 4, ubi ostendimus etiam a Graecis verbum doctrinae comparari semini.

24. *Διότι πᾶσα σὰρξ ὡς χόρτος, quia omnis caro ut foe-*

foenum] Sensus idem Sir. 14: 18. Nec dissidet Homericum illud:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιῆδε καὶ ἀνδρῶν,

[*Est similis plane foliis humana propago*],

laudatum Simonidi. *Caro* enim hoc loco *hominem* significat, *χόρτος herbam*.

Καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου ὡς ἄνθος χόρτου] *Omne id quod in rebus humanis magnificum ducitur*, forma, vires corporis, eruditio humana, divitiae, honores, *ita sunt ut herbae viror*. Nam id esse *ἄνθος χόρτου* [*flos foeni*] diximus ad Iac. 1: 11.

Ἐξηράνθη ὁ χόρτος, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, exaruit foenum, et flos eius decidit] Prope eadem verba habet Iacobus dicto loco; ut appareat fuisse haec proverbio usurpata. Vide ad Iacobum dicta.

25. *Τὸ δὲ ῥῆμα Κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα, verbum autem Domini manet in aeternum*] Ex Esai. 40: 8, ubi haec sententia illam ipsam quae hic praecessit sequitur. Idem sensus Ps. 119: 89.

Τοῦτο δέ ἐςι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, hoc est autem verbum quod vobis annunciatum est] Rursus *εἰς ὑμᾶς* pro *vobis*, לכן, ut supra 4. Vult dicere, illa verba Esaiae sensum habere excellentissimum si intelligantur de Euangelio: nam et alia Dei verba *manent* quidem, id est, a Deo non retractantur, sed solum Euangelium fructum producit vere aeternum. In Manuscripto brevius, *τοῦτο δέ ἐςιν εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς*.

CAPUT II.

1. *Ἀποθέμενοι οὖν πᾶσαν κακίαν, deponentes igitur omnem malitiam*] Verbum *ἀποτίθεσθαι* in pari sensu habemus Eph. 4: 22, 25, Col. 3: 18, Iac. 1: 21. *Κακία* alibi nomen generis, hic speciei, ut Latinum *malitia*. Sic Rom. 1: 29, 1 Cor. 5: 8, Eph. 4: 31, Col. 3: 8, Tit. 3: 3. Arabs شرور. Illa maxime notat vitia quae inter Iudaeos latissime regnaverant. Confer Iacobum.

Καὶ πάντα δόλον, et omnem dolum] Rom. 1: 29.

Καὶ ὑποκρίσεις] *Simulatam bonitatem*.

Malus bonum cum simulat, tunc est pessimus.
Vide Matth. 6: 2, 23: 28, Marc. 12: 15, Luc. 12: 1, 1 Tim. 4: 2.

Καὶ φθόνους, et invidias] Rom. 1: 29, Gal. 5: 21, Phil. 1: 15, 1 Tim. 6: 4, Tit. 3: 3, Iac. 4: 5.

Καὶ πάσας καταλαλιάς, et omnes detractiones] 2 Cor. 12: 20, Rom. 1: 30.

2. *Ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη*] כעוללים, *tanquam recens nati*, nempe ex quo verbum Euangelii recepistis. Vide supra 1: 3. Secundum Christianismum nobis vivendum est, non secundum Iudaismum.

Τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, lac spirituale et sincerum] Τὸ λογικὸν, id est, μυστικὸν, τὸ νοητὸν [*mysticum, quod mente percipitur*]. Vide Rom. 12: 1, et quae dicta ad Matth. 26: 29, Luc. 22: 16. *Spirituale* bene vertit Syrus. *Lac* varias habet translationes: alibi opponitur *cibo solido*, at hic rebus mixtis, ac proinde non sinceris.

Ἐπιποθήσατε] *Adamate;* nisi forte fuerit ἐπιποτίζετε [*bibite*].

Ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε, ut eo crescatis] Id est, magis magisque proficiatis in pietate. Par similitudo Eph. 4: 13. Adiicit hic Manuscriptus cum Syro et Latino εἰς σωτηρίαν [*ad salutem*], recte. Non enim incrementum illud alio spectat quam ad salutem aeternam.

3. *Εἴπερ*] Quasi dicat: *Scio vos id facturos, si modo ii estis quos spero.*

Ἐγεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος, gustastis, quam suavis sit Dominus] טעמו כי טוב יהוה, Ps. 34: 9, ubi Graeci, γεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος. Sed ibi *Κύριος* more Veteris Testamenti est Deus Pater, hic vero Christus. *Γεύεσθαι* hic non est *leviter degustare* sed *experiri*, ut Matth. 16: 28, Marc. 9: 1, Luc. 9: 27, Ioh. 8: 52, Hebr. 2: 9, 6: 4. Solent enim Hebraei ad significandos sensus internos vocabula de quovis sensu externo mutuari. Ideo LXX in Psalmo posuerunt γεύσατε καὶ ἴδετε [*gustate et videte*]; nec aliter hic Syrus. *Ὅτι* hic est *quam*. Et χρηστὸς est *suavis*, ut a gustu sumpta translatio melius procedat. Vide Luc. 5: 39 et ibi dicta. Et sic habent vetustae versiones in Psalmis.

4. *Πρὸς ὃν προσερχόμενοι, ad quem accedentes*] Vox haec

haec cultum obedientiamque significat. Vide Hebr. 4: 16, 7: 25, 10: 1, 22, 11: 6. קרב.

Λίθον ζῶντα ὑπὸ ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, παρὰ δὲ Θεῷ ἐκλεκτὸν, ἔντιμον, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honoratum] Illud *ζῶντα* significat *ἀλληγορίαν* [*tectam locutionem*], sicut modo vox *λογικὸν*, alibi *καινὸν*, alibi *πληρούμενον* [*plenum*], aut *πνευματικὸν* [*spirituale*], et similia. Respiciuntur loca Ps. 118: 22 et Esai. 8: 14 et 28: 16, de quibus diximus ad Matth. 21: 42 et Act. 4: 11. *Homines* hic intellige Iudaeos, sed praecipue eos qui erant in Synedrio. *Ἀποδεδοκιμασμένον* מאסו. Sic et Matth. 21: 42, Marc. 12: 10, Luc. 20: 17. Pro eodem est *ἐξουθενηθεὶς* Act. 4: 11. Quod in Psalmo est *factum in lapidem angularem*, id est, quo totum aedificium sustineretur, id hic aliis verbis, sensu eodem dixit ex Esai. 28: 16, *ἐκλεκτὸν*, בחור Hebraeis, quomodo LXX legere dicto iam Esaiae loco, ubi vulgo בחן [*probatum*]. Syrus id גבא [*electum*], quomodo hic vertitur; deinde יקר, *maximi factum a Deo.*

5. *Καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε, οἶκος πνευματικὸς, et ipsi, tanquam lapides vivi, aedificamini, domus spiritualis*] Tam *ζῶντες*, quod hic repetitur, quam *πνευματικὸς*, ut iam mox *θυσίας πνευματικὰς* [*spiritualia sacrificia*], sunt ut diximus significantia *ἀλληγορίαν* [*tectam locutionem*]. Est autem sensus idem qui Eph. 2: 20. Apud Hebraeos Levitae dicebantur *lapides templi:* at nunc singuli Christiani *lapides;* iidem cuncti *templum* sive *domus Dei*, 1 Cor. 3: 16, 17, 6: 19, 2 Cor. 6: 16, Eph. 2: 21, Apoc. 3: 12. In Manuscripto est *ἐποικοδομεῖσθε* [*superaedificamini*], nempe *super Christo lapide principali.* Nec aliter legit et Latinus.

Ἱεράτευμα ἅγιον, sacerdotium sanctum] In Manuscripto εἰς ἱεράτευμα [*in sacerdotium*]. *Ἱεράτευμα* hic significat *ordinem Sacerdotum*, quod evincit locus Exod. 19: 6 et ibi Onkelos, et Apoc. 1: 6. In loco Exodi in Hebraeo est ממלכת כהנים [*regnum sacerdotale*], in Graeco *ἱεράτευμα*. Olim ex una tribus parte erant Sacerdotes, per Christum omnes, Rom. 12: 1, Phil. 2: 17, 4: 18, Hebr. 13: 15, Apoc. 1: 6, 5: 10, 20: 6.

Ἀνε-

Ἀνενέγκαι θυσίας πνευματικὰς, ad offerenda spiritualia sacrificia] Id est, *εἰς τὸ ἀνενέγκαι*, locutione Nostris frequente. *Θυσίας πνευματικὰς*, id est, ea sacrificia quorum vetera umbrae fuere. Haec autem sacrificia sunt, preces, castitas corporis, opera misericordiae. Vide quae a nobis dicta ad Matth. 2: 11 et ad dicta iam Pauli loca. Adde Iustini illud in Colloquio cum Tryphone: *Ὅτι μὲν οὖν εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι* [*Preces ergo et gratiarum actiones a dignis factas solas perfecta esse et accepta Deo sacrificia*].

Εὐπροσδέκτους τῷ Θεῷ, Deo accepta] Sensus mysticus Legis Dei ריח־ניחוח [*odor suavis*] Lev. 1: 9. Vide quae a nobis dicta Rom. 12: 1, 15: 16, 31.

Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, per Iesum Christum] Secundum Christi praeceptum, ut Hebr. 13: 15.

6. *Διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, propter quod legitur in Scriptura*] In Manuscripto *ἐν γραφῇ* sine articulo, subintellecto *ἁγίᾳ* [*sancta*], quod additur, ut Rom. 1: 2, aut *θεοπνεύστῳ* [*divinitus inspirata*], quomodo 2 Tim. 3: 16. *Περιέχει*, id est, *legitur*. Vide 1 Macc. 15: 2, 2 Macc. 9: 18, 11: 16, 22. Est autem brevis locutio pro *περιέχει ἡ περιοχὴ* [*legitur locus*]. Nam Hebraei solent ex verbis nomina subintelligere. *Περιοχὴ, locus aliquis in Scriptura*, Act. 8: 32.

Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον· καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ, ecce pono Sione lapidem summum angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in eum, non pudefiat] Contractum ex Graeco Esai. 28: 16, *Ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον, εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς· καὶ ὁ πιστεύων μὴ καταισχυνθῇ* [*Ecce ego in fundamentis Sionis lapidem pono exquisitum, electum, summum angularem, pretiosum, in fundamentis eius, et qui credit non pudefiat*]. Ubi apparet LXX Interpretes non male pro בחן [*probato*] legisse בחור [*electum*], sed et pro יחיש [*festinabit*] legisse יבש [*pudefiat*]. Et hanc lectionem sequitur et Paulus Rom. 9: 33. Sensus *κατὰ πόδας* [*verbotenus*] apud Prophetam est, si qui salvi esse vellent ex Decem Tribubus, illis confugiendum Hierosolyma velut

ut ad arcem, ut ad Prophetae locum diximus. Sublimior vero sensus in Christo, ad quem confugere debent omnes qui in aeternum servari cupiunt.

7. Ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιςεύουσιν] *Vobis* [*igitur credentibus*] *honori est lapis ille*. Alludit enim ad id quod praecessit ἔντιμος.

Ἀπειθοῦσι δὲ λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καὶ λίθος προσκόμματος, καὶ πέτρα σκανδάλου, *increduli autem, lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali*] Est constructio qualis illa,

Urbem quam statuo, vestra est. —

At Manuscriptus secundum locutionem receptionem λίθος. Sed recte puto in Syriaco abesse illa omnia, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καὶ, et translata huc ex Matth. 21: 42, neque enim huc pertinent. Sed bene aptantur incredulis ea quae sequuntur, et sunt apud Esaiam 8: 13. Quod ibi de Deo dicitur, id Christo hic optime tribuitur. Qui in durum lapidem impingunt, graviter cadere, saepe et vulnerari solent. Sensus idem Matth. 21: 44, ubi dicta vide.

8. Οἳ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες] Est praesens pro futuro. *Nolentes verbo* Euangelii *credere, gravissime impingent*, id est, gravissimas poenas ferent, excidio Urbis ac Templi, ac captivitatibus, exsiliis, contemptu denique apud omnes. Vide Iac. 5: 1.

Εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν] *In hoc* a Deo increduli *sunt destinati*, ut gravissime impingant, id est, durissimas ferant incredulitatis suae poenas. Est enim τιθέναι שׂוּם saepe *ordinare, destinare*, ut Ioh. 15: 16, Act. 13: 47. Sic ἔθετο εἰς ὀργὴν [*posuit in iram*], 1 Thess. 5: 9. Syrus hoc loco סימין *designati sunt*. Arabs قرروا *constituti sunt*, nempe decreto Divino, quod est apud Danielem et Malachiam.

9. Ὑμεῖς δὲ γένος ἐκλεκτὸν, *vos autem genus electum*] Vide supra 1: 1. Ipsa verba γένος ἐκλεκτὸν habes Esai. 43: 20.

Βασίλειον ἱεράτευμα, *regale sacerdotium*] Ἱεράτευμα sume, ut supra 5. Sed additur hic βασίλειον ut intelligantur Christiani per Christum ita facti *Sacerdotes* ut simul

et

et *Reges* sint ad Christi exemplum; non ut Israelitae, de quibus id dictum Exod. 19: 6, ob sacrum Paschale et ob libertatem omnibus communem et magnificas victorias, sed quia ea offerunt Deo de quibus iam ante diximus, et quia liberi sunt a vitiis, et vincunt Carnem, Mundum, Diabolum. Christiano enim homini vere illud aptari potest:

Rex est qui metuit nihil:
Rex est qui cupiit nihil.

Et quod Cicero dicit pro Sylla, *Regium esse nulli servire cupiditati.* Idem sensus Apoc. 1: 6, 5: 10.

Ἔθνος ἅγιον, gens sancta] Supra 1: 15. Sumpta verba ex Deut. 7: 6 et 14: 2, ubi in Hebraeo עם קדוש.

Λαὸς εἰς περιποίησιν, populus ad acquisitionem] Id est, *ad salutem*, ut Hebr. 10: 39, Exod. 19: 5, והיתם לי סגלה, Graece, Ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος [*Eritis mihi peculiaris populus*]; et Mal. 3: 17. אשר אני עשה סגלה, Ἣν ἐγὼ ποιῶ εἰς περιποίησιν [*Quam ego facio mihi acquisitionem*].

Ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum] Vox ἀρετῆς interdum significat *rectos habitus*, ut Phil. 4: 8. At ubi de Deo dicitur, ut hic, respondet voci הוד [*gloria*], ut Abac. 3: 3, Zach. 6: 12, aut voci תהלה [*laus*], ut Esai. 42: 8, 12, 43: 21, 43: 7. In quibus locis est, ut hic pluraliter ἀρετὰς, in significatu *potentiae*. Syrus *laudem* vertit. Deus est qui *nos vocavit*, Rom 9: 12, 24, 1 Cor. 7: 15, Gal. 1: 6, 15, 5: 8, 1 Thess. 2: 12, 5: 24, 2 Thess. 2: 14, 2 Tim. 1: 9. Σκότος vocatur tempus ante Euangelium, Matth. 4: 16, Luc. 1: 79, Ioh. 3: 19, Act. 26: 18, Rom. 13: 12, Eph. 5: 8, Col. 1: 13, 1 Thess. 5: 4, 5. Φῶς ipsum Euangelium et vita ei congruens, ut iisdem locis videre est et Rom. 13: 12, Col. 1: 12. Additur autem hic illud θαυμαστὸν, sicut ἀληθινὸν [*verum*] Joh. 1: 9, 1 Ioh. 2: 8, ad denotandum huius lucis excellentiam: sic μέγα καὶ θαυμαστὸν [*magnum et admirabile*] Apoc. 15: 1, פלא. Hic est sensus mysticus loci Esai. 42: 6, 7 et Iob. 37: 21.

10. *Οἵ ποτε οὐ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei*] Illud Θεοῦ ex mem-

membro posteriore etiam in priore subaudiri debet, ut ostendit locus qui hic respicitur Os. 2: 23. Aptat eum locum Paulus iis qui ex Gentibus orti, Rom. 9: 25. Verum non male etiam Iudaeis applicatur, qui ita male instituebantur, ut *filii fierent Gehennae*, Matth. 23: 15.

Οἱ οὐκ ἠλεημένοι, νῦν δὲ ἐλεηθέντες] ורחמתי את־לא רחמה [*Miserebor eius qui fuit absque misericordia*], dicto Oseae loco. *Olim non amati* ob vitia, *nunc amati* ob purgationem. Nam et in loco Oseae quaedam versiones habent, *ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην* [*diligam non dilectam*].

11. *Ἀγαπητοί, dilecti*] Sic et Iac. 1: 16, 19, 2: 5.

Παρακαλῶ ὡς παροίκους καὶ παρεπιδήμους, cohortor tanquam inquilinos et peregrinos] *Πάροικοι* sunt *qui sedem habent extra patriam; παρεπίδημοι qui extra patriam peregrinantur*. Ex praesente ipsorum statu eos admonet sortis communis omnium hominum, qui in terris agunt ad tempus breve, nec tanquam in suo; plane ut supra 1: 17, ubi annotata vide.

Ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν] *Ut abstineatur ab implendis cupiditatibus illis quas* non ratio sed *caro suggerit*. *Ἐπιθυμίαι σαρκικαὶ* quae *ἐπιθυμίαι σαρκός*, Gal. 5: 16, Eph. 2: 3, 1 Ioh. 2: 16.

Αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς, quae pugnant cum animo] Directe pugnant cum animae vestrae bono, id est, impediunt ne vitam aeternam, quae patria vobis esse debet, possitis consequi. Par *μεταφορὰ* [*translatio*] in voce *στρατεύεσθαι* Rom. 7: 23, Iac. 4: 1. De voce *ψυχῆς* vide Hebr. 10: 39.

12. *Τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔχοντες καλήν, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam*] Vide Iac. 3: 13. *Ἐν τοῖς ἔθνεσιν, in conspectu Gentium* inter quas vivitis, a quibus ob religionis diversitatem observamini.

Ἵνα ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν] *Ob id ipsum ob quod vos tanquam sontes traducunt*, id est, ob religionem Christianam. Pari sensu voculam *ἐν* habemus Eph. 3: 13.

Ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες, ex bonis operibus vos spectantes] Id est, *ἃ ἐπώπτευσαν, spectatis bonis operibus vestris*.

Δο-

Δοξάσωσι τὸν Θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς] *Laudent Deum tempore probationis*, ut hic Syrus, id est, in temporibus duris. Ita enim *ἐπισκοπῆς* vox ponitur Esai. 10: 3 et alibi. Sensus est: Cum conspicient Gentes illae solos Christianos immunes ab illis malis quae Iudaeis ob turbulenta ac seditiosa ipsorum ingenia ubique locorum impendent. Hunc sensum postulant ea quae *ἀμέσως* [*immediate*] sequuntur.

13. *Ὑποτάγητε οὖν*] Passivum pro Hithpael, quod frequens in aliis quoque verbis, sed maxime in iis quae a *τάσσω* veniunt. *Subiectos vos gerite.* Sic Luc. 2: 51, Rom. 8: 7, 1 Cor. 16: 16, Eph. 5: 22, 24, Col. 3: 18, Tit. 2: 5, 9, 3: 1, Iac. 4: 7.

Πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, omni humanae ordinationi] Id est, ordinationi isti quae inter homines in terris agentes locum habet et habere debet. Nam *κτίζειν* ברא [*creare*] inter alia et *ordinare* significat, ut diximus in Prolegomenis ad novum Testamentum. Adde Sir. 7: 16, 39: 30, 34, 36, 40: 1: 10. Aliquis forte putaret scriptum *κρίσει* [*iudicio*]; nam *κρίνειν* [*iudicare*] Hellenistis est *regere* ad modum Hebraei שפט.

Διὰ τὸν Κύριον, propter Dominum] Propter Christi praeceptum, Matth. 22: 21.

Εἴτε βασιλεῖ, sive Regi] id est, *Caesari. Romani eos vocabant Imperatores, non Reges, religione iurisiurandi veteri*, ut ait Cyprianus: at Graeci non dubitabant eos appellare *βασιλέας*, et Iudaei similiter מלכים, nimirum quia plane Regia, id est liberrima, utebantur potestate, ut Dion nos docet. Cum haec Epistola scriberetur puto imperasse Claudium.

Ὡς ὑπερέχοντι, tanquam praecellenti] Tanquam supra omnes posita haec *ἐξουσία ὑπερέχουσα* [*potestas supereminens*], Rom. 13: 1.

14. *Εἴτε ἡγεμόσιν*] *Proconsulibus* tum Asiae, tum Bithyniae. Est enim *ἡγεμόνων* nomen generale omnibus provincias regentibus, ut diximus ad Matth. 27: 2.

Ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις] *Tanquam a Caesare missis*, id est, potestatem suam ducentibus: nam et hoc significatur per *πέμπειν*, ut Ioh. 20: 21 et alibi. Itaque si Proconsul aliquid iubeat, et aliud Imperator, *eligere debemus*

ma-

maiori servire, ut ait Augustinus, qui et alibi *Pilato talem datam* ait *potestatem ut esset etiam ipse sub Caesaris potestate.* Quare Christiani Furio Camillo Scriboniano contra Claudium non erant adhaesuri. Qui populos aliter instituunt, et Apostolorum doctrinae repugnant et imperia turbant. Summa potestas in quoque imperio est cui fidem pagani et milites iurant, cuius legibus omnes parent, a cuius iudiciis non provocatur, cuius imaginem nummus praefert.

Εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν, ad vindictam maleficorum, laudem recte agentium] Idem plane dicit quod Paulus Rom. 13: 3—5, nimirum ex veteribus Hebraeorum sententiis. Habemus hunc usum ab iis qui publica imperia obtinent ἐπιτοπολὺ [*plerumque*]: nam et scelera per eos puniuntur, et quietem amantibus quies praestatur pro praemio. Si quando ignorantia aut affectibus peccant, illatas sic iniurias Deus repensabit. Imo et Principes iniquos puniet, haud dubie in altero saeculo, non raro et in hoc ipso.

15. *Ὅτι οὕτως ἐςὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, quia sic est voluntas Dei*] Nempe in Euangelio, Matth. 10: 16.

Ἀγαθοποιοῦντας φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν] *Bene agendo os obstruere ignorantiae* (id est, dictis ex ignorantia orientibus) *hominum nihil sapientium*, nempe circa Divina. *Ἀγαθοποιεῖν* interdum est *beneficia conferre*, pro quo et *ἀγαθοεργεῖν* dicitur. Sed hic simpliciter significat *recte agere*, ut et infra 2: 20, 3: 6, 17, 3 Ioh. 11, quo sensu et adiectivum *ἀγαθοποιὸς* iamiam habuimus, et Ecles. 41: 14, et *ἀγαθοποιΐα* infra 4: 19. Φιμῶ in Glossario, *compesco*, *φιμοῦμαι*, *obmuteo*, *commutesco.* Hesychius, *φιμοῦν*, *ἐπιςομίζειν* [*os obstruere*]. Vide Matth. 22: 12, 34, Marc. 1: 25, 4: 39, Luc. 4: 35. Novi qui pro *ἀγνωσίαν* vellet hic legi *ἀγλωσσίαν* [*maledicentiam*], quia *ἀγλωσσεῖν* est *βλασφημεῖν* [*maledicere*] Hesychio. Patiendo mala, nec resistendo, optime inimicis os fraenamus.

16. *Ὡς ἐλεύθεροι*, *ut liberi*] Liberi nempe a vitiis, Ioh. 8: 33, 36, Rom. 6: 18, 22.

Καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν] *Non libertatem Christianam sumentes obtentui ad res ma-*

malas, ut illi faciebant qui Christianos ab omnibus publicis legibus dicebant esse liberos, *κυριότητα ἀθετοῦντες* [*imperium spernentes*], ut ait Iudas. *Ἐπικάλυμμα*. סוד bene vertitur *obtentus*. Sic Gellius: *Qui obtentu Philosophici nominis inutile otium et linguae vitaeque tenebras sequuntur.*

Ἀλλ' ὡς δοῦλοι τοῦ Θεοῦ, sed sicut servi Dei] *Servi Dei*, ac proinde etiam eorum servi quibus Deus servire nos iubet.

17. *Πάντας τιμήσατε, omnes honorate*] Nempe quibus honos aliquis debetur, ut Rom. 13: 7. Hoc dictum generale iam per species suas explicabit.

Τὴν ἀδελφότητα ἀγαπᾶτε, fraternitatem diligite] *Τὴν ἀδελφότητα* habes 1 Macc. 12: 10, 17, אחוה Zach. 11: 14. Verum hic ea vox, ut et infra 5: 9, non ipsam *σχέσιν* [*relationem*], sed *gregem fratrum* significat, quomodo *ἱεράτευμα* [*sacerdotium*] *Sacerdotum ordinem*. Vult ergo coetus fidelium, in quibus vivimus, honorari diligendo.

Τὸν θεὸν φοβεῖσθε, Deum timete] Id est, ei sine exceptione parete. Vide Eph. 6: 5, Phil. 2: 12.

Τὸν βασιλέα τιμᾶτε, Regem honorate] Imperatori summos exhibete honores quos capit humana natura.

18. *Οἱ οἰκέται, servi*] Qui *δοῦλοι* Paulo Eph. 6: 5, Col. 3: 22, Tit. 2: 9. Sic *δεσπότας* dixit quos Paulus *κυρίους* [*dominos*].

Ὑποτασσόμενοι ἐν παντὶ φόβῳ τοῖς δεσπόταις, omni timore dominis subiecti] Supple *ἐςέ* [*estote*]. *Ὑποτασσόμενοι* activum pro Hithpael, ut modo diximus. *Ἐν πάντι φόβῳ* explica ut illud Pauli in re eadem *μετὰ φόβου καὶ τρόμου* [*cum timore et tremore*] Eph. 6: 5.

Οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν] *Bonis* [*non tantum*] *ac lenibus*, *ἠπίοις*, ut Homerus loquitur. Vide Phil. 4: 5, 1 Tim. 3: 3, Tit. 3: 2, Iac. 3: 17.

Ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, sed etiam pravis] *Ἀλλὰ καὶ δυσκόλοις* legit Latinus et, ut puto, Arabs. *Δύσκολος* est *durus*, ut Ier. 49: 8. In Glossario, *Δύσκολος*, *morosus*, *difficilis*, *truculentus*. Menander Comoediam scripserat, cui nomen *Δύσκολος*. Eius meminere Agathias in epigrammate Antholog. VIII et Iulianus Mysopogone. At Syrus duo habet adiectiva לקשיא ולעסקא, quare videtur le-

legisse *δυσκόλοις καὶ σκολιοῖς* [*morosis et pravis*]. Facile autem fieri potuit ut a librariis de duabus vicinis vocibus altera omitteretur. *Σκολιοὶ* sunt *pravi*. Vide Act. 2: 40, Phil. 2: 15. נלוזים Prov. 2: 15, 3: 32, a לוז *σκολιάζειν*, Prov. 14: 2.

19. *Τοῦτο γὰρ χάρις*, *hoc est enim gratia*] Addit Manuscriptus *παρὰ τῷ Θεῷ* [*apud Deum*], quomodo legit et Syrus. Est vero *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Vult enim dicere: *Hoc nobis summum Dei favorem conciliat.*

Εἰ διὰ συνείδησιν Θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias*] *Συνείδησις Θεοῦ* hic per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] obiecti dicitur *conscientia eius quod quis Deo debet*. *Ὑποφέρειν* hic ponitur ut 2 Tim. 3: 11, et *λύπας* alia *μετωνυμία* [*transnominatio*], pro *τὰ λυπηρὰ*, *tristia.*

Πάσχων ἀδίκως, *patiens iniuste*] Hic illud *ἀδίκως* refertur ad activum respondens passioni. Et est constructio *κατὰ τὸ σημαινόμενον* [*secundum id quod significatur*].

20. *Ποῖον γὰρ κλέος*, *quae enim est gloria*] Nempe *apud Deum.*

Εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε, *si peccantes et vexati patimini*] Videntur et Syrus et Arabs legisse *κολαζόμενοι* [*puniti*], quae vox propria poenis quas indicunt Leges publicae in societatis humanae violatores. Quanquam potest et *κολαφιζόμενοι* ferri, ut sit species pro genere, quo modo 1 Cor. 4: 11 et 2 Cor. 12: 7. *Ὑπομενεῖτε* hic non *patientiam* sed solam *passionem* significat, ut Hebr. 12: 7.

Ἀλλ' εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάσχοντες ὑπομενεῖτε, *sed si benefacientes patienter fertis*] Id est, *παθήματα ὑπομενεῖτε*, *cruciatus fertis*. Simile loquendi genus ei quod supra 12.

Τοῦτο χάρις παρὰ Θεῷ, *haec est gratia apud Deum*] Explica ut supra 19.

21. *Εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε*, *ad hoc enim vocati estis*] *Ea lege vocati sumus* ut dura omnia conscientiae causa sustineremus, 1 Cor. 1: 9. Sic et *ad pacem*, *ad sanctitatem vocati* dicimur Col. 3: 15, 2 Thess. 2: 14.

Ὅτι καὶ Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν, *quia et Christus passus est pro vobis*] *Περὶ ὑμῶν* [*propter vos*] Manuscriptus

 (quod

(quod recte cohaeret cum sequentibus), quomodo et alibi saepe habet, ubi in vulgatis est ὑπέρ.

Ὑμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ, *vobis relinquens exemplar, cuius vestigia sequamini*] Non miremur nobis evenire quod Christo evenit. In Glossario ὑπογραμμὸς, *praescriptum*, qua voce etiam Cicero utitur. Videtur a fabris primum venisse vox, qui minio lineas designant quas opere persequantur. Μεταφορικῶς [*per translationem*] sumitur pro omni *eo quod imitandum est*. Alia metaphora in ἐπακολουθεῖν τοῖς ἴχνεσι, quod ςοιχεῖν τοῖς ἴχνεσι Rom. 4: 12, περιπατεῖν τοῖς ἴχνεσι 2 Cor. 12: 18. Hebraeis הלך אחר [*insequi*]. Syrus sic, הלך בעקבא. Latini quoque dicunt *vestigiis alicuius insistere*, pro *aliquem imitari*.

22. Ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ, *qui peccatum non fecit, et in cuius ore non inventus est dolus*] Ex Esai. 53: 9, ubi in Graeco, ὅτι ἀνομίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ δόλος ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ [*quia iniquitatem non fecit, nec dolus in ore eius*]: at in nonnullis Codicibus, οὐδὲ δόλος εὑρέθη ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ [*nec dolus inventus est in ore eius*], quod rectius: nam in Hebraeo ad ולא מרמה [*nec dolus*] subauditur היה *fuit*, quod recte exprimitur per εὑρέθη, ut Rom. 7: 10 et alibi: quomodo et Hebraei sumunt נמצא quod per ἦν vertitur, Esai. 39: 2. Christus nullo suo crimine in mortem actus est, Luc. 23: 41, Ioh. 8: 46.

23. Ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει] *Cum convitiis impeteretur convitia non reddidit*. Vide Matth. 26: 67, 68, 27: 12, 29, 39 et seqq. Sic Polycarpus ad Philippenses: Ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ καὶ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας [*Reddentes malum pro malo et convitia pro convitiis*].

Πάσχων οὐκ ἠπείλει, cum pateretur, non comminabatur] Ille qui uno verbo adversantes prostraverat, cum captus duceretur, vinciretur, flagris caederetur, affigeretur cruci, ne verbum quidem minax edidit, quo perfectius nobis daret exemplar patientiae.

Παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, sed commisit ei qui iuste iudicat] Subauditur nomen aliquod post παρεδίδου. Syrus non male supplet verbale a verbo sequente, quasi scriptum esset παρεδίδου δὲ κρίσιν, *causam suam commisit*

sit ei qui iuste iudicat, semper scilicet. Nam homines saepe iniuste iudicant; ut Synedrium et Pilatus. Deus *iustus iudex* vocatur Ps. 7: 11. Idem sensus Ps. 96: 10, 98: 9, Ier. 11: 20 et alibi. Totus hic locus respicit illa quae habemus Esai. 50: 6—9.

24. Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, *qui vitia nostra ipse abstulit cum corpore suo super lignum*] Ἀνήνεγκεν hic est *abstulit*, quod sequentia ostendunt, quomodo idem verbum sumi notavimus Hebr. 9: 28. Eodem sensu αἴρει ἁμαρτίαν Ioh. 1: 29, et נשא et סבל Esai. 53: 4, ubi Graeci φέρει. Vitia nostra ita interfecit sicut qui cruci affiguntur interfici solent. Simile loquendi genus Col. 2: 14. Vide et Rom. 6: 6, Gal. 2: 20, 5: 24. Est autem hic μετάληψις [*transsumptio*]. Non enim proprie Christus cum crucifigeretur *vitia nostra abstulit*, sed causas dedit per quas auferrentur. Nam crux Christi fundamentum est praedicationis; praedicatio vero poenitentiae: poenitentia vero aufert vitia. Ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ, *cum corpore suo*, locutione qualis est Matth. 6: 29, Rom. 15: 29, Eph. 6: 2 et alibi. Sicut corpus eius in crucem actum est, ita et vitia nostra quasi in crucem acta. Particulae similitudinem significantes saepe subticentur, fitque sic oratio efficacior.

Ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι] *Longe facti a peccatis.* Nam ἀπογίνεσθαι etiam hoc significat apud Graecos. Et ita hic sumpsit Ambrosius. Manuscriptus, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν [*ut peccatis nostris*].

Τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, *iustitiae vivamus*] Non enim sufficit a malis abstinere, sed danda et virtutibus Christianis opera. Ζῆν δικαιοσύνῃ hic dicitur, quomodo ζῆν θεῷ [*vivere Deo*] Rom. 6: 10, Gal. 2: 19. Ποιεῖν δικαιοσύνην [*facere iustitiam*] pro eodem dixit aliquoties Iohannes.

Οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε, *cuius livore sanati estis*] Hebraismus. Solent enim Hebraei dicere אשר בו [*quo in eo*] et אשר לו [*cui illi*] et similia. Sumpta verba ex Esai. 53: 5, Τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν [*Livore eius nos sanati sumus*]. חבורה, quod μώλωψ vertitur, proprie *livorem ex contusione* significat: at figurate pro quovis *dolore* sumitur,

tur, ut Gen. 4: 23, Exod. 21: 25, Ps. 38: 5, Esai. 1: 6, Prov. 20: 30, Sir. 23: 11, 28: 21, Iudith. 9: 13. Multis quidem modis Christi dolores nos a vitiis sanarunt: sed hic maxime respicitur exemplum quod nobis dedit obedientiae, patientiae, mansuetudinis, dilectionis in mediis doloribus, ut antecedentia ostendunt.

25. *Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα, eratis enim sicut oves errantes*] Et hoc ex Esai. 53: 6, quîcum convenit locus Ier. 50: 6, sed et Ps. 119: 176, quorum explicationem habes Matth. 9: 36, ubi quae dicta vide.

Ἀλλ' ἐπεστράφητε νῦν, sed conversi estis nunc] שבתם.

Ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ad pastorem et episcopum animarum vestrarum] Solet ἐπιστρέψαι post se habere ἐπὶ vel πρός. Deinde illud καὶ hic est ἐξηγητικόν [*explicativum*]: ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα [*reducentes eas, quae aberraverant*]. Nam cum dixisset *pastorem*, ad persequendam similitudinem nunc explicat quomodo Christus sit pastor, nimirum quia animas curet sicut pastor oves. Vide supra 1: 9. *Ἐπίσκοπος* est פקד vel פקיד vel מפקד, *is qui alicuius rei curam gerit*, ut Num. 4: 16, 31: 14, Iud. 9: 28, 2 Reg. 11: 16, 19, 2 Par. 34: 12, 17, Neh. 11: 9, 14. Comparatio pastoris optime Christo convenit, Ioh. 10: 11, 14, 16, Hebr. 13: 20, infra 5: 4.

CAPUT III.

1. *Ὁμοίως αἱ γυναῖκες ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν, similiter et mulieres subditae viris suis*] Iterum supplendum hic ἐστὶ [*sint*], ut supra 2: 18. Et ὑποτασσόμεναι sumendum ut Hithpael, ut ibi diximus. Sensus idem Eph. 5: 22, 24, Col. 3: 18. Conveniunt haec cum Gen. 3: 16, *Πρὸς τὸν ἄνδρα σοῦ ἡ ἀποστροφή σου* [*Ad virum tuum refugium tuum*].

Ἵνα καὶ εἴ τινες ἀπειθοῦσι τῷ λόγῳ, διὰ τῆς τῶν γυναικῶν ἀναστροφῆς ἄνευ λόγου κερδηθήσωνται, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum vitam sine verbo lucrifiant] Erant iam exempla eius rei, ut videmus 1 Cor. 7: 16. Nam ipsis tacentibus castitas, modestia, obedientia, cura

rei

rei familiaris aliaeque virtutes commendabant maritis non ipsorum uxores tantum, sed et philosophiam vere Divinam, in qua erant institutae. Dicebant quod dicebat Libanius, *Proh quales feminas habent Christiani!* Ἀπειθοῦσι τῷ λόγῳ, *reluctantur adhuc Euangelio:* quomodo ἀπειθοῦσι τῇ ἀληθείᾳ [*non credunt veritati*] habemus Rom. 2: 8. De voce ἀναστροφῆς vide supra 1: 15, 2: 12 et ibi dicta; et de voce κερδαίνεσθαι Matth. 18: 15, 1 Cor. 9: 19—22. Ἄνευ λόγου, quia

Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
[*Decorum feminae taciturnitas.*]

2. Ἐποπτεύσαντες τὴν ἐν φόβῳ ἁγνὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν, *considerantes castam vestram cum timore vitam*] Ἐν φόβῳ, nempe Θεοῦ [*Dei*], ut Act. 2: 43, 5: 5, 2 Cor. 7: 15 et alibi; et ἐν pro σὺν, ut alibi saepe. Ἁγνὴν ἀναστροφὴν *vitam castissimam.* Vide Phil. 4: 8. Tertullianus ad Uxorem secundo: *Ut penes sanctos officia sexus cum honore ipsius necessitatis tanquam sub oculis Dei modeste et moderate transigantur.*

3. Ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, *quarum non sit extrinsecus capillatura*] Conferendus hic locus cum Paulino 1 Tim. 2: 9. Ἐμπλοκαὶ hic quod ibi πλέγματα, מעשה מקשה [*opus calamistri*] Esai. 3: 24. Vide ibi dicta.

Καὶ περιθέσεως χρυσίων, *et circumdatio auri*] Monilium scilicet ex auro.

Ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος, *aut indumenti vestimentorum cultus*] Ἱματίων, nempe πολυτελῶν [*pretiosorum*], quod apud Paulum additur. In Glossario, Κόσμος γυναικὸς, *ornamentum.* Latini distinguunt *mundum* mulieris ab *ornatu.* At Graeci utrumque una voce comprehendunt.

4. Ἀλλ' ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, *sed qui absconditus est cordis homo*] Masculino utitur cum de feminis loquatur, quia praeceptum hoc tale est ut possit utrique sexui convenire. Ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος idem quod ὁ ἔσω ἄνθρωπος [*interior homo*] Rom. 7: 22, ubi dicta vide. Pari modo ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος [*in abscondito Iudaeus*] Rom. 2: 29, et τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας [*occulta cordis*] 1 Cor. 14: 25. Καρδία enim, לב Hebraeis, sumitur pro *internis animi*, Eccl. 11: 9, 10 et alibi. Mysticus sensus Ps. 45: 13 et Exod. 28: 13.

'Εν τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος] Id est, *cum affectu leni ac modesto qui se malis exemplis corrumpi non sinit. Spiritum* hic sumo pro *affectu animi*, ut 1 Cor. 4: 21, Gal. 6: 1. Nam Hebraei רוח saepe sic sumunt. *"Αφθαρτον* hic *quod vitiari se non patitur.* Sic *ἐν ἀφθαρσίᾳ* Eph. 6: 24. *'Αφθαρσίαν* pari modo exigit Paulus Tit. 2: 7. Quid sit *ἡσυχία* vide 1 Tim. 2: 11, 12.

"Ο ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πολυτελές, quod est apud Deum pretiosum] Illud ὅ ad totum praecedens membrum refertur. Alia apud homines sunt in pretio, coma, aurum, splendidae vestes, at apud Deum, animus lenis ac modestus et contra malos mores incorruptus. *Πολυτελές* de unguento habes Marc. 14: 3, de veste muliebri 1 Tim. 2: 9. Respondet Hebraeo יקר Prov. 1: 13.

5. *Οὕτω γάρ ποτε καὶ αἱ ἅγιαι γυναῖκες αἱ ἐλπίζουσαι ἐπὶ τὸν Θεὸν ἐκόσμουν ἑαυτὰς, sic enim olim et feminae sanctae quae Deo confidebant, ornabant se*] Nempe animi virtutibus. *Feminae*, inquit, *sanctae quae Deo confidebant:* quo sensu *ἐλπίζω* [*spero*] solet post se habere *εἰς* vel *ἐπὶ*, sicut Hebraeum בטח [*confidit*] post se trahit ב: et in Manuscripto hic est *εἰς* pro *ἐπί*.

'Υποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν, suis subiectae viris] Ut supra 1. Si Veteris Foederis matronae hoc fecere, quanto magis eae quae ad Christum pertinent?

6. *'Ως Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ 'Αβραὰμ, sicut Sara obediebat Abrahamo*] Saepe nominibus propriis Hebraicis debet addi articulus ad noscendum casum *ἐν τοῖς ἀκλίτοις* [*in indeclinabilibus*]. Obedientiam Sarae vides Gen. 12: 5, 18: 6, 20: 2 et alibi. Et nota *Saram* dictam hoc nomine, quasi *"Ανασσαν* [*Reginam*] dicas, ideo quod multi ab ea Reges erant prodituri.

Κύριον αὐτὸν καλοῦσα, dominum eum vocans] אדני [*Dominus meus*], ut est Gen. 18: 12. Solebant et בעלי dicere, sensu eodem, ut Gen. 20: 3, Exod. 21: 22, Ioel. 1: 8, et aliquoties est hoc in libro מוסר [*Disciplinae moralis*]. Imitati Attici. Sic in Equitibus Aristophanis: *Διώξεις Σμικύθην καὶ κύριον* [*Smicythem persequere et dominum*]: ad quem locum Scholiastes: *"Ωσπερ ἐν ταῖς εἰσαγωγαῖς τῶν ἐγκλημάτων κηρύττειν εἰώθασιν, ἐπειδὰν γυναικὶ ἐπιφέρεται ἔγκλημα· οὕτω γὰρ προκαλεῖσθαι εἰώθασιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, 'Η δεῖνα καὶ ὁ κύριος,* ταυ-

τουτέστιν ὁ ἀνὴρ [*Sicut in lite contestanda proclamari solet, cum adversus mulierem agitur. Ita enim in iudicio proclamari mos est: Illa et Dominus, id est, maritus*] Romae et olim sic loqui mos erat. Corruptis moribus mos inolevit contrarius, ut uxores a maritis *dominae* vocarentur.

Ἧς ἐγενήθητε τέκνα] *Eratis* carne *eius filiae*, sed per Euangelium factae estis et moribus eius filiae. Par locutio Matth. 3: 9, Ioh. 8: 39, Rom. 9: 7, 8, Gal. 4: 28.

Ἀγαθοποιοῦσαι, benefacientes] Sicut Sara comiter excepit hospites.

Καὶ μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν] Id est, *πρὸς μηδεμίαν πτόησιν, ad nulla terriculamenta pavidae*, nempe ad prodendam pudicitiam: quam Magistratus provinciarum saepe etiam minis attentabant; sicut Sara Abimelechi cupiditati non cessit Gen. 20. *Πτοεῖσθαι* habes Luc. 21: 9, 24: 37.

7. *Οἱ ἄνδρες ὁμοίως, viri similiter*] Id est, *vicissim*.

Συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν, cohabitantes secundum scientiam] Hic quoque subauditur *ἐστέ* [*estote*]. *Συνοικεῖν* proprie de coniugibus dicitur; ut videre est in Graeco Gen. 20: 3, Deut. 25: 5, 22: 13, 24: 1, Prov. 30: 23, Esai. 62: 5, Sir. 25: 11, 42: 13, 15. Comprehendit autem per συνεκδοχὴν [*complexionem*] quandam omnia inter se coniugum officia. *Κατὰ γνῶσιν*, id est, *secundum eam notitiam Divinae voluntatis quam per Euangelium estis adepti.* Vide Rom. 15: 14, 1 Cor. 1: 5, 2 Cor. 6: 6.

Ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τὴν τιμήν, tanquam infirmiori vasi muliebri impartientes honorem] *Σκεύει* omne *id quo utimur* significat; diciturque etiam de hominibus, ut Act. 9: 15, Rom. 9: 21, 22. *Uxor*, ὄργανον [*instrumentum*] *viri*, Aristoteles Polit. lib. III, ἀσθενέστερον [*infirmius*] *viro*, ut loquitur idem Aristoteles Oeconomicorum lib. III. Quintilianus id recte explicat Declamatione CCCVIII: *Imbecilla res est femina; et adfert infirmitati naturali non leve pondus quod vidua est.* Propterea leniter tractanda uxor, quod hic dicit τιμὴν ἔχειν quae locutio et in libro Musar; sicut honor quidam habetur crystallinis, quia sollicite tractantur.

Ὡς καὶ συγκληρονόμοις χάριτος ζωῆς, tanquam et coheredi-

dibus gratiae vitae] Id est, *ζωοποιούσης* [*vivificantis*] quomodo diximus supra 1: 3. *Gratiae Euangelicae, quae ad vitam aeternam ducit, participes sunt et viri et feminae.* In Manuscripto est *ποικίλης χάριτος ζωῆς* [*variae gratiae vitae*], propter varia Spiritus dona.

Εἰς τὸ μὴ ἐκκόπτεσθαι τὰς προσευχὰς ὑμῶν, ne exscindantur preces vestrae] Latinus recte legit *ἐγκόπτεσθαι*, id enim est *impediri*, ut Act. 24: 4, Rom. 15: 22, Gal. 5: 7, 1 Thess. 2: 18, unde *ἐγκοπὴ* 1 Cor. 9: 12. Ex dura tractatione sequuntur iurgia et rixae, quae *impediunt preces*, id est, precum vim atque efficaciam. Non enim placent Deo preces nisi quae ex tranquillo proficiscuntur animo.

8. *Τὸ δὲ τέλος, in summa autem*] סוף דבר Eccl. 12: 13. Summa *monitorum* meorum ad ea redit quae iam dicam.

Πάντες ὁμόφρονες, omnes unanimes] Iterum subauditur *ἐςέ* [*estote*]. Pertinent hac monita non ad certae sortis homines, ut quaedam praecedentium, sed ad omnes Christianos. Est autem huius moniti sensus idem qui Rom. 12: 16, 15: 5.

Συμπαθεῖς] *Indolentes alii aliorum malis.* Exemplum vide Hebr. 10: 34.

Φιλάδελφοι, fraterno amore ducti] Idem sensus qui supra 2: 17. Hinc *φιλαδελφία* Rom. 12: 10, 1 Thess. 4: 9, Hebr. 13: 1, 2 Petr. 1: 7.

Εὔσπλαγχνοι, misericordes] Habes eandem vocem Eph. 4: 32. Significat pronos nos esse debere ad iuvandos alios. Vide Phil. 2: 1, Col. 3: 12, 1 Ioh. 3: 17, ubi est nomen *σπλάγχνα* [*viscera*], respondens Hebraeo רחמים.

Φιλόφρονες] *Comes.* Sic *φιλοφρόνως comiter* Act. 28: 7 et 2 Macc. 3: 9. In Manuscripto pro *φιλόφρονες* est *ταπεινόφρονες* [*humiles*]; quam vocem habes Prov. 29: 23. Et inde est quod Latini quidam Codices hic habent *humiles*.

9. *Μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, non reddentes malum pro malo*] Idem habes Rom. 12: 17, ubi et plura ad hanc rem.

Ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας, vel maledictum pro maledicto] Vide supra 2: 23.

Τοὐναντίον δε, εὐλογοῦντες] *Imo contra illis bene precantes*, Matth. 5: 44.

Εἰ-

Εἰδότες ὅτι εἰς τοῦτο ἐκλήθητε] *Hac lege vocati estis.* Sic et supra 2: 21. Illud *εἰδότες* [*scientes*] deest in Manuscripto et in Syro.

Ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε] *Ad aeterna bona participanda.* Est *ἀντανάκλασις* [*refractio*] in voce *εὐλογίας*, quae modo *bona verba*, modo *benefacta*. Deus adeo rebus in vos liberalis est, et vos essetis parci in verbis?

10. *Ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς, qui enim vult vitam amare et dies videre bonos*] Syrus rectius legit, *ὁ γὰρ θέλων ζωὴν, καὶ ἀγαπῶν ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς* [*qui enim vult vitam, et amat videre dies bonos*]. Est enim ex Ps. 34: 12, ubi in Graeco, *Τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὁ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθάς;* [*Quis est homo qui vult vitam, et amat dies videre bonos?*] Sed ibi *vita* et *dies* ad hoc seculum pertinent; hic vero, ut omnia promissa Euangelica, ad aeternitatem referuntur.

Παυσάτω τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ ἀπὸ κακοῦ, καὶ χείλη αὐτοῦ τοῦ μὴ λαλῆσαι δόλον, abstineat linguam a malo, et labia ne loquantur dolum] Est hoc ex eodem loco Psalmorum, nisi quod ibi in secunda persona *παῦσον* [*abstine*], et pari modo *γλῶσσάν σου* [*linguam tuam*] et *χείλη σου* [*labia tua*]. Caveat tum a maledicentia, tum a mendacio. *Παύειν* hic est *abstinere*, ut Act. 6: 13, 13: 10. In Hebraeo נצר, pro quo Syrus נטר significatu eodem, mutato צ in ט, quod Syris frequens. Illud *αὐτοῦ* utroque loco abest in Manuscripto. Vide ad explicationem huius sententiae locum ex libro מוסר [*Disciplinae moralis*], quem adduxit Drusius.

11. *Ἐκκλινάτω ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποιησάτω ἀγαθὸν, declinet a malo, et faciat bonum*] Et hoc ex eodem Psalmi loco, mutata persona. Prius est, *a pravis abstinere:*

Virtus est, vitium fugere, et sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Alterum, *actibus bonis incumbere.* Vide supra 1: 14, 15, 2: 1, 2,

Ζητησάτω εἰρήνην καὶ διωξάτω αὐτὴν, quaerat pacem et sectetur eam] Ex eodem Psalmi loco, pari mutatione. Indidem sunt quae sequuntur usque ad *καὶ τίς* [*et quis*]. Sensus huius membri qui Matth. 5: 9.

12. *Ὅτι οἱ ὀφθαλμοὶ Κυρίου ἐπὶ δικαίους, καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν, quia oculi Domini super iustos, et aures*

res eius in preces eorum] Deus pios propitius respicit et exaudit, Ioh. 9: 31, Iac. 5: 16.

Πρόσωπον δὲ Κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά, sed vultus Domini contra facientes mala] Ἐπὶ, et quod in Hebraeo est ב, hic ponitur pro *contra*, ut Luc. 10: 19. Sequitur in Psalmo, quod hic brevitatis causa subticetur, *τοῦ ἐξολοθρεῦσαι ἐκ γῆς τὸ μνημόσυνον αὐτῶν* [*ut perdat de terra memoriam eorum*].

13. *Καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς, ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε, et quis est qui vobis noceat, si boni imitatores fueritis*] Hoc vult, Pauci erunt qui vobis nocere velint, si semper ea quae plane bona sunt imitemini. Verbum *κακοῦν* pro *male tractare* habemus Act. 7: 6, 19, 12: 1, 18: 10. *Τοῦ ἀγαθοῦ* pro *τῶν ἀγαθῶν*, *rerum bonarum*, quomodo hic Syrus et Latinus. Manuscriptus pro *μιμηταὶ* habet *ζηλωταὶ* [*aemulatores*], non male. Vide Act. 21: 20.

14. *Ἀλλ' εἰ καὶ πάσχοιτε διὰ δικαιοσύνην, sed et si quid patiamini propter iustitiam*] Quia videbat obiici posse saevitiam Magistratuum religionis causa, ideo ad id respondet. *Δικαιοσύνη* est *Euangelii professio in qua Deo obeditur*, quo nihil iustius. Sic et Matth. 5: 10. In Manuscripto: *εἰ δὲ πάσχοιτε.*

Μακάριοι] *Eo ipso felices estis*, ut et dicto Matthaei loco dicitur: magna enim merces.

Τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε, μηδὲ ταραχθῆτε] Id est, *διὰ τὸν φόβον* [*prae metu*], ut supra 6. Et genitivus *αὐτῶν* hic obiectum designat: *Ne pavescite aut perturbamini prae metu illorum*, nempe Magistratuum. Et hoc et quod sequitur est ex Esai. 8: 12, 13, ubi in Graeco, *τὸν φόβον αὐτοῦ οὐ μὴ φοβηθῆτε, οὐδὲ μὴ ταραχθῆτε.*

15. *Κύριον δὲ τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, Domino autem Deo ex animo gratias agite*] In Graeco Esaiae dicto loco, *Κύριον αὐτὸν ἁγιάσατε.* Significat autem *ἁγιάζειν* hoc quidem in loco *gratias agere*, *δοξάζειν*, quomodo קדש interdum vertitur. Sic Cyprianus audita damnatione sua gratias Deo egit, et Martyres alii.

Ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν] *Parati estote causam reddere cur sitis Christiani.* Sic *ἀπολογίαν* habemus Act. 22: 1, Phil. 1: 7, 17, 2 Tim. 4: 16.

Παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, om-

omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe] In Manuscripto non male ἀπαιτοῦντι [*exigenti*]. *Si quis causam a vobis poposcerit religionis*, quae hic ex adiuncto *spei* nomine vocatur, ut et Act. 26: 7. Περὶ hic πλεονάζει [*abundat*], ut saepe.

Μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου, *cum lenitate et metu*] In Manuscripto non male ἀλλὰ μετὰ πραΰτητος [*sed cum lenitate*]. Et bene haec coniunxit: Abstinendum a verbis asperis; attamen nihil reticendum quod ad rem faciat, idque ob *Dei reverentiam*, qui hic φόβος dicitur.

16. Συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθὴν] In omni actu *bonam servantes conscientiam*, Act. 23: 1, 1 Tim. 1: 5, 19, 3: 9, 2 Tim. 1: 3; sic et infra 21.

Ἵνα ἐν ᾧ καταλαλῶσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, *ut ob id ipsum, ob quod vos tanquam sontes traducunt*] Eadem locutio quae supra 2: 12.

Καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν, *confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo vitam*] Hic iterum subaudi διά. Ἐν Χριστῷ, *secundum Christi praecepta. Male de vobis loquentur quod Christiani sitis.* At hoc ipsum *eis pudori erit*, ubi apparuerit ex factis vestris quam recta et pura sit Christiana religio. De verbo ἐπηρεάζειν vide Matth. 5: 44, Luc. 6: 28.

17. Κρεῖττον γὰρ ἀγαθοποιοῦντας, εἰ θέλει τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, πάσχειν, ἢ κακοποιοῦντας, *melius est enim benefacientes, si voluntas Dei vult, pati, quam malefacientes*] Hoc est ipsum quod uxori suae dicebat Socrates; sed neque de via recta, neque de fine quo ea tendit, ita eductus ut Christiani. Qui ob facinora patitur, spem non habet repensationis; qui ob Deum patitur, habet maximam. Vide supra 2: 20. Locutio est Hebraea, ab Eruditis annotata, אם כן ירצה רצון האל [*Si voluntas Dei ita voluerit*], par ei quae est 1 Cor. 4: 19, Iac. 4: 15. Sed hic ea de adversis usurpatur, ut in precatione *Fiat voluntas tua*. Vide et Matth. 26: 42, Luc. 22: 42. Θέλημα alibi significat rem quam Deus vult, hic vero volendi actionem. In Manuscripto pro εἰ θέλει [*si vult*] est εἰ θέλοι [*si velit*]. Quidam Latini vertunt, *si velit Spiritus Dei*, quia voces per compendia scriptae θμᾶ [*voluntas*] et πμᾶ [*Spiritus*] vicina sunt.

18. *Ὅτι καὶ Χριστὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, quia et Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis*] *Ἅπαξ* hic nihil aliud significat quam *aliquando*, ut Hebr. 9: 7, Ps. 89: 35. Si Christus mortuus est occasione peccatorum nostrorum, idque nostro bono, qui tunc eramus mali, quanto magis nos parati esse debemus mori aut mala perpeti ad ipsius gloriam et Christianorum aedificationem? *Περὶ* et *ὑπὲρ* modo occasionem significant, modo alterius utilitatem, ut hic videre est. Syrus utroque loco posuit חלף [*pro*]. Confer quae sunt Rom. 5: 6. In Manuscripto plenius, *περὶ ἁμαρτίας ὑπὲρ ὑμῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων* [*propter peccata pro nobis passus est, iustus pro iniustis*].

Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ, ut nos ad Deum adduceret] *Προσάγειν* hic est quod *καταλλάσσειν* [*reconciliare*] Rom. 5: 10. Sicut *προσέρχεσθαι Θεῷ* est *Deum colere*, ut vidimus aliquoties, ita *προσάγειν idoneos ad Deum colendum facere:* quod Christus praestitit et exemplum nobis praebendo obedientiae, et suo sanguine obsignando doctrinae suae veritatem. Syrus ונקרבנן *ut offerret nos Deo*, ut victimas nimirum ipsi similes. Nam et קרב, ubi de victimis agitur, verti solet per *προσάγειν* plurimis locis Exodi, Levitici et Numerorum.

Θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ] *Mortuus quidem est quod attinet ad vitam hanc fragilem et caducam*, quae *carnis* nomine significari solet, ut 2 Cor. 5: 16, Hebr. 5: 7, 1 Tim. 3: 16. Plane idem est quod 2 Cor. 13: 4 dicitur, *ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας* [*crucifixus est ex infirmitate*].

Ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι] *Vivificatus ad vitam per vim illam Divinam* quae in ipso etiam in terris agente apparuit. Hoc est quod dicitur dicto loco 2 Cor. 13: 4 *ἐκ δυνάμεως Θεοῦ* [*ex virtute Dei*]. Sic et Spiritus Dei, qui in nobis est, causa erit nostrae resuscitationis, ut diximus ad Rom. 1: 4 et Hebr. 9: 14. Illud *τῷ* abest in Manuscripto. *Σὰρξ* et *πνεῦμα* opponuntur, ut Ioh. 6: 63.

19. *Ἐν ᾧ*] *Per quem* Dei *Spiritum* missum in Apostolos.

Καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν, et iis, qui in carcere erant spiritibus profectus praedicavit] *Πορευθεὶς, postquam in coelum adscendit*, ut mox 22, Ioh. 14: 2, 3, 12, 28, 16: 28. Christus dicitur *praedi-*

cas-

casse Gentibus, quia Apostoli id eius nomine ac virtute fecerunt, 2 Cor. 5: 20, Act. 13: 47, Rom. 15: 16, Gal. 2: 8, Eph. 2: 17. Quia autem adiungere voluit Petrus similitudinem a temporibus Noë, ut ostendat quanto res nunc melius per Christum quam tunc per Noën processerit, ideo verba desumit ex illa historia. Nam dicit Deus Gen. 6: 3, לא ידון רוחי באדם [*non contendet Spiritus meus cum homine*], ubi Graeci, *οὐ μὴ καταμείνῃ*, aut, *οὐ καταμενεῖ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις* [*non manebit Spiritus meus in his hominibus*]; at si proprietatem vocum sequimur id dicit, *Non erit ut in vagina detentus sic Spiritus meus in homine:* id est, Non erit inutilis animus quem ei dedi (Sap. 12: 1) sicut ensis in vagina, qui nihil efficit eius ad quod factus est. *Carcer* solet dici *φυλακή*, ut Gen. 40: 3, 4, 7, 41: 10, 42: 17, 19, Lev. 24: 12, Iud. 16: 22, 26, 2 Sam. 20: 3, 1 Reg. 22: 27, 2 Reg. 17: 4, 25: 27, 29, 2 Par. 18: 26, Esai. 42: 7, Ier. 32: 2, 8, 12, 33: 1, 37: 4, 14, 17, 21, 52: 31, 33, Ezech. 19: 9. Est autem vagina velut *carcer* gladio. Chaldaeis נדנה *vagina*. Eodem modo corpus hominis Chaldaei vocant, ut Dan. 7: 15, et in Thalmudicis saepe. Sic et Tertullianus, *Caro vagina adflatus Dei*, libro de Resurrectione carnis. Haec interpretatio non nova est, sed Hieronymi ad Esaiam.

20. *Ἀπειθήσασί ποτε, ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε, κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, qui olim non obtemperarunt, quando exspectabat Dei patientia eos diebus Noae, cum struebatur arca*] *Quales animi olim Noae temporibus non obtemperarunt.* Loquitur quasi iidem fuissent: et fuerant iidem spiritus sive animi non *ἀριθμῷ* [*numero*], ut Aristoteles loquitur, sed genere, id est, animi pariter Deo inutiles, illi scilicet qui Noae praedicationi non crediderunt. Homines a Deo plane abalienati Noae non crediderunt, Christo crediderunt. Vide de loquendi modo non dissimili quae diximus lib. II de Iure Belli ac Pacis 9. 3, in textu et in annotatis. *Exspectavit eos Dei patientia, quamdiu struebatur arca*, per annos CXX. Vide Hebr. 11: 7. Vox *ἀπεκδέχομαι* non infrequens nostris Scriptoribus. Vide Rom. 8: 19, 23, 25, 1 Cor. 1: 7, Gal. 5: 5, Phil. 3: 20, Hebr. 9: 28.

Εἰς ἣν ὀλίγαι (τουτέςιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν, qua pauci (id est octo) animae salvae factae sunt] Octo, id est, Noë, uxor, filii tres, tres nurus, Gen. 6: 18. Vide et 2 Petr. 2: 5. *Ψυχαὶ*, id est, *personae*, ut Act. 2: 41, 7: 14.

Δι᾽ ὕδατος, per aquam] Id est, cum in aquis versarentur. *Διὰ* pro *ἐν* habes Rom. 4: 12. Vide quae ibi diximus.

21. *Ὧι καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, cuius et nos nunc exemplar salvos facit Baptisma*] Id est, ᾧ ἀντίςοιχον [*cui respondens*], ut loquuntur Graeci. Vox *ἀντιτύπου* est communis utrique relato; id est, tam figurae tribuitur, ut ad Hebr. 9: 24, quam rei per figuram significatae, ut hic. In Glossario, *Ἀντίτυπον*, *exemplum*, *exemplar*, *instar*. Plerumque autem Apostoli cum *Baptisma* nuncupant, simul comprehendunt doctrinam Baptismi. De qua vide ad Hebr. 6: 2, adde Rom. 6: 3, 4, Eph. 4: 5, Gal. 3: 27, Col. 2: 12. Salutem Noae partam quandam *παλιγγενεσίας* [*regenerationis*] fuisse imaginem, ait Philo de Vita Mosis. In Manuscripto optimo et aliis hic est ὅ, ut nempe id referatur ad *ὕδωρ*, non ut idem significetur, sed simile: quod notat illud *ἀντίτυπον* positum *ἐπιθετικῶς* [*adiective*], et *βάπτισμα* positum *προσθετικῶς* [*per appositionem*].

Οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, non carnis depositio sordium] Non ei rei serviens cui balnea sufficiunt. *Τί γὰρ ὄφελος ἐκείνου τοῦ βαπτίσματος ὃ τὴν σάρκα καὶ μόνον τὸ σῶμα φαιδρύνει; [Cui enim bono illud baptisma quod carnem aut corpus solum mundat?]*, ut ait Iustinus Colloquio cum Tryphone. Vide quae dicta nobis ad Matth. 3: 6.

Ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, sed conscientiae bonae stipulatio in Deum] *Ἐπερώτημα* est vox iuris, ut videre est apud Theophilum titulo Institutionum de Verborum Obligationibus et sequentibus, et apud Graecos Iuris Romani Interpretes alios. In Glossario, *ἐπερωτῶ*, *stipulor*. Sed per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*], ut in iure saepe, nomine *stipulationis* comprehenditur et *responsio* sive *promissio*. Nam et *ἐπερωτῶμαι* significat *promitto*, *spondeo*, in eodem Glossario. In Baptismo Episcopus aut alius quis eius nomine ita interrogabat, aut, quod idem est, stipulabatur, *Ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ; [Re-*

nun-

nuntiasne Satanae?], respondebat baptizandus, Ἀποτάσσομαι [*Renuntio*]. Rursum interrogatus, Συντάσσῃ τῷ Χριστῷ; [*Adhaeresne Christo?*], respondebat, Συντάσσομαι [*Adhaereo*]. Hanc *sponsionem salutis* vocat Tertullianus de Baptismo. Idem de Resurrectione carnis: *Anima enim non lavatione sed responsione sancitur.* Cyprianus *interrogationem Baptismi* dixit Epistola LXXX et LXXVI. Quare ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεὸν dicitur hic pro Θεῷ, nempe subaudito ποιηθὲν [*facta*], *sponsio Deo facta de pura conscientia.* Vide quae ad Matth. 28: 19.

Δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ] Haec bonae conscientiae sponsio venit ex fide *de resurrectione Christi*: inde enim et nos spem resurrectionis concepimus.

22. *Ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, qui est ad dexteram Dei*] Eadem locutio Rom. 8: 34, similis Hebr. 1: 3. Hic in quibusdam Graecis Codicibus aliquanto plus fuisse docet Latina versio.

Πορευθεὶς εἰς οὐρανόν, profectus in coelum] Vide supra 19.

Ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων, subiectis ipsi Angelis et Potestatibus et Virtutibus] *Angeli* hic nomen est speciei, non generis, ut et Rom. 8: 38. Crescit enim oratio. Ἐξουσίας habes et Eph. 1: 21 et Col. 1: 16, 2: 10. Δυναμέων vero Rom. 8: 38, Eph. 1: 21, ad quae loca quae diximus vide.

CAPUT IV.

1. *Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, Christo igitur passo pro nobis in carne*] Repetit quod dixerat supra 3: 18.

Καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε] Est rursus passivum pro verbo reciproco. *Firmo proposito* quidvis pro Christo ferendi *vosmet armate*. Sic ἐνδύεσθαι τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς [*induere arma lucis*] Rom. 13: 12, ἐνδύεσθαι τὴν πανοπλίαν Θεοῦ, τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης [*induere armaturam Dei, loricam iustitiae*] Eph. 6: 11, 14, τὸν θώρακα τῆς πίστεως [*loricam fidei*] 1 Thess. 5: 8, ἐνδύεσθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον [*induere novum hominem*] Eph. 4: 24, Col. 3: 10. לבש [*induere*].

Ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ, quod qui passus est in carne] In Manuscripto, ὁ παθὼν σαρκὶ, rectius, *qui affectus carnales in se crucifixit atque interfecit*, Rom. 6: 2, 7, Gal. 5: 24, Col. 3: 5.

Πέπαυται ἁμαρτίας] *Abstinet in posterum a peccatis.* *Δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας* [*purgatus est peccato*] Rom. 6: 7, חדלו הרע [*desinit malefacere*] Esai. 1: 16.

2. *Εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ βιῶσαι χρόνον, ita ut iam non cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis*] Hic εἰς τὸ valet *ita ut.* Et ἀνθρώπων ἐπιθυμίαι dicuntur *cupiditates illae quae adesse solent maximae hominum parti. Vivere voluntati Divinae* est vivere secundum Dei praecepta, quod *vivere Deo* dicitur Rom. 6: 10, 11, Gal. 2: 19, *vivere Domino* Rom. 14: 8. Et in voce σαρκὶ est ἀντανάκλασις [*refractio*]. *Caro* enim prius sumpta fuerat pro *affectibus qui carni soli serviunt*; hic vero pro *vita caduca et fragili*, quomodo Gal. 2: 20.

3. *Ἀρκετὸς γὰρ ὑμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι*] Melius Manuscriptus κατεργάσθαι, quomodo videtur legisse et Syrus. *Sufficere vobis debet praeteritum tempus, quo vos*, quanquam Iudaei, *vixistis Gentium more*, corrupti a pravis doctoribus. Sic Martialis:

Lusistis: satis est.

Confer de Iudaeorum vita locum Rom. 2: 21, 22. Et hic κατειργάσθαι positum pro εἰς τὸ κατειργάσθαι, *ad ea facienda quae Gentibus aliis allubescunt:* quomodo recte accipit Latinus. Ea quae sint iam speciatim explicabit. Ἀρκετὸς רב.

Πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις, versantes in cupiditatibus] *Πορεύεσθαι* הלך est *certum vitae institutum sequi.* Ἀσελγεῖαι quae sint vide Marc. 7: 22, Rom. 13: 13, 2 Cor. 12: 21, Gal. 5: 19, Eph. 4: 19, 2 Petr. 2: 7, 18, Iud. 4.

Ἐπιθυμίαις] Ad novas semper *libidines* inardescente animo. Vide Rom. 1: 24, 6: 12, 13: 14, Gal. 5: 16, 24, Eph. 2: 3, 4: 22, Col. 3: 5, 1 Thess. 4: 5, 1 Tim. 6: 9, 2 Tim. 3: 6, 4: 3, Tit. 2: 12, 3: 3, supra 1: 14, 2 Petr. 1: 4, 2: 10, 18, 3: 3, Iud. 16, 18.

Οἰ-

Οἰνοφλυγίαις, vinolentiis] Est haec vox apud Plutarchum Othone; *οἰνόφλυξ* [*vinosus*] apud Xenophontem. *Παρὰ τὸ φλύειν, ὁρμὴν πρός τι ἔχειν* [*a verbo φλύειν, quod est, vehementer appetere*], ait Scriptor Etymologici. *Οἰνοφλυγεῖν* [*vino se ingurgitare*] apud LXX Deut. 21: 20, Esai. 56: 12, pro סבא, unde *σαβάζειν* [*bacchari*].

Κώμοις, comessationibus] Vide Rom. 13: 13, Gal. 5: 21.

Πότοις, compotationibus] Assidua convivia, etiamsi absit ebrietas, culpa non carent. Sic *πότος* sumitur Gen. 19: 3, 40: 20, Iud. 14: 10, 12: 17, 1 Sam. 25: 36, 2 Sam. 3: 20, Esth. 1: 5, 8, 9, 2: 18, 5: 6, 6: 14, 7: 2, Iob. 1: 4, 5, Prov. 23: 30, Eccl. 7: 3, Esai. 25: 6, Ier. 16: 6, Dan. 1: 5, 8: nimirum quomodo Graeci dicunt *συμπόσια*.

Καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, et illicitis idolorum cultibus] עבודת זרות *cultibus falsorum Numinum*, qui ab Iudaeis Hellenistis dicti *εἰδωλολατρεῖαι*, quia non sine simulacris exerceri solebant. Tales autem cultus per se sunt *illiciti*, quia quod unius Dei est, ipso nolente in alios transferunt. Ideo hic dicuntur *ἀθέμιτοι*, quam vocem habes et Act. 10: 28. In Glossario, *ἀθέμιτος, infandum, nefas, illicitum: ἀθέμιτα ἔργα* [*facta illicita*] apud Herodotum. Talia Hebraeis גלולים. Est autem idololatriae quaedam species adesse sodalitiorum *συσσιτίοις* [*conviviis*] de quibus profecta falsis Diis dantur. Et in hac maxime re credibile est Iudaeos illos, antequam Christiani essent, accommodasse se Gentium moribus.

4. *Ἐν ᾧ ξενίζονται, μὴ συντρεχόντων ὑμῶν εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν*] *De eo mirantur* illi nondum conversi, *quod non cum ipsis cursitetis ad talia luxuriosa convivia*. *Ξενίζεσθαι mirari* habemus et infra 12. Sic Polybius: *Ξενιζόμενοι ταῖς τῶν ὀργάνων κατασκευαῖς* [*Instrumentorum apparatum admirati*]. Et: *Ἐξενίσθη διὰ τὸ παράδοξον* [*Rei novitatem miratus*]. *Ἀνάχυσις* [*profusio*] hic sumitur pro Chaldaeo סרחא vel [illegible], per quae significatur *id quod modum longe excedit*, sicut Latini *prodigum* vocant *profusum*. *Ἀσωτία* זלל Prov. 28: 7.

Βλασφημοῦντες] Id est, *maledicentes* insuper vobis. Nam sic id verbum sumitur Matth. 27: 39, Marc. 15: 29, Luc. 23: 39, Act. 13: 45, 18: 6, Rom. 3: 8 et alibi. Maledicebant autem illis tanquam desertoribus civilis societatis.

5. *Οἳ ἀποδώσουσι λόγον*] Id est, maledicta illorum *ad examen venient Christi.* Vide Hebr. 13: 17.

Τῷ ἑτοίμως ἔχοντι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς] Circumscriptio Christi, *qui paratus est iudicare et tunc victuros cum veniet et praemortuos.* Sic *ἑτοίμως ἔχειν* habes Act. 21: 13, 2 Cor. 12: 14 et Dan. 3: 15, ubi in Chaldaeo, איתיכון עתידין.

6. *Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη*] Nempe *Christus;* eadem locutione quae est Gal. 1: 16. Vocula *καὶ* ostendit hic *νεκροῖς* [*mortuis*] sumendos quomodo *νεκροὺς* quod praecesserat. Intelligendi autem *νεκροὶ*, non qui mortui erant cum eis annunciaretur Christus, sed qui mortui erant cum Petrus haec scriberet: plane quomodo dicitur Ruth. 1: 8, *καθὼς ἐποιήσατε μετὰ τῶν τεθνηκότων*, עם־המתים [*sicut fecistis cum mortuis*]: nam et ibi *mortui* dicuntur qui tunc erant mortui cum ista diceret Naëmi, non cum eis benefieret. Christus voluit *annunciari etiam iis qui iam sunt mortui:* ergo non *vivos* tantum, sed et *mortuos iudicabit:* alioqui frustra illis annunciatus esset, frustra illi credidissent et dura pertulissent.

Ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι] Id est, *ut quamvis ab hominibus damnati ad mortem, Dei tamen virtute rursus vivant.* *Ἵνα* significat quis futurus sit eventus praedicationis ipsis factae. *Κατ᾽ ἀνθρώπους*, *quantum in hominibus fuit*, qui corpus interficere possunt, non et animum, Matth. 10: 28. Sic in opposito membro *κατὰ Θεὸν*, *quod in Deo est.* *Κρίνεσθαι σαρκὶ* [*iudicari carne*] est breviter dictum, *ita damnari ut carnis iactura fiat:* quod cum haec scriberentur evenerat Stephano, Iacobo et aliis. Adde Apoc. 14: 13. *Ζῆν πνεύματι* [*vivere spiritu*] est *vivere vitam illam aeternam quae et spiritualis*, 1 Cor. 15: 46.

7. *Πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε*, *omnium autem finis appropinquavit*] הקץ בא [*finis venit*]. *Non longe abest illud iudicium.* Ita enim Petrus existimabat, ut et de Paulo diximus ad 1 Cor. 15: 52 et 1 Thess. 4: 17. *Πάντων rerum omnium huius seculi:* quomodo et Syrus accepit.

Σωφρονήσατε οὖν καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχὰς, *estote itaque modesti et vigilate ad preces*] *Σωφρονεῖν* est *modeste se gerere*, ut Tit. 2: 6, *νήφειν animo esse nullis ma-*

malis affectibus turbato, ut diximus 1 Thess. 5: 6, 8. Utrumque prodest *ad recte faciendas preces*. Vide supra 3: 7.

8. *Πρὸ πάντων δὲ, ante omnia autem*] Eadem locutio quae Iac. 5: 12.

Τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες, mutuam in vosmetipsos dilectionem intentam habentes] Supple ἐςέ. Et εἰς ἑαυτοὺς pro εἰς ἀλλήλους [*alii in alios*], ut Col. 3: 16, 1 Thess. 5: 13. Ἐκτενῆ, ut supra ἐκτενῶς 1: 22.

Ὅτι ἡ ἀγάπη καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν, *quia dilectio operiet multitudinem peccatorum*] Eadem sententia quae Iac. 5: 20, ubi diximus καλύπτειν כסה esse *condonare*. Dilectio maxime in eo spectatur ut alios a peccatis abstrahamus: cui consequens est ut Deus hominis iam emendati priora peccata dissimulet. In Manuscripto, ἀγάπη καλύπτει [*dilectio operit*].

Φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους] *Prompti ad hospitio excipiendos* fratres peregrinos. Vide 1 Tim. 3: 2, Tit. 1: 8, Rom. 12: 13, Hebr. 13: 2.

Ἄνευ γογγυσμῶν, *sine murmuratione*] Id est, contenti vestra sorte. Vide Phil. 2: 14.

10. Ἕκαςος καθὼς ἔλαβε χάρισμα, *quisque sicut accepit gratiam*] Sub nomine *gratiae* generaliter acceptae hic intelligit non tantum dona Spiritus, sed et corporis et facultatum, ut sequentia declarant. Conferendus hic locus cum eo qui est ad Rom. 12: 6, 7.

Εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸ διακονοῦντες, *in vosmetipsos illam administrantes*] Rursus εἰς ἑαυτοὺς pro εἰς ἀλλήλους [*alii in alios*]. Et διακονεῖν hic generale est: mox specialiter sumitur. Vide supra 1: 12.

Ὡς καλοὶ οἰκονόμοι ποικίλης χάριτος Θεοῦ, *sicuti boni dispensatores variae Dei gratiae*] Quid sit οἰκονόμος vide 1 Cor. 4: 1, 2, Tit. 1: 7. Ποικίλης χάριτος sicut ποικίλαις δυνάμεσι [*variis virtutibus*] Hebr. 2: 4.

11. Εἴ τις λαλεῖ ὡς λόγια Θεοῦ] Supple λαλείτω [*loquatur*], *qui populum docet* (ὁ κοπιῶν ἐν τῷ λόγῳ [*qui laborat in verbo*], ut dicitur 1 Tim. 5: 17) *doceat Euangelium*, non ut verbum humanum sed *ut verbum Dei*. Λόγια Θεοῦ habes Act. 7: 38, Rom. 3: 2, Hebr. 5: 12, Num. 24: 4, in Psalmis satis saepe.

Εἴ τις διακονεῖ, si quis ministrat] Hic vox illa specialiter sumitur ad designandam curam circa pauperes, ut Act. 6: 2.

Ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεὸς, ut ex viribus quas largitur Deus] *Pro corporis viribus*. Nam iuvenes ad διακονίας [*ministeria*] elegi solebant, qui huc illuc facile discursarent.

Ἵνα ἐν πᾶσι δοξάζηται ὁ Θεὸς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ] Id est, *ut omnes* qui vestros actus vident *Deum laudent quod* per *Iesum Christum* virtutes tales in hominibus produxerit.

Ὧι ἐστιν ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν, cui est gloria et imperium in sempiternum. Amen] Similis acclamatio ad Christum pertinens est 2 Tim. 4: 18. *Δόξα* et *κράτος* coniungi solent, ut infra 5: 11, Apoc. 1: 6, 5: 13, et iunctim *κράτος τῆς δόξης* Col. 1: 11. Sic *τιμὴ καὶ κράτος* [*honor et imperium*] 1 Tim. 6: 16, *κράτος καὶ ἐξουσία* [*imperium et potestas*] Iud. 25.

12. *Ἀγαπητοί, μὴ ξενίζεσθε*] *Ne admiramini: ne obstupescite*, ut supra 4. Cyprianus vertit, *Nolite mirari.*

Τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ, incendium quod ad tentationem vobis fit] *Τῇ* pro *ἐπὶ τῇ*. Vocat *πύρωσιν* res adversas, ob similem effectum. Nam sicut metalla per flammam ita homines per adversa explorantur: quae exploratio hic et alibi dicitur *πειρασμός*. Sic, *Ἐκείνους ἐπύρωσεν εἰς ἐτασμόν* [*Exploravit eos quasi per ignem*], Iudith. 8: 27. De metallis habes Prov. 27: 21, *Δοκίμιον ἀργυρίῳ καὶ χρυσῷ πύρωσις* [*Exploratio argento et auro flamma*]. Et hinc, ut dixi, similitudo Ps. 66: 10, *Ἐπύρωσας ἡμᾶς ὡς πυροῦται τὸ ἀργύριον* [*Igne nos, perinde ut argentum exploratur, explorasti*]. Idemque est Zach. 13: 9. Et Ier. 9: 7, *Ἰδοὺ ἐγὼ πυρώσω αὐτοὺς καὶ δοκιμῶ αὐτούς* [*Ecce ego eos ut igne candeant faciam, atque eos explorabo*]. Par sensus Dan. 11: 35. Sume hic *πειρασμὸν*, ut Iac. 1, 2 et 12.

Ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος] *Tanquam res inopinata vobis eveniret.*

13. *Ἀλλὰ καθὸ κοινωνεῖτε τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασι, χαίρετε, sed eo quod suppliciorum Christi participes estis, gaudete*] *Καθὸ* hic idem quod *καθότι* Luc. 1: 7, 19: 9. *Κοινωνεῖν παθήμασι Χριστοῦ*, ut hic, est *κοινωνὸν εἶναι τῶν*

Χρι-

Χριστοῦ παθημάτων, ut 2 Cor. 1: 7, *συμπάσχειν Χριστῷ*, Rom. 8: 17, id est, pati ad testimonium reddendum doctrinae Christi, qua de causa et Christus passus est. Ob id *gauderi* vult. Sic Iacobus de afflictionibus agens, *Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε* [*Omne gaudium existimate*]. Et Hebr. 10: 34, *Τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων μετὰ χαρᾶς προσεδέξασθε* [*Rapinam bonorum cum gaudio tulistis*]. Adde Act. 5: 41.

Ἵνα καὶ ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῆς δόξης αὐτοῦ χαρῆτε ἀγαλλιώμενοι, ut et in apparitione gloriae eius gaudeatis et exsultetes] Gaudent et qui magna gaudia spe certa praesumunt. Christus iam quidem gloriam habet, sed ea non omnibus apparet, sicut apparebit supremo die: quae hic *ἀποκάλυψις δόξης* Christi, et *ἀποκάλυψις Κυρίου* supra 1: 7, 13, 1 Cor. 1: 7, 2 Thess. 1: 7. Vide et Luc. 17: 30.

14. *Εἰ ὀνειδίζεσθε ἐν ὀνόματι Χριστοῦ, μακάριοι, si exprobramini ob Christi nomen, beati*] Hic *ἐν ὀνόματι Χριστοῦ* quod *ἕνεκα Χριστοῦ* [*propter Christum*] in eiusdem sensus dicto Matth. 5: 11. Vide et supra 3: 14.

Ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, quia gloriae et Dei Spiritus vobiscum remanet] In Manuscripto, *ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται* [*quia gloriae et potentiae et Dei Spiritus in vobis requiescit*]: sed vera lectio est *τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως, τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα* [*gloriae et potentiae, Dei Spiritus*], &c. Cur non gauderetis, inquit, etiam in mediis malis? Causam habetis magnam, *Spiritum Dei*, qui in malis vos non deserit, sed *vobiscum manet*, *ἀναπαύεται*, id est, שכן [*inhabitat*], unde שכינה [*inhabitatio* seu *Divinum Numen*]. Et dicit *ἐφ' ὑμᾶς*, quomodo *ἐπέρχεσθαι* [*supervenire*] dicitur idem Spiritus Luc. 1: 35, Act. 1: 18. Sic שכן עליו [*habitavit super illud*] Exod. 40: 35. Hunc *Spiritum* autem appellat et *gloriae*, id est, potentem valde atque efficacem. Magna sane potentia, loqui linguas, sanare aegrotos, eiicere Daemonas, et praedicere futura: et maximus inde illis honor apud homines aequos. Quod si talis est arrhabo, quantum et quale erit ipsum pretium?

Κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται, ab illis vituperatur, a vobis laudatur] Abest hoc a Ma-

nuscripto non minus quam a Latino et Syro et Arabe.

15. *Μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω ὡς φονεὺς, nemo enim vestrûm patiatur ut homicida*] Laetum est pati pro bona causa. Idem sensus qui supra 2: 20. Vocem φονεὺς habes Sap. 12: 5, Act. 3: 14, 7: 52, 28: 4, Apoc. 21: 8, 22: 15. Significat *eum qui iniuste homini vitam eripit*. Est hic γὰρ pro οὖν [*igitur*], ut Exod. 25: 40.

Ἢ κλέπτης, aut fur] Vide 1 Cor. 6: 10. *Fur* est qui alienum iniuste arripit.

Ἢ κακοποιὸς, aut maleficus] Nomine hoc generali eos designat qui quovis modo in leges publicas delinquunt, ut periuri, falsarii, adulteri. Vide Ioh. 18: 30, supra 2: 12, 14, 3: 16.

Ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος] *Ut alieni speculator:* ita Tertullianus Scorpiaco. Denotatur hoc nomine *percunctator*, idemque *garriens*.

16. *Εἰ δὲ ὡς Χριστιανὸς, sin ut Christianus*] De origine huius nominis habes Act. 11: 26.

Μὴ αἰσχυνέσθω, non erubescat] Si non pudendum fuit cum Phocione mori, quanto minus ob Christum?

Δοξαζέτω δὲ τὸν Θεὸν ἐν τῷ μέρει τούτῳ] *Gratias Deo agat hoc nomine:* supra 3: 14. *Ἐν τούτῳ τῷ μέρει* [*hac in parte*] valet *quod ad hanc rem attinet*, ut 2 Cor. 3: 10, 9: 3, Col. 2: 16. In Manuscripto est locutione Latina ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ [*isto nomine*]. Nec aliter legit Syrus.

17. *Ὅτι ὁ καιρὸς τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρῖμα ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ*] In Manuscripto ὅτι καιρὸς, ut Marc. 11: 13. *Tempus imminet quo Christiani gravissima mala patiantur*, praedictum Christo Matth. 24: 9. Est autem κρῖμα [*iudicium*], hoc loco plane ut Rom. 5: 16, משפט *Dei constitutio*, de immittendis scilicet adversis, ut ostendunt praecedentia; nempe ad alios purgandos, alios explorandos et proponendos in exemplum.

Εἰ δὲ πρῶτον ἀφ' ἡμῶν] *Si nos primi ad mala ferenda.*

Τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθούντων τῷ Θεοῦ εὐαγγελίῳ, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio] De Iudaeis agit, et eius gentis excidium praedicit. *Τὸ τέλος* pari sensu habes Matth. 24: 14. Respicitur Danielis locus 9: 27, ubi est כלה συντέλεια [*finis*].

18. *Καὶ εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, et si iustus vix serva-*

vatur] Est ex Graeca versione Prov. 11: 31, ubi in Hebraeo הן צדיק בארץ ישלם אף כי־רשע וחוטא [*Si iusto in terra compensabitur, quanto magis impio et peccanti*]. *Μόλις* hic significat *non sine adversis*. Ita *μόλις πῶς* apud Xenophontem, *cum difficultate*. *Μόλις ἐπαίρουσι τὰ βλέφαρα* [*Difficillime attolunt palpebras*] apud Galenum. Syrus hic למחסין *cum vi*. Sic *μόλις* et *μετὰ πόνου* [*cum labore*] ut paria ponuntur Sap. 9: 16. Et *μόλις* pari sensu est apud Isocratem fine ad Demonicum.

Ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται] *Impius in Deum, in homines improbus, ubi invenietur?* nonne in summis malis? *Ἁμαρτωλὸν* hic sume ut Rom. 5: 8, Gal. 2: 15. Coniunctim *ἀσεβεῖς καὶ ἁμαρτωλοὺς* habes et 1 Tim. 1: 9. Sententia huic valde par est apud Rabbinum Salomonem ad Num. 10: *Cum Deus sanctus benedictus iudicium facit in iustos, sanctus extollitur et laudatur: nam si in illis hoc facit, quanto magis in impiis?* Vide et Ier. 25: 29 et Luc. 23: 31, et ibi dicta. Scriptor de Vita et Morte Mosis: *Quod si iustis retribuit Deus minimum quod faciunt, quanto magis peccatoribus multum quod committunt retribuit?*

19. *Ὥστε καὶ οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, itaque et ii, qui patiuntur secundum voluntatem Dei*] *Πάσχειν* hic est *adversis agitari*, ut supra 2: 19, 20, 23, 3: 14, 17, supra 15. *Κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, Deo sic dispensante*, ut supra 3: 17. Non agitur hic de communi quadam permissione, sed de speciali Dei decreto, quo pios Christi exemplo ad crucem vocat.

Ὡς πιστῷ κτίστῃ, tanquam fido creatori] *Deo scilicet qui Creator est*, ideoque ius in nos habet; deinde *fidus*, ideoque stabit promissis et mala tolerata maximis bonis repensabit.

Παρατιθέσθωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ] *Se totos*, quanti quanti sunt, Dei arbitrio *permittant*, neque *in bene agendo* defatigentur. Verbum *ἀγαθοποιεῖν* in hoc sensu iam aliquoties habuimus, supra 2: 14, 15, 20, 3: 6, 17. *Παρατίθεσθαι* הפקיד. *Ψυχὰς ἑαυτῶν* [*animas suas*] locutione Hebraea valet *se ipsos*, ut diximus ad Matth. 10: 39.

CAPUT V.

1. *Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ, Seniores qui in vobis sunt obsecro*] Intelligit et Principes coetûs, *κοπιῶντας ἐν λόγῳ* [*laborantes in verbo*], et caeteros ad regimen eis sociatos.

Ὁ συμπρεσβύτερος, Senior et ipse] Sic et Imperatores Romani milites suos *commilitones* vocant, et *Senatus partem* se esse dicunt.

Καὶ μάρτυς τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων, et testis Christi suppliciorum] Vidit eum Petrus vinctum. Deinde, quod Historia non docet, sed credibile est, audiens crucifixum, eius quoque rei spectator esse voluit, sed eminus et in turba. Apostoli *testium* nomine eminenter insigniuntur Luc. 24: 48, Act. 1: 8, 22, 2: 32, 3: 15, 5: 32, 10: 39, 41.

Ὁ καὶ τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός, et eius quae in futuro revelanda est gloriae socius] Supple *futurus*. Sic *κοινωνοὶ τῆς παρακλήσεως* [*socii consolationis*] 2 Cor. 1: 7. *Δόξαν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι* [*Gloriam quae revelabitur*] habes et Rom. 8: 18. Nunc ius habemus, res ipsa latet.

2. *Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, pascite, qui vobis est, gregem Dei*] Quod Christus Petro praeceperat Ioh. 21: 15, 16, 17, idem Petrus aliis. *Ποιμαίνειν* est *regere*, ut apparet tum dicto Iohannis loco, tum Matth. 2: 6; sic et Act. 20: 28. Sic Hebraeum רעה etiam Regibus tribuitur, ut 2 Sam. 5: 2, 7: 7, Ps. 78: 71. Sed quae hic sequuntur satis ostendunt non regiam hic gubernationem intelligi, sed eam quae suadendo non quae cogendo exerceatur. *Ἐν ὑμῖν*, id est, gregem *qui in vestris est locis*.

Ἐπισκοποῦντες, providentes] מפקדים. Sic et Presbyteri vocantur *ἐπίσκοποι* Act. 20: 28, quod nomen per excellentiam Principi coetûs adhaesit.

Μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, non coacte, sed spontanee] Id est, *ne dolete* quasi onere imposito, *sed laeto animo* facite quod vestri officii est. Sic Thucydides, *ἀναγκαστοὶ ἐκβάντες, cum inviti exirent*. Chaldaei dicerent כאונס.

באנס [*per vim*]. Pro eo quod hic est *ἀναγκαστῶς* dixit in re pari *ἄκων* [*invitus*] Apostolus Paulus 1 Cor. 9: 17. Ἑκουσίως *alacri animo*, בנדבה Ps. 54: 7. In Manuscripto est, *ἑκουσίως κατὰ τὸν Θεὸν*, id est, *Dei causa.* Et sic legit Latinus. Sic *necessitate* et *sponte facere* opponit et Philo: *Μὴ φόβῳ τὰ δίκαια δρῶντες, ἀλλ' ἑκουσίῳ γνώμῃ· τοῦ γὰρ μετ' ἀνάγκης τὸ αὐτοκέλευτον κατόρθωμα τιμιώτερον πανταχοῦ* [*Iusti sponte, non metu: nam qui ultro quod rectum est facit, multo apud omnes habetur vir melior, quam qui id tum demum facit cum cogitur*].

Μηδὲ αἰσχροκερδῶς, neque turpis lucri gratia] Non ut functionem hanc in occasionem lucri vertatis. Idem habes 1 Tim. 3: 3, 8, Tit. 1: 7. Adde 1 Tim. 6: 8, 9. Hebraei dicerent לא לבצע. Ne sitis similes illi pastori de quo Zacharias 11: 16.

Ἀλλὰ προθύμως] ישר לבב *animo recto*, id est, optime erga plebem affecto. Syrus hic מן כלה לבבון *ex toto corde.*

3. *Μηθ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, neque ut dominantes peculio*] Olim populus Israeliticus *κλῆρος* sive *patrimonium Dei*, Deut. 4: 20, 9: 29; nunc populus Christianus; cuius singulae partes, ut fieri solet *ἐν ὁμογενέσι* [*in cognatis*], idem nomen participant. Itaque Syrus hic posuit ומרעיתא *gregi*. *Κατακυριεύειν* רדה est *regio more imperare pro lubitu*, ut diximus ad Matth. 20: 25, et libro II de Iure Belli ac Pacis 22. 14, in textu et annotatis.

Ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου, sed exemplaria facti gregis] Ea praecipite quae et ipsi faciatis, aliter quam Scribae et Pharisaei, Matth. 23: 4. *Τύποι* hoc loco *exemplar* significat, ut et Exod. 25: 40, Phil. 3: 17, 1 Thess. 1: 7, 2 Thess. 3: 9, 1 Tim. 4: 12, Tit. 2: 7. Latinus Pacatus: *Blandissime iubetur exemplo.* Cicero de Senatu: *Is ordo vitio vacato; caeteris specimen esto.*

4. *Καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος, et cum apparuerit princeps pastorum*] Vocem *ἀρχιποίμην* habemus 2 Reg. 3: 4. Talis ille in Oedipode Senecae:

Minor sub illo turba pastorum fuit.

Pro eodem *τὸν μέγαν ποιμένα* [*pastorem magnum*] dixit Scriptor ad Hebr. 13: 20. *Φανερωθέντος* dictum ut Col. 3: 4, Ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ [*Cum Christus apparuerit*].

Ko-

Κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης ςέφανον, reportabitis non flaccescentem gloriae coronam] *Κομίζεσθαι* eleganter de praemio dicitur, ut supra 1: 9, Hebr. 10: 36, 11: 39, 2 Cor. 5: 10, Eph. 6: 8. *Στέφανον δόξης* תפארת עטרת Ier. 13: 18, Prov. 16: 31, Ezech. 16: 12, 23: 42. Ita dicebantur coronae illae quae sumebantur temporibus festis aut in summo gaudio. Eleganter autem Petrus hic addidit *ἀμαράντινον*, nam inter coronas quae dabantur benemeritis apud Graecos et gentes alias erant *ςέφανοι ἀμαράντινοι*, ut nos docet Philostratus Heroicis. Plinius autem de Amaranto libro XX, *Summa natura eius in nomine est, appellato quoniam non marcescat.* Hinc ducta haec *ἀλληγορία* [*allegoria*], simul respiciens ad illud Ps. 1: 3, *Τὸ φύλλον αὐτοῦ οὐκ ἀποῤῥυήσεται* [*Folium eius non defluet*]. Sic et supra 1: 4 dixit *κληρονομίαν ἀμάραντον* [*hereditatem non flaccescentem*]. Contrarium habes Esai. 40: 7, נבל ציץ [*cecidit flos*], Iac. 1: 10, 11, supra 1: 24.

5. *Ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις, similiter iuvenes subditi estote senioribus*] Sensus idem qui Hebr. 13: 17. Sed praecipue iuvenibus id praecepit Paulus, quod illa aetas difficilius regi se patiatur.

Πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι, omnes autem vobis invicem vos subiicite] Vult *singulos cedere consensui totius Ecclesiae:* nam *ἀλλήλοις* hic sumendum ut Iac. 5: 16. De voce *ὑποτάσσεσθαι*, esse eam sensus reciproci saepe iam diximus. At in Manuscripto deest *ὑποτασσόμενοι*, et illa *πάντες δὲ ἀλλήλοις* cohaerent cum iam sequentibus, ut et in Latino et Syro.

Τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, humilitatem induimini] Manuscriptus *ἐγκομβώσατε*. Id est quidem *induimini*, sed non usurpatur nisi de servili habitu. Pollux libro IV: *Τῇ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόσκειται λευκὸν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται* [*Brevi servorum tunicae palliolum appositum est album, quod ἐγκόμβωμα dicitur*]. Bene ergo hic ducta *ἀλληγορία* [*allegoria*] ad vim *ταπεινοφροσύνης* exprimendam: nam et Christus *ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν* [*semetipsum ad nihilum redegit, forma servili assumpta*] Phil. 2: 7.

Ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat

gra-

gratiam] Ex Graeco Prov. 3: 34. Similis sententia Luc. 1: 51, 52, Matth. 23: 12, Luc. 14: 11, 18: 14. *Ταπεινοῖς* hic, ut alibi saepe, valet *ταπεινόφρσσι*, *ταπεινοῖς καρδίᾳ* [*humilibus animo*] Matth. 11: 29.

6. *Ταπεινώθητε οὖν ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, humiles vos igitur subiicite potenti manu Dei*] Id est, *Deo regendos vos permittite;* quod monitum aliis verbis habuimus supra 4: 19. *Χεῖρα κραταιὰν* de Deo habes Exod. 3: 19. יד חזקה.

Ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ, ut vos exaltet opportuno tempore] Si non ante, certe iudicii tempore. Sic *ἐν καιροῖς ἰδίοις* [*suis temporibus*] 1 Tim. 6: 15, *ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ* [*tempore novissimo*] supra 1: 5. Sententia huic similis Iac. 4: 10. In Manuscripto, *ἐν καιρῷ τῆς ἐπισκοπῆς* [*tempore visitationis*]. Solet vox *ἐπισκοπῆς* nunc in bonam, nunc in malam partem sumi. Hic *ἐπισκοπὴν* intellige *tempus liberationis*, ut Gen. 50: 24, 25, Exod. 3: 16, 13: 19.

7. *Πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψαντες ἐπ' αὐτὸν, omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum*] *Ἐπιῤῥίπτειν*, hic est quod גלל Prov. 16: 3, Ps. 22: 8, aut שלך, ut Ps. 55: 23. Sensus qui Matth. 6: 25 et seqq., ubi dicta vide.

Ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν] *Curam ille vestri agit;* Matth. 6: 26, 30.

8. *Νήψατε, sobrii estote*] Vide supra 1: 13, 4: 7.

Γρηγορήσατε, vigilate] Eadem admonitio Matth. 24: 42, 25: 13, Marc. 13: 35, 37, Act. 20: 31, 1 Cor. 16: 13, 1 Thess. 5: 6, Apoc. 3: 2, 3, 16: 15.

Ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος, περιπατεῖ, ζητῶν τίνα καταπίῃ, adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret] Diabolus hic vocatur piorum *ἀντίδικος* quomodo *ἐχθρὸς* [*inimicus*] Matth. 13: 39. *Ὡς λέων ὠρυόμενος* אריה שאג Iud. 14: 5, Ps. 22: 13, Ier. 2: 15, Ezech. 22: 25, Os. 11: 10, Soph. 3: 3, Zach. 11: 3. *Rugit* leo cum irascitur. *Περιπατεῖ* respicit locum Iob. 1: 7, שוט, ubi in Graeco *ἐμπεριπατήσας*. Sic *διέρχεται* de eodem Matth. 12: 43. Quaerit is, cui noceat Luc. 22: 31. *Καταπίνειν* בלע *devorare.*

9.

9. Ὧι ἀντίστητε, *cui resistite*] Est imperativus. Sic ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ [*resistere die mala*] Eph. 6: 13.

Στερεοὶ τῇ πίστει] *Firma fide*, חזקים. Sic στερέωμα τῆς πίστεως [*firmamentum fidei*] Col. 2: 5.

Εἰδότες τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι, *scientes eadem adversa qui in terris sunt fratribus vestris fieri*] De voce ἀδελφότητος vide supra 2: 17. Ἐπιτελεῖσθαι hic sumo quomodo apud Lucianum ἄθλον ἐπιτελεῖν [*certamine fungi*], et ἐπιτελεῖν ἀποφορὴν [*pensione defungi*] apud Herodotum. *Scitis quot sunt per orbem omnem Christiani greges, eos paribus laboribus et adversis fungi.* Vocem παθήματα habuimus supra 1: 11, 4: 13 et hic 1. Frequens est apud Paulum.

10. Ὁ δὲ Θεὸς πάσης χάριτος, *Deus autem omnis gratiae*] *Deus clementissimus*, אל חנון Exod. 34: 6, 2 Par. 30: 9, Neh. 9: 17, 31, Ion. 4: 3, et in Psalmis saepe.

Ὁ καλέσας ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ] *Qui nos vocavit per Iesum Christum ad gloriae suae consortium.* Vide 1 Cor. 1: 9, 1 Tim. 6: 12.

Ὀλίγον παθόντας, *modicum passos*] Ὀλίγον hic est *ad breve tempus*, ut supra 1: 6. Brevis sane omnis haec vita aeternitati comparata.

Αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι, *ipse vos perficiat, sustentet, roboret, fundet*] In Manuscripto καταρτίσει, στηρίξει, σθενώσει [*perficiet, sustentet, roborabit*], abest ὑμᾶς, sed subauditur, nec adest θεμελιώσει [*fundabit*]: nec aliter legit Latinus. Καταρτίσει, יכונן Deut. 32: 6. Vide 1 Cor. 1: 10, 2 Cor. 13: 11, Hebr. 13: 21. Στηρίσει יסמך Ps. 51: 12, Esai. 59: 16, Rom. 16: 25, 2 Thess. 2: 17, 3: 3. Σθενώσει, יחזק. *Perfectos vos faciet, sustentabit, roborabit.*

11. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *ipsi gloria et imperium in sempiternum*] In Manuscripto tantum est Αὐτῷ τὸ κράτος, etc. Vide supra 4: 11.

12. Διὰ Σιλουανοῦ ὑμῖν τοῦ πιστοῦ ἀδελφοῦ (ὡς λογίζομαι) δι' ὀλίγων ἔγραψα, *per Sylvanum fidelem fratrem (ut arbitror) breviter vobis scripsi*] Ὡς λογίζομαι interpretor *si recte memini.* Affectum suum testatur, cum dicit se non nunc primum *eis scribere*, sed et *scripsisse* antehac *quanquam*

quam breviter, et id, quantum meminit, per Silvanum sive *Silam*. Idem enim *Silas* in Actis, et 2 ad Corinthios et utraque ad Thessalonicenses et hic *Silvanus*, ut ad illa loca diximus. Haec expositio videtur commodissima, ut neque de fide Silae videatur dubitare Petrus, neque incertus esse an haec pauca an multa sint quae nunc scribit. Laus quae hic Silae datur similis est ei quam dat Timotheo Paulus 1 Cor. 4: 17, et Tychico Col. 4: 7.

Παρακαλῶν καὶ ἐπιμαρτυρῶν ταύτην εἶναι ἀληθῆ χάριν τοῦ Θεοῦ εἰς ἣν ἑστήκατε, obsecrans et contestans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis] Repetit quo tenore fuerit brevis illa Epistola, ut, si eam receperint, sciant eam a se scriptam, non ab aliquo suppositam. Fuerat autem utile Galatas, quos Paulus ad Christum converterat, etiam Petri auctoritate firmari. *Χάριν* vocat hic doctrinam ex summa profectam Dei bonitate. Et *εἰς ἣν* pro *ἐν ᾗ* frequenti nostris Scriptoribus commutatione. Paulus Rom. 5: 2, *τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν* [*gratiam hanc in qua stamus*], ubi dicta vide. Est enim praeteritum pro praesente, et significat fidem esse quae nos a lapsibus servat. In Manuscripto est *ἐν ᾗ στῆτε* [*in qua state*], ut sit hortantis.

13. *Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή, salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone, electa*] Ad vocem *συνεκλεκτή* et Syrus et Arabs et Latinus addunt nomen *Ecclesiae*, recte: nam et ad Ecclesiam scribit, et haec, et illa pariter a Deo *electa*, id est, a mundo segregata. Sic Christianos *συγκληρονόμους, συγκοινωνοὺς* [*cohaeredes, socios*] saepe vocat Paulus. De *Babylone* dissident veteres et novi Interpretes. Veteres *Romam* interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit; novi, *Babylonem* in Chaldaea. Ego veteribus assentior: nam quod Romam *Babylonem* vocavit, non in hoc tantum serviit, ut si deprehenderetur Epistola, non posset inde sciri quibus in locis viveret, verum etiam ut cogitarent Pontici, sicut nunc ipsi vexarentur ab Imperio Romano, ita olim maiores suos, et quidem illis ipsis in locis, vexatos fuisse ab Imperio Babylonico;

luis-

fuisse tamen pios et in urbe Babylone, et nunc esse Romae: at sicut Deus poenas exegit de Babylone, ita et exacturum de Roma; et sicut Iudaei olim Babylonis iugo liberati fuere, ita et Christianos a Romana saevitia liberatum iri. Congruentias plurimas inter Babylonem et Romam vide Orosii II. 2—4. Hinc Babylon *Romanae urbis figura* Tertulliano adversus Iudaeos, et adversus Marcionem IV. Hic mystice impletum quod est in Ps. 87: 4.

Καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου, et Marcus filius meus] Cur non Ioannem Marcum in Actis memoratum, sed Petri comitem, cuius habemus Euangelium, significari putemus, diximus ad eius Euangelii inscriptionem. Solebant Apostoli eos quos ipsi instituerant *filios* vocare, ut vides 1 Cor. 4: 17, 1 Tim. 1: 2, 18, 2 Tim. 1: 2, 2: 1. Et Marco nomen Iudaicum fuit *Mardochaeus*, ut Silvano *Silas*.

14. *Ἀσπάζεσθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης, salutate vos invicem osculo dilectionis*] More Orientis, de quo diximus ad Luc. 7: 45, 22: 48, Rom. 16: 16, 1 Cor. 16: 20, 2 Cor. 13: 12, 1 Thess. 5: 26. *Dilectionis*, nempe Christianae. Syrus legit *ἐν φιλήματι ἁγίῳ* [*osculo sancto*], quomodo saepissime apud Paulum.

Εἰρήνη ὑμῖν πᾶσι, pax vobis omnibus] שלום לכם. Mos salutandi Hebraicus. Syrus hic שלמא עם כלכון.

Τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, qui estis in Christo Iesu] *In Christo esse* dicuntur qui sunt in eius Ecclesia, ut Rom. 16: 7 et alibi.

Ἀμήν. Amen] Acclamatio Ecclesiae quoties ista legerentur.

AN-

ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM QUAE PETRI

ALTERA DICITUR.

CAPUT I.

1. *Σιμὼν Πέτρος δοῦλος καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, Simon Petrus servus et Apostolus Iesu Christi*] Alii libri *Συμεών*. Sed id perinde est. Hoc enim est nomen Hebraeum שמעון, illud ex Hebraeo in Graeciorem formam deflexum, ut ex Iesu *Iason*. Sic 1 Macc. 2: 65, in Graeco *Συμεών*, in Latino *Simon*. Et hoc nomen ita scribit Iosephus. Iam olim Veterum multi credidere hanc Epistolam non esse Apostoli Petri, argumento tum dictionis ab Epistola priore multum diversae (quod agnoscunt Eusebius et Hieronymus), tum quod multae olim Ecclesiae hanc non receperint. Ego aliud addam argumentum cur Petri haec esse non videatur. Petrus sub Nerone mortem obiit. At haec Epistola, aut Epistola, ut nos arbitramur, huic subnexa, quae facit caput tertium, scripta est post excidium Hierosolymorum. Nemo enim Christianus ultimum mundi diem venturum credidit nisi postquam evenisset eversio Iudaici status. Post eam vero brevi admodum secuturam mundi ruinam, multorum animo obversa-

batur, ut diximus ad 2 Thess. 2 et alibi. Hic vero Scriptor Christianos vult patientes adhuc esse in illius diei exspectatione, si forte sperato tardius adveniat: esse hoc signum magnae Dei patientiae, qui adhuc multos ex Iudaeis et Gentibus ad se velit converti. Scriptorem autem huius Epistolae arbitror esse Simeonem sive Simonem Episcopum post Iacobi mortem Hierosolymis, eiusdemque Iacobi, cuius Epistolam habuimus, successorem et imitatorem. Nomen enim eius Episcopi utroque modo et *Simeon* et *Simon* scribitur apud Eusebium et alios: unde etiam constat vixisse hunc post excidium Hierosolymorum ad Traiani tempora, et tunc pro Christi nomine crucifixum.

Puto autem titulum Epistolae fuisse, *Συμεὼν δοῦλος Ἰησοῦ Χριςοῦ*, quomodo et Iacobus et Iudas scribunt; sed eos qui spectabiliorem et vendibiliorem voluerunt facere hanc Epistolam adiecisse *Πέτρος* et *ἀπόςολος*, et infra 3: 15, ad nomen *Pauli ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφός* [*carissimus frater noster*]. Credo ita comperturum si quis antiquiora quam nos habemus Epistolae huius exemplaria invenerit. In Syrorum libris veteribus abest haec Epistola. Tertullianus numquam deprompto hinc testimonio utitur.

Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίςιν, iis, qui aequalem nobiscum acceperunt fidem] *Ἰσότιμον, ἰσόμοιρον, ἰσόπεδον* voces sunt ab elegantioribus Graecis acceptae, quales non paucae in Maccabaicis. Tale est et *λαγχάνειν* pro *accipere* in libro Sapientiae. *Fides* omnium Christianorum *ad eundem honorem tendit*, nempe vitae aeternae. Missa autem haec Epistola ad gente Iudaeos, religione Christianos, qui erant in variis terrarum locis.

Ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριςοῦ, per iustitiam Dei nostri et Salvatoris Iesu Christi] Iustitiae inter alia pars est stare promissis. Promisit Christus, et per Christum Deus, vitam aeternam credentibus sibi, nempe ea fide quae obedientiam habeat comitem. Id praestabit procul dubio. Est hic ante vocem *σωτῆρος* omissus articulus, plane ut Tit. 2: 13.

2. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη, gratia vobis et pax adimpleatur*] Imitatur 1 Petr. 1: 2, ut et Iud. 2. *Πληθυνθείη* ירב.

Ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, cognitione Dei et Christi Iesu Domini nostri] In Manuscripto abest ἡμῶν. Est ἐπίγνωσις, *cognitio* et *experientia*, diciturque modo ἐπίγνωσις τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ [*cognitio Filii Dei*] Eph. 4: 13, modo ἐπίγνωσις τοῦ Θεοῦ, ut Col. 1: 10.

3. *Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, quandoquidem Divina eius potentia nobis omnia, quae ad vitam et pietatem faciunt, largita est, per cognitionem eius, qui vocavit nos propter gloriam et potentiam*] Hoc vult, non frustra se magni facere illam notitiam, quandoquidem Divina potentia per eam nobis largiatur omnia quae faciunt ad vitam alterius seculi et ad pietatem in hoc seculo. Satis fuerat dicere διὰ τῆς ἐπιγνώσεως αὐτοῦ, sed Hebraei amant nomina ponere vice pronominum. Nec inanis est haec Dei circumscriptio. Noscitur enim ex ipso vocandi modo plenus *gloriae*, quae in Christo refulsit, Ioh. 1: 14, et plenus *potentiae*. In Manuscripto est ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ [*propria gloria et potentia*]. Est autem ἀρετὴ hic *potentia*: διὰ hic est αἰτιολογικὸν [*redditivum causae*] et δωρησαμένης verbum medium sensu activo.

4. *Δι' ὧν, per quas*] Per quam Dei gloriam et potentiam, in Christo refulgentem.

Τὰ μέγιστα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται] *Data nobis sunt promissa* vitae aeternae, *quibus promissis nihil maius aut honoratius*. Data autem sunt cum testimoniis magnis, tum vocis Divinae et clarificationis Christi in morte, quae ad *gloriam* referuntur, tum per plurima miracula, quae ad *potentiam*.

Ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως] *Ut per ista promissa excitati participes fieretis*, id est imitatores, *Divinae bonitatis*. Nam φύσεως vox hic ad proprietates Dei pertinet, ut ὑποστάσεως [*substantiae*] Hebr. 1: 3. In Glossario, φύσις, *ingenium*: φύσεις ζώων [*naturae animalium*] Sap. 7: 20. Hierocles: Τὰ ἑξῆς ἐπαγγέλλεται Θεὸν ἐξ ἀνθρώπου ποιήσειν, ἐφ' ὅσον οἷόν τε ἀνθρώπῳ Θεὸν γενέσθαι [*Promittit deinceps facturum se ex homine Deum, quousque quidem homo Deus fieri potest*].

'Αποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, fugientes eam quae in mundo est ex concupiscentia corruptionem] φθορὰν [*corruptionem*] hic Scriptor, non hic tantum sed et infra 2: 12, 19, vocat *mores corruptos*, quibus opponitur ἀδιαφθορία [*integritas*] Tit. 2: 7, quae et ἀφθαρσία Eph. 6: 24. Pro κόσμῳ in Manuscripto ἐν τῷ κόσμῳ quod frequentius. Haec *morum corruptio in mundo* esse dicitur, quia maxima pars mundi ea laborat, 1 Ioh. 5: 19. Et dicitur esse ἐν ἐπιθυμίᾳ, id est, διὰ ἐπιθυμίας, quia ex concupiscentia nascitur, Iac. 1: 15. 'Αποφεύγων potest regere accusativum, propter verbum φεύγειν, et sic construitur infra 2: 20. Sed potest et genitivum regere, propter vim praepositionis ἀπὸ, quasi scriptum esset φύγοντες ἀπὸ τῆς φθορᾶς [*fugientes a corruptione*].

5. *Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες, iam ad hoc ipsum vos omne studium conferentes*] In Manuscripto, καὶ αὐτοὶ δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες [*et ipsi studium omne conferentes*], id est, Cum tanta acceperitis Dei beneficia, *vos in iis excolendis omne studium conferte*. Nec videtur aliter legisse Latinus. Deus fecit quod suum est; vos quoque quod vestrum est facite.

'Επιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετὴν, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν, adiicite fidei vestrae fortitudinem, fortitudini scientiam] Est in hac periodo egregia gradatio. Et est ἐπιχορηγεῖν hoc loco *adiicere*, et ἐν abundat. Sic ἐπιχορήγημα apud Athenaeum *coenae accessio*. Vox ἀρετῆς non potest hic ita generaliter sumi ut Phil. 4: 8 et apud Philosophos. Sequuntur enim multa virtutum nomina, ἐγκράτεια, ὑπομονὴ [*abstinentia, patientia*], etc. Quare ἀρετὴν hic recte puto posse accipi *fortitudinem in fide*, sicut ἀρετὰς pro *potentia* dici notavimus supra 1 Epist. 2: 9.

6. *'Εν δὲ τῇ γνώσει τὴν ἐγκράτειαν, scientiae abstinentiam*] Severam ab omnibus voluptatibus abstinentiam. Vide Act. 24: 25, Gal. 5: 22.

'Εν δὲ τῇ ἐγκρατείᾳ τὴν ὑπομονὴν, abstinentiae patientiam] Malorum sufferentiam constantem. Luc 21: 19, Rom. 5: 3, 8: 25, 15: 4, 2 Cor. 1: 6, 1 Tim. 6: 11, 2 Tim. 3: 10, Tit. 2: 2, Hebr. 10: 36, 12: 1, Iac. 1: 3, 4, 5: 11. תקוה.

'Εν

'Εν δὲ τῇ ὑπομονῇ τὴν εὐσέβειαν, patientiae pietatem] Id est, incrementum ingens pietatis: quomodo intelligenda et quae sequentur. Vide 1 Tim. 2: 2, 3: 16, 4: 7, 8, 6: 3, 6, 2 Tit. 1: 1, supra 3.

7. *'Εν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν, pietati dilectionem fraternam*] Dilectionem eorum qui pariter Christiani sunt, 1 Petr. 1: 22, 3: 8, Rom. 12: 10, 1 Thess. 4: 9, Hebr. 13: 1.

'Εν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην, dilectioni fraternae caritatem] Dilectionem erga homines omnes etiam non Christianos.

8. *Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα*] *Ubi haec* omnia *vobis* non *aderunt* tantum, sed *et accrescent* in dies. *Πλεονάζειν* עדף. In Manuscripto pro *ὑπάρχοντα* est *παρόντα* [*praesto sint*].

Οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν εἰς τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν 'Ιησοῦ Χριστοῦ ἐπίγνωσιν, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione] Hic εἰς τὴν ἐπίγνωσιν positum est pro ἐν τῇ ἐπιγνώσει, quod recte vidit Latinus Interpres. *Ista efficient ut cognitio Christi*, id est, Euangelii, quam adepti estis, *neque inutilis sit aliis, neque vobis infructuosa*. *'Αργοὺς*, בטלים. *'Ακάρπους*, עקרים.

9. *Ὧι γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα, cui enim non praesto sunt ista*] Ista modo dicta 5—7.

Τυφλός ἐστι, μυωπάζων, coecus est, nihil procul cernens] Alterum est alterius explicatio sive ἐπανόρθωσις [*correctio*]. Simile quid Apoc. 17: 17. Hoc vult hic Scriptor: *Caecum eum dico, nimirum quia longe posita*, in coelo scilicet, *animo non videt*. *Μυωπάζειν λέγονται* (ait Aristoteles) *οἱ τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντες, τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ ὁρῶντες* [*Myopes dicuntur, qui cum proxima videant, remota non vident*].

Λήθην λαβὼν τοῦ καθαρισμοῦ τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν, oblitus purgationis veterum suorum vitiorum] Non meminit, inquit, Baptismi in quo professus fuit se vitia omnia velle deserere. Vide Act. 15: 9, 2 Cor. 7: 1, Tit. 2: 14, Hebr. 9: 23, Iac. 4: 8, 1 Ioh. 1: 7, sed maxime Eph. 5: 26.

10. *Διὸ μᾶλλον*] *Potius ergo.*

Σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι]

θαι] *Date operam ut et vocatio quae vobis contigit* per Euangelium, *et electio* eam secuta, qua facti estis Dei populus, *rata sint*, id est, speratum eventum consequantur. Id enim est *βέβαιον γίνεσθαι* sive *βεβαιοῦσθαι*. Vide Rom. 4: 16, 15: 8, Hebr. 2: 2, 9: 17. In Manuscripto illo quo utimur et aliis multis plenius legimus: *Σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ὑμῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῖν τὴν παράκλησιν καὶ ἐκλογὴν ποιῆσθε* [*Operam date, ut per bona vestra opera ratam vobis consolationem et electionem faciatis*]. Latinus in suo Graeco habuit *διὰ τῶν καλῶν ἔργων*, sed *κλῆσιν* non *παράκλησιν*.

Ταῦτα γὰρ ποιοῦντες οὐ μὴ πταίσητέ ποτε, haec enim facientes non excidetis aliquando] Id est, Non excidetis speratis, לא תנגפו. Vide Rom. 11: 11. Ps. 15: 5, לא ימוט [*non nutabit*]. Ps. 119: 165, אין למו מכשול [*neque est iis offensio*].

11. *Οὕτω γὰρ πλουσίως ἐπιχορηγηθήσεται ὑμῖν ἡ εἴσοδος εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, sic enim copiose vobis concedetur introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi*] *Πλουσίως* est *copiose*, ut Col. 3: 16, 1 Tim. 6: 17, Tit. 3: 6, sed hic per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] significat *promptissimo Dei affectu*. Et *ἐπιχορηγηθήσεται* hic est *concedetur*, ut 2 Cor. 9: 10., Gal. 3: 5.

12. *Διὸ, propter quod*] Cum haec res tanti sit momenti.

Οὐκ ἀμελήσω ἀεὶ ὑμᾶς ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων, non negligam vos semper commonere de his] *Ὑπομιμνήσκειν* הזכיר 2 Tim. 2: 14, Tit. 3: 1. Utile est etiam memores monere, Phil. 3: 1. In Manuscripto *διὸ μελλήσω* [*propter quod incipiam*], innsitate. Et tamen videtur Latinus sic legisse.

Καίπερ εἰδότας, quamvis scientes] Sic Hesiodus:

Νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω, φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.
[*Regibus hanc narro, quamvis sapientibus, ipsis*
Fabulam — . —.]

Καὶ ἐστηριγμένους ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ, et confirmatos in praesenti veritate] Hoc non ad omnes, sed ad maiorem, certe meliorem, eorum quibus scribit partem pertinet. *Ἐστηριγμένους* נסמכים. Vide 1 Petr. 5: 10. *Ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ, in ea veritate quam hucusque profitemini*, Euangelica scilicet. Sic *ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας*

τοῦ

τοῦ εὐαγγελίου τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς [*in verbo veritatis Euangelii, quod pervenit ad vos*], Col. 1: 5, 6.

13. *Δίκαιον δὲ ἡγοῦμαι, ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι, iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo*] In hoc corpore. Hebraei *corpus* משכן vocant, id Graece dicitur σκῆνος, ut Sap. 9: 15 et apud Pythagoricos, aut σκήνωμα, ut hic et paulo post.

Διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει] *Excitare vos* ad officium saepe *commonefaciendo*.

14. *Εἰδὼς ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου, καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσέ μοι, certus quod instat depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Iesus Christus mihi significavit*] Similis praedictio Pauli de se 2 Tim. 4: 6. Cypriano quoque et Chrysostomo aliquid evenit non dissimile. Et in Hierosolymis tunc Ecclesiae frequens fuisse donum Prophetiae, videbimus in Apocalypsi. Credo autem scriptam hanc a Simeone Episcopo Epistolam, imperante iam Traiano. *Deponere*, ἀποτίθεσθαι, proprie de vestibus dicitur, ut Act. 7: 58, per similitudinem quandam de tabernaculo, aut de corpore velut tabernaculo, quomodo et γυμνοὶ [*nudi*] dicuntur, qui extra corpus sunt 2 Cor. 5: 3.

15. *Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, dabo autem operam, ut semper habeatis post exitum meum, quo horum recordemini*] Cum sentiam brevi me moriturum, ita alte hoc volo infigi vestris animis, ut non possitis nec post meam mortem non saepe eorum recordari. *Ἔξοδον* dici *mortem* notavimus ad Luc. 9: 31. Hic *exitus* figuratus per illum ex Aegypto.

16. *Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν καὶ παρουσίαν, neque enim arte factas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi potentiam et praesentiam*] *Μύθοις σεσοφισμένοις*, *fabulis arte factis*. *Σοφίζομαι*, *cavillor*, *comminiscor*, in Glossario. Sic πλαστοῖς λόγοις infra 2: 3. *Δύναμιν καὶ παρουσίαν*, ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*], pro δυνατὴν παρουσίαν [*potentem praesentiam*]. Dicitur autem παρουσία omnis operatio. Vide 2 Thess. 2: 9.

'Αλλ' ἐπόπται γενηθέντες, sed testes oculati facti] Quales testes αὐτόπται dicuntur Lucae in Praefatione, qui non de alieno sed de suo visu testantur. עיני הראות [*oculi videntes*] Deut. 3: 21.

Τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος, illius magnitudinis] Id est, *miraculorum eius*. Est enim μετωνυμία [*transnominatio*], qualis Luc. 9: 43. Eadem miracula dicuntur μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ [*magnalia Dei*] Act. 2: 11.

17. *Λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν, accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam*] Supple ἦν [*erat*]: quales ἐλλείψεις [*defectus*] saepe iam habuimus. *Τιμὴν καὶ δόξαν, honorem maxime gloriosum.*

18. *Φωνῆς ἐνεχθείσης αὐτῷ τοιᾶσδε ἀπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. Καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν σὺν αὐτῷ ὄντες ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ. Voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo me oblecto. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*] Solent haec verba vulgo referri ad vocem illam auditam in monte quodam Galilaeae, cuius testis fuit Petrus cum Iohanne et Iacobo. Quorum sententiam et nos sequebamur cum ad illam historiam narratam a Matth. 17 nostra scriberemus. Nunc ut aliter sentiam facit non modo nostra de Scriptore huius Epistolae proposita modo sententia, sed et quod ὄρος ἅγιον apud Hebraeos non alium montem significat quam montem Moriae, in quo erat Templum: ideoque haec verba refero ad illud quod narrat Iohannes 12: 28. Ei enim rei plurimi adfuere; quos inter non est quod miremur fuisse hunc Simeonem, qui Eusebio dicitur αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος τοῦ Κυρίου [*vidisse et audiisse Dominum*], mortuus, Hegesippo teste, cum annorum esset CXX. Nec id incredibile, cum ad Vespasiani aevum vixisse qui Caesarem Dictatorem vidissent, doceat nos disertissimus Scriptor qui de causis mutatae eloquentiae agens Tacito subiungi solet. Contigit autem illa vox Iohanni memorata, quantum ex textu colligi potest, Iesu transeunte per subdiale Gentium, quae pars est montis Moriae. Obstat unum, quod vocem illam aliis verbis Iohannes refert, nempe

ἐδό-

ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω [*illustravi et iterum illustrabo*]. Unde suspicio mihi incidit, haec verba, τοιᾶσδε, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα, ut alia quaedam, addita ab illis qui omnino hanc Epistolam Petri Apostoli credi voluerunt. Consulantur et hic vetustiora exemplaria, si qua reperiri possunt. In Manuscripto, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Μεγαλοπρεπὴς δόξα pro ipso *Deo*, ut כבוד [*gloria*] saepe Hebraeis. Δύναμις [*virtus*] pro *Deo* Matth. 26: 64.

19. *Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, et habemus firmiorem propheticum sermonem*] Id est, *Sermo Prophetarum habuit quidem semper apud nos auctoritatem: at nunc multo maiorem habet*, ex quo videmus eventus tam pulchre congruere dictis de Messia. Sic βεβαιοῦν habemus et Marc. 16: 20, 1 Cor. 1: 6, Hebr. 6: 16, respondetque Hebraeo הקים.

Ὧι καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, cui attendentes recte facitis] Recte facitis quod Prophetarum volumina nocturna et diurna manu versatis.

Ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡ ἡμέρα διαυγάσῃ καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer animis vestris oriatur] Id est, Donec vos ipsi donum Propheticum a Deo consequamini. Prophetia vocatur *stillatio* Mich. 2: 6, Ezech. 21: 2. Ergo *locus siccus* est homo non habens donum Prophetiae. Mich. 4: 8 עפל vertitur αὐχμώδης [*squallidus*]. Dicitur Prophetia et φωτισμός [*lumen*], ut Iud. 13: 8, Dan. 5: 14, et *Lucifer* Esai. 9: 1, nam נגה proprie *Lucifer* Hebraeis. Qui nondum in se lucem habet, opus est eam tantisper ab alio foeneretur. In sylvam ligna ferre nihil opus. Philo de Principis constitutione: Προφήτῃ δὲ οὐδὲν ἄγνωστον, ἔχοντι νοητὸν ἥλιον ἐν ἑαυτῷ [*Prophetae nihil est ignotum, cum habeat in se solem, quem animo videt*].

20. *Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, hoc primum intelligentes*] Πρῶτον, id est, *imprimis*, בראשית.

Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, quod omnis prophetia Scripturae propriae non est interpretationis] Omnino assentior iis qui hic legendum censent ἐπηλύσεως. *Non est Prophetia res nostri impetus.*

Non habet eam qui vult. *Spiritus ubi vult spirat.* Non ignoro פתר [*narrare*] Gen. 41: 12, a nonnullis interpretibus verti *ἐπιλύειν*, pro quo Chaldaei dicunt פשר [*interpretari*], unde פשרה [*interpretatio*] Dan. 5: 12, at a Chaldaeo Cant. 1 dici *explicatum ab Esaia* id quod Esaias praedixit, et Philoni de Vita Contemplativa *explicationem Scripturae* dici *ἐπίλυσιν*. Sed quod iam dixi simplicius est, et cum sequentibus melius cohaeret.

21. *Οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt sancti Dei homines*] Locuti sunt futura, non cum ipsi vellent, sed cum eos ageret Dei Spiritus. *Φερόμενοι* proprium huius rei: nam et Graecis tales *θεοφόρητοι*. De huius vocis vi vide Hebr. 1: 3. Illud ipsum est quod per פעם exprimitur Iud. 13: 25. Sensus idem qui hic Dan. 2: 27, 28. *Ἠνέχθη* est נאם. Pro *Θεοῦ* est *τοῦ Θεοῦ* in Manuscripto, *veri Dei*. *Ἅγιοι τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι*, אנשי אלהים הקדשים Hebraeis. Sic איש אלהים [*vir Dei*], id est, *Propheta*, 2 Reg. 4: 40 et alibi.

CAPUT II.

1. *Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, fuerunt vero et pseudoprophetae in populo*] Bene cohaeret cum superioribus. Non enim omnes Dei Prophetae sunt qui tales se dicunt. Multi falso sibi sumunt id nomen. Multi Diabolico spiritu agitantur. *Ἐν τῷ λαῷ, in populo* Israelitico. Vide 1 Reg. 22: 6, Ier. 28, Ezech. 13: 2, 23: 25, 28, Soph. 3: 4.

Ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, sicut et in vobis erunt magistri mendaces] Carpocratem et eius socios praecipue intelligit, qui fuere Adriani temporibus.

Οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, qui introducent sectas perniciei] *Sectas perniciosas.* Est vox *αἱρέσεως* suapte natura media, sed additamento distinguitur. *Παρεισάξουσιν, latenter introducent.* Vide Gal. 2: 4.

Καὶ

Καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, et eum qui emit eos Dominum abnegant] Id est, Iesum, qui plerumque *Κύριος* in Novo Testamento vocatur, sed et *Δεσπότης* interdum, ut saepissime videre est in libris Responsionum ad Orthodoxos, et aliis libris Christianorum. Christus et illos redemit, quippe pro omnibus mortuus. Verba talia non semper effectum, praesertim ultimum, sed saepe efficaciam significant. Sic *σώζειν* [*liberare*] sumitur 2 Tim. 1: 9. *Abnegabant* autem illi Iesum quia honorem ei suum detrahebant, dicentes *natum eum patre Iosepho, et multos* de Carpocratis grege *ipsi pares, quosdam et superiores esse*, Irenaeus l. 24.

Ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν, celerem sibi attrahentes perditionem] Bello Barchochebae, cui adhaeserunt, ut homines mundani.

2. *Καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις, et multi sequentur eorum libidines*] Nam et philtra dabant, et impudicitiae opera habebant *ἐν ἀδιαφόροις* [*in rebus mediis*]. Irenaeus dicto loco et Epiphanius. Theodoretus de illis: *Νόμον τὴν ἀκολασίαν ποιούμενοι* [*Incontinentiam et intemperantiam pro lege habentes*]. Idem alio loco Carpocratem et eius socios vocat *τῆς ἀσελγείας καὶ τῆς παρανομίας διδασκάλους* [*luxuriae et delictorum omnium magistri*]. *Docebat*, ait de Carpocrate Augustinus, *omnem turpem operationem omnemque adinventionem peccati.*

Δι' οὓς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται, per quos via veritatis male audietur] Euangelica doctrina quae ὁδὸς, דרך dicitur Act. 19: 9, infra 15. Contra et mala instituta ὁδοῦ nomine veniunt, infra 15, Iud. 11. Dicit autem *propter ipsorum* et doctrinam et mores *male auditurum Euangelium*, quia et ipsi dici volebant Christiani. Simile Rom. 2: 24, 1 Tim. 6: 1, Tit. 2: 5. Irenaeus de Carpocratianis: *Quin et ipsi ad detrectationem Divini nominis et Ecclesiae, quemadmodum et Gentes a Satana praemissi sunt, uti secundum alium et alium modum quae sunt illorum audientes homines, et putantes nos omnes tales esse, avertant aures suas a praeconio veritatis; aut ut videntes quae sunt illorum, omnes nos blasphement.* Paria dicit Epiphanius haeresi XXVII. In Manuscripto est, ἡ δόξα τῆς ἀληθείας [*gloria veritatis*].

3.

3. *Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ἐμπορεύσονται*] *Fictis sermonibus* (praetexebant enim nomina fidei et dilectionis, ut Irenaeus nos docet et alii) *nundinabantur per avaritiam:* nam *ἐν* hic Hebraeo more valet *διά*. Qui promittunt salutem vitam non corrigentibus, ii multos discipulos sibi attrahunt, et ab illis multa corradunt unde suaviter vivant. Verbum *ἐμπορεύεσθαι* habemus et Iac. 4: 13. Respondet Hebraeo סחר, ut videre est Gen. 34: 10, 21, 42: 34, 2 Par. 9: 14, Prov. 3: 14, 31: 14, Ezech. 27: 21. *Nundinari* eo sensu saepe usurpat Cicero et alii.

Οἷς τὸ κρῖμα πάλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει, quibus iudicium iam olim impendet, et quorum perditio non dormitat] Pridem Deus destinavit mittere impostores, quibus tales homines decepti pessime pereant, Matth. 24: 24, Ioh. 5: 43. Respiciuntur autem non obscure verba Mosis Deut. 32: 35. Sic Iudas, qui pleraque huius Epistolae transcripsit, ut ostenderet quae hic praedicta sunt iam evenisse, *οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα* [*qui olim praescripti sunt in hoc iudicium*]. *Οἷς οὐκ ἀργεῖ*, id est, *quibus impendet.*

4. *Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit*] Agit de illis Angelis quos Iudas vocàt *μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον* [*qui non servaverunt suum principium, sed dereliquerunt suum domicilium*]. Quorum caput *ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἕστηκεν* [*in veritate non stetit*], Ioh. 8: 44, et multos secum traxit alios, quorum fuit ille Gen. 3: 1 denotatus.

Ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρουμένους, sed in tenebrarum vincula deiectos tradidit, in iudicium servandos] Iudas: *Εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν* [*In iudicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine servavit*]. Liber qui Enocho tribuitur pro eodem dixit, *δεσμοῖς ὑποβληθέντας ἐν γῇ* [*intus in terra vinctos*]. Ad intelligenda autem haec lucem nobis adfert Philo De Abrahamo: *Καὶ τὸ φῶς ἐν οὐρανῷ μὲν ἄκρατον καὶ ἀμιγὲς σκότους ἐστὶν, ἐν δὲ τοῖς ὑπὸ σελήνην ἀέρι ζοφερῷ κεκραμένον φαίνεται* [*Et lux in coelo quidem mera et tenebrarum expers est, in rebus vero sub lunam positis, aeri caliginoso permixta apparet*].

Sic

Sic et Plutarchus libro de Homerica poesi ᾅδην [*infernum*] dicit esse ἀέρα [*aerem*], addens: Τοῦτον γὰρ λέγει ζόφον ἠερόεντα, ἐπειδὰν φῶς οἰκεῖον οὐκ ἔχει, ἀλλὰ ὑπὸ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν ἀστέρων ἄλλων καταλάμπεται [*Hunc enim obscuram caliginem vocat, quod lucem, nisi a sole, luna, reliquisque stellis collustretur, non habeat*]. Defectores autem isti Angeli, cum sedem habuissent in summo coelo, domicilio purissimae lucis, inde infra omnem astriferam regionem detrusi sunt in aeris loca terrae propinqua, unde eorum princeps ἄρχων τῆς ἐξουσίας τῆς ἀέρος [*princeps potestatis aeris*] dicitur Eph. 2: 2. Dicuntur autem σειραὶ sive δεσμοί, sicut et Pindaro de impiorum animabus loquenti ζεῦγλαι ἄφυκτοι [*iuga inevitabilia*], Dei Lex illa quae Daemonas ultra loca assignata vagari vetat, imo nec agere nisi ex permissu, Apoc. 20: 2. Ταρταροῦν autem nihil est quam *deiicere*. Nam τάρταρα dicitur quod in quaque re infimum est, sive in terra, sive in aqua, sive, ut hic, in aere. Nimirum ex Syriaco תרתרא. Τάρταρον ἠερόεντα [*tartarum tenebrosum*] dixit Homerus Iliados Θ, et eodem libro, Βαθὺς δέ τε τάρταρος ἀμφίς [*Circa est profundus tartarus*]. Idem ζόφον ἠερόεντα [*caliginem tenebrosam*] Iliados *M* et Φ. Dicit autem et hic Scriptor et Iudas, *Angelos illos desertores servari in isto aere, velut in carcere, in diem iudicii*, cum condignas laturi sunt suis criminibus poenas, quod indicatur et Matth. 8: 29.

5. Καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο, *et antiquo mundo non pepercit*] *Antiquum mundum* vocat hominum genus ante Diluvium.

Ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, *sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit*] Est locutio qualis apud Martialem,

Dic quotus et quanti cupias coenare.

Nam *octavus* dicitur *servatus* qui unus fuit ex octo servatis, 1 Petr. 3: 20. Dicitur autem Noe *praeco iustitiae* quia operam omnem dedit ut suae aetatis homines ad *iustitiam*, id est, ad vitam rectiorem, converteret, ut videre est dicto iam Petri loco, et Matth. 24: 37, unde et *mundum* illum *damnasse* dicitur, Hebr. 11: 7.

Κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας, *diluvium mundo impio-*

piorum inducens] Merito *κόσμον ἀσεβῶν* vocat homines a prima aetate nihil boni cogitantes, quales describuntur Gen. 6. *Κατακλυσμὸς*, *diluvies*, *diluvium*, *inundatio*, in Glossario. Habemus hanc vocem Matth. 24: 38, 39, Luc. 17: 27. Utitur Plato saepe; sed et Varro apud Censorinum. *Ἐπάξας* exacte dictum: inde *ἐπαγωγαὶ* Sirachidae *omnia mala Divinitus immissa.*

6. *Καὶ πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας τεφρώσας καταστροφῇ κατέκρινεν*, *et urbes Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens, subversione damnavit*] *Σόδομα* pluraliter dicere, ut *Ἱεροσόλυμα*, mos est Interpretibus LXX, quos sequitur Matth. 10: 15, 11: 23, 24, Marc. 6: 11, Luc. 10: 12, 17: 29. Nec aliter Strabo. *Τεφρώσας*, *cinefactas*. Strabo terram illam omnem dicit esse *τεφρώδη* [*cineream*], Solinus, *fatiscere in vagum pulverem*. Comparat ea loca *torri rapto ex incendio* Amos 4: 11. *Καταστροφὴ*, *subversio*, *excidium*, in Glossario. Respondet voci תהפכה in hac ipsa historia Gen. 19: 29.

Ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικὼς, *exemplar eorum qui impie acturi sunt ponens*] *Ὑπόδειγμα* hic sume pro *exemplari*, ut Iac. 5: 10. Videre in eo possunt impii quae poena ipsos maneat. Fuit enim illud *δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου* [*exemplum ignis aeterni*], ut ait Iudas 7.

7. *Καὶ δίκαιον Λὼτ*, *et iustum Lot*] Sic eum vocat comparatum cum illis inter quos habitabat. *Καίτοι γ' οὐκ ἐπ' ἄκρον ἧκε σοφίας* [*Quanquam summam quidem illam sapientiam adeptus non est*], ut ait Philo de eo loquens, libro de Vita Mosis.

Καταπονούμενον ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς ἐῤῥύσατο, *hominum nefandorum vitâ libidinosâ vexatum liberavit*] Taedebat eum vivere inter tam inhospitales atque flagitiosos. Quos *ἀθέσμους* vocat, quod secundum illam primaevam partim naturae, partim traditionis Legem non viverent. Sic et *ἄνομα ἔργα* [*iniqua opera*] membro sequente.

8. *Βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν*, *adspectu enim et auditu, iustus, habitans inter eos, de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabat*] Recte monent qui illa *βλέμματι καὶ ἀκοῇ* referunt

runt ad *ἐβασάνιζεν*, et verbum hoc activum sumunt pro reciproco. *Cruciabat se* non modo quod *audiret*, sed quod et *videre cogeretur eorum flagitia;* adeo aperte peccabant, ut dicitur Gen. 13: 13, et Esai. 3: 9. *Ἡμέραν ἐξ ἡμέρας* יום יום, per annos nempe sexdecim, ex quo ab Abrahamo abierat.

9. *Οἶδε Κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν, novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos in diem iudicii reservare cruciandos*] Est praesens pro futuro, *κολαζομένους* pro *κολασθησομένους*. Et ex uno exemplo nobili infert sententiam generalem.

10. *Μάλιστα δὲ τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους, magis autem eos qui carnem concupiscentia immunditiae ducti sectantur*] *Πορεύεσθαι ὀπίσω* est *sectari* Luc. 21: 8. Iudas pro eodem dixit *ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας* [*sectari carnem alteram*]. Caeterum voce *σαρκὸς* recte hic intelligimus omnem carnem sive nostri sive alterius sexus, quae non est nostra, id est, extra coniugium. Omnia talia *μιασμοί*, טנופים. Nam sola in matrimonio *κοίτη ἀμίαντος* [*torus immaculatus*] Hebr. 13: 4. Irenaeus de Carpocratianis: *In tantum insania effraenati sunt uti ea omnia quaecunque sunt irreligiosa et impia potestatem habere se operandi dicant. Sola enim humana opinione negotia bona et mala ducunt.* Explicat Epiphanius: *Πᾶσαν ἀῤῥητουργίαν καὶ ἀθέμιτον πρᾶξιν, ἣν οὐ θεμιτὸν ἐπὶ στόματος φέρειν οὗτοι πράττουσι· καὶ πᾶν εἶδος ἀνδροβασιῶν καὶ λαγνιεστέρων ὁμιλιῶν πρὸς γυναῖκας ἐν ἑκάστῳ μέλει σώματος* [*Ruunt isti in nefaria atque infanda omnia: nullum est genus neque masculae veneris neque foemineae quod refugiant*].

Καὶ κυριότητος καταφρονοῦντας, potestatesque contemnunt] *Κυριότητος* est abstractum pro concreto, ut Eph. 1: 21, Col. 1: 16. Sed ibi de Angelis agitur, hic de hominibus. Nec aliud sunt *κυριότητες* hic quam *ἐξουσίαι* Rom. 13: 1, *omnes in imperiis positi.* Sic et Latini dicunt *potestates.*

Τολμηταί, αὐθάδεις, audaces, contumaces] *Τολμηταί*, מלאים לבו, *nihil non audentes: αὐθάδεις contumaces*, Tit. 1: 7. Sic Stoicorum arrogantiam apud Tacitum insectatur quidam, addito, *ex ea secta homines turbidos fieri.*

Δό-

Δόξας οὐ τρέμουσι, βλασφημοῦντες, dignitates non metuunt, maledicentes] *Δόξας*, id est, *τοὺς ἐν δόξῃ*, *honore fungentes*, summo scilicet, *ἐξουσίας ὑπερεχούσας* [*potestates sublimiores*] Rom. 13: 1. *Adeo non reverentes in summis honoribus positos, ut etiam eis atrociter maledicant*, contra praeceptum Exod. 22: 28. *Τρέμειν* hic per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] est *revereri*, ut Dan. 5: 19, 6: 26.

11. *Ὅπου ἄγγελοι ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες, ubi angeli, fortitudine et virtute cum sint maiores*] Angeli plus possunt pollentque, quam Reges, ut apparuit in Aegypto et in Sennacheribo. Vocantur Angeli גברי כח *fortes robore*, Ps. 103: 20.

Οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν, non portant adversum ipsos a Domino maledicum iudicium] Illud *παρὰ Κυρίῳ* abest in Manuscripto et recte. Angeli cum de Regibus ac Principibus aut impiis aut vitiosis loquuntur, nusquam loquuntur nisi modeste, non cum maledictis; ut videre est tum alibi, tum 1 Reg. 22: 20, Dan. 4 et 12 et Zach. 3. Nimirum etiam Angeli reverentiam exhibent potestati quam eis speciali providentia Deus concessit. *Βλάσφημος κρίσις* aut, ut apud Iudam est, *κρίσις βλασφημίας*, est *vindicta quae maledicendo exercetur*. Nam *κρίσις* ponitur pro נקם [*vindicta*] Prov. 6: 34, Esai. 34: 8, 35: 4. Deo soli vindictam illam reservant; sicuti et contra Diabolum, utpote cui et ipsi potestas quaedam a Deo data sit, fecit Michael: quod argumentum a maiori addit Iudas.

12. *Οὗτοι δὲ, ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν, ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται*] In Manuscripto, *γεγεννημένα φυσικά*. At Latinus *φύσει* [*naturaliter*], quod rectum puto. *Ita peribunt illi sicut pereunt muta animantia, quae per naturam in id destinata sunt ut ab hominibus capiantur et interficiantur*. Praedicit exitum belli Barchochebae. Similes comparationes habes Ier. 10: 18, Ps. 141: 10, Abac. 1: 15. *Ἄλογα ζῶα* [*irrationabilia pecora*] sunt בעירם. Merito autem hoc eis eventurum ait quia *maledictis insectantur ea quae non intelligunt*. Neque enim intelligunt quanta sit imperiorum utilitas. *Ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν*, id est, *cum advenerit tempus exitii ipsorum*. *Μετωνυμία* [*trans-*

[*transnominatio*]. Et ἐν οἷς est pro εἰς ἅ. Vide 2 Reg. 19: 6.

13. Κομιούμενοι μισθὸν ἀδικίας, *percipientes mercedem iniustitiae*] De hoc significatu vocis κομίζειν diximus 1 Petr. 5: 4. Ἀδικία hic *vitam extra leges* significat.

Ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν, *voluptati ducentes in diem frui deliciis*] Fuerit forte τροφὴν [*alimentum*]. *Voluptati ducunt saginari in diem:* nec vident id sibi fieri sicut pecoribus quae mox mactanda sunt. Ἐν ἡμέρᾳ, id est, *ad breve tempus.*

Σπῖλοι καὶ μῶμοι] Σπιλάδες Iudae, id est, *dedecora Christianismi:* μῶμος מום est *vitium corporis*, ut videre est Lev. 21, 22 et 24 et Num. 19: 2 et Deut. 15: 21, 17: 1. Sed et ad animum transfertur, ut videre est Deut. 32: 5, ut et ἄμωμος [*immaculatus*] Eph. 1: 4, 5: 27, Col. 1: 22, Hebr. 9: 14, 1 Petr. 1: 19, Iud. 24, Apoc. 14: 5. Σπῖλος, *sordes*, ut diximus ad Eph. 5: 27, unde σπιλοῦν [*maculare*] Iac. 3: 6, Iud. 23.

Ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν συνευωχούμενοι ὑμῖν, *deliciis affluentes in deceptionibus suis convivantes vobiscum*] Recte Latinus legit ἀγάπαις [*conviviis*], quomodo et Iudas loquitur, itidem subiungens συνευωχούμενοι ὑμῖν. Sed auferendum illud αὐτῶν, quod Arabs non legit. Ἀγάπαι dicebantur convivia illa in quibus Christiani divites et pauperes pari victu utebantur: divitum enim sumptu pauperes isto quasi refrigerio iuvabantur, ideoque id vocabatur quod *dilectio* apud Graecos, ut in Apologetico ait Tertullianus. Ea convivia claudi solebant Sacramento Dominicae passionis, ut videre est Act. 2: 42, 46, qui mos ipso die quo instituta est a Domino coena mansit in Africa, ut ex Conciliis et Augustino discimus. Ideoque *olim edebatur quantum esurientes caperent, bibebatur quantum pudicis erat utile*, ut ait dicto libro Tertullianus. At docet nos historicus Socrates in Aegypto primum introductam in illas Agapas ἀκρασίαν [*intemperantiam*], quae causa fuerit cur postea institutum sit ut ne Sacramentum nisi a ieiunis sumeretur. Ea ipsa ἀκρασία hic notatur, ostenditurque eius origo fuisse a Carpocratianis.

14. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος, *oculos habentes plenos adulterae*] In Manuscripto μοιχαλίας, quod rec-

tam puto; ut sit a μοιχαλὶς μοιχαλία, sicut a μοιχὸς μοιχεία. Et ita legit Latinus, qui vertit *adulterii*. *Oculos plenos adulterii* dicit, nihil agentes aliud nisi ut mulieres ad adulteria alliciant. Magna enim in amoribus vis oculorum, ut diximus Matth. 5: 28. Adde Prov. 6: 25, Sir. 26: 14.

Καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, et perpetuos delicti] Melius legit Latinus ἀκαταπαύστου. Oculi eorum non adulteria tantum sectantur, sed et alia foeda, idque assidue. In Glossario, ἀκατάπαυστος, *inaccessibilis*, *indesinens*. Id ipsum est השקט לא יוכל [*quod quiescere non potest*] Esai. 57: 20.

Δελεάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους] *Inescant facile animos*. At quos? *Inconstantium*. Vox δελεάζειν valde est huic rei propria, quae invenitur et Iac. 1: 14 et infra 18. Sic et ἀστηρίκτους habes infra 3: 16.

Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες] Saepe repetit colores, ut melius noscantur. Πλεονεξίας habet et Manuscriptus, non πλεονεξίαις, ut Codices alii. Et est participium pro verbali, more Hebraeo, quasi dicas *cor peritum avaritiae*. Doctores qui commeatum dant peccandi, non mirum est si multos discipulos attrahant, et inde lucrum faciant, ut iam ante diximus.

Κατάρας τέκνα, maledictionis filii] ארורים. Sed locutio est qualis Matth. 11: 19, 1 Petr. 1: 14, Ioh. 17: 11, Eph. 2: 2, 3. Sic בן הכות [*filius plagarum*] vertitur ἄξιος πληγῶν [*dignus plagis*] Deut. 25: 2.

15. *Καταλιπόντες τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν, relinquentes rectam viam*] Eam viam quam Apostoli monstraverant. Sic Elymae dictum, Οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας; [*Nonne desines subvertere vias Domini rectas?*], Act. 13: 10. Est introductio ad comparationem quae sequitur. Nam Balaamo dictum est Num. 22: 32, כי ירט הדרך לנגדי [*Quoniam perversa est via coram me*].

Ἐπλανήθησαν, erraverunt] תעו.

Ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ, secuti viam Balaami Bosoris] Pro Prophetis et Apostolis secuti sunt Pseudoprophetam. Est autem comparatio valde apposita, ut sequentia ostendent. Τοῦ Βοσὸρ, nempe χωρίου [*regionis*]. Habemus quidem nomen Βοσὸρ in Graeco pro

בשור

בשר 1 Sam. 30: 9; item בצר Deut. 4: 43 et 1 Macc. 5: 26; sed ea loca huc non pertinent. Sed is locus designatur qui olim dictus פתורה Num. 22: 5. Eius vero loci nomen a Syris posterioribus mutatum est in בשר, quia frequens illis est פ mutare in ב, quomodo Ioel. 1: 1, פתואל, in Graeco est *Βαθουήλ*. Nec minus frequens mutatio ת in ש, quomodo idem est תור et שור, multaque alia. At Arabs legit hic *Βεώρ*, et praeposuit vocem quae *filium* significat. Quod non improbem si exemplaria vetera faveant: nam בעור pater Balaami, ut apparet dicto iam Numerorum loco.

Ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν, qui mercedem iniquitatis amavit] Vide quam bona similitudo respondeat. Balaam suasit stupra, idque lucri causa: sic et illi. Traditio in hoc loco supplevit quod reticetur in Scriptura. Vide quae diximus Num. 24: 25, 31: 8. *Ἀδικίαν* hic sume ut supra 13. *Μισθὸν ἀδικίας* שקר שכר in Hebraeo cum egregia *παρονομασίᾳ* [*vocum allusione*]. Balaam accepta mercede paulo post periit: sic et illi peribunt.

16. *Ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας· ὑποζύγιον ἄφωνον, correctionem vero habuit suae transgressionis iumentum mutum*] Nota historia ex Num. 22: 28. Optime autem procedit comparatio. Illum asina arguit: hos animalia muta prope omnia, quod sexus leges servant; quaedam etiam pudicitiam coniugalem. Idem sensus apud Iudam 10. *Ὑποζύγιον* est nomen per se generale, ut Latinum *iumentum*. Sed apud Graecos Sacrae Scripturae interpretes semper de asino aut mulo dicitur, ut Gen. 36: 24, Exod. 4: 20, 9: 3, 20: 17, 22: 9, 10, 23: 4, 5, 12, 34: 20, Deut. 5: 14, 21, Ios. 6: 21, 7: 24, Iud. 1: 14., 5: 10, 19: 3, 10, 21, 28, 2 Sam. 16: 2, 2 Par. 28: 15, Iob. 24: 3, Zach. 9: 9. Nec aliter Matth. 21: 5. Id eo evenit quod Iudaea equos non ferret. Et *ἄφωνον* hic dicitur *quod sermone caret*, specie excellentiore significata per nomen generis. Latinus hic pro *παρανομίας* legit *παρανοίας* [*vesaniae*] quae vox est apud Aristophanem, Platonem et alios.

Ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν, hominis voce loquens, prohibuit Prophetae insipientiam] Deest hic *γὰρ* [*enim*], ut supra 9, quomodo כי saepe deest apud Hebraeos. *Si homines ta-*

cerent, lapides loquerentur, Luc. 19: 40. Sic cum homines brutescant, bruta animantia pro Deo loquuntur. Et nota *προφήτην* vocari non qui talis erat, sed qui talem se dicebat. Saepe enim nomen נביא in Sacris literis usurpatur secundum id quod putatur, non quod est. Et in eo sensu Interpretes vertunt interdum *προφήτην*, saepe *ψευδοπροφήτην* [*pseudoprophetam*], ut Ier. 6: 13, 26: 7, 8, 11, 16, 27: 7, 28: 1, 29: 1, 8, Zach. 13: 2. *Παραφρονία* vox est inusitata. Graecis dicitur aut *παραφροσύνη*, ut Platoni in Epistola, aut *παραφρόνησις*, ut Zach. 12: 4.

17. *Οὗτοί εἰσι πηγαὶ ἄνυδροι*] Multis similitudinibus depingit illorum hominum ingenium. *Fontes sine aqua* dicuntur fontes, sed non sunt: sicut oculus qui non videt Aristoteli non est oculus. Ita illi nomine tantum Christiani.

Νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι, nebulae turbinibus agitatae] *Νεφέλαι* et *nubes* dicuntur et *nebulae*, quae ipsae abortus quidam sunt in nubium genere, tenebricosae et non imbriferae. Inde *errorum nebulam* dixit et Iuvenalis. Et Manuscriptus hic pro *νεφέλαι* distinctius habet *ὁμίχλαι* [*nebulae*]. Definitur autem *ὁμίχλη* Aristoteli *ἀτμώδης ἀναθυμίασίς τις ἄγονος ὕδατος, ἀέρος μὲν παχυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα* [*exspiratio quaedam vaporosa, aquae nequaquam genitrix; ut aere crassior, ita nube tenuior*]. Vide Sap. 2: 4, Sir. 24: 3, 43: 15. Solet ita verti Hebraeum ערפל, ut Iob. 38: 9, Ioel. 2: 2, Soph. 1: 15. Et Iudas hanc comparationem cum praecedente permiscens ait: *Νεφέλαι ἄνυδροι ὑπὸ ἀνέμων παραφερόμεναι* [*Nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur*]. Facilius agitatur id quod leve est; nebula a ventis, nebulones a cupiditatibus suis. Sic motus animi ventis et procellis saepe comparat Cicero.

Οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται, quibus caligo tenebrarum in aeternum reservatur] Poenae alterius seculi modo sub incendii, modo sub tenebrarum figura describuntur, ut Matth. 8: 12, 22: 13, 25: 30. Augetur autem significatio, cum non ζόφος tantum dicitur sed ζόφος σκότους, ut et Iud. 13. Sic dicitur χθονὸς πέδον, συμφορὰ πάθους [*terrae solum, calamitas infortunii*], *coenum luti*, et similia. Et respondet poena culpae. Tenebricosa vi-

vita tenebris puniatur. Τετήρηται dictum hic de poena, ut de praemio 1 Petr. 1: 4.

18. *Ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγγόμενοι*] *Inflata loquuntur et vana*. In Glossario, *ὑπέρογκος, inflatus*. Iudas de iisdem, *Τὸ ςόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα* [*Os eorum loquitur superba*], nempe de virtute in se missa qua mundi fabricatores effugere possent. *Dicebant*, ut ait Tertullianus libro de Anima, *suas animas de sublimi virtute conceptas, despectrice Mundi potentium principatuum*. Respicitur locus Dan. 11: 36; ידבר נפלאות, ubi Graeci *λαλήσει ὑπέρογκα* [*loquetur inflata*]. Est eadem vox Deut. 30: 11, 2 Sam. 13: 2. Eodem sensu פם ממלל רברבן, *ςόμα λαλοῦν μεγάλα* [*os magna loquens*], Dan. 7: 8.

Δελεάζουσιν, pelliciunt] Supra 14.

Ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς, ἐν ἀσελγείαις, carnis cupiditatibus, luxuriis] Sic habet et Manuscriptus sine copula. Nec id inusitatum, ubi alterum alterius est expositio, ut Luc. 2: 14. De re vide supra 7 et 10. *Ἐν* hic est *per*.

Τοὺς ὀλίγον ἀποφυγόντας] In Manuscripto est *ὀλίγως*, quod infrequens. Sensus est, *qui ad tempus effugerunt*, nempe tales *cupiditates*. Sic *ὀλίγον* [*paululum*] habuimus etiam 1 Petr. 1: 6. Re ipsa effugerant, non in speciem. Correcti fuerant, sed in vetera sunt relapsi; ut sequentia clare indicant.

Τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναςρεφομένους] *Qui nunc decepti redeunt*, nempe ad ea quae effugerant. *Ἀναςρέφεσθαι* est *redire*, Matth. 17: 22, Act. 5: 22, 15: 16. Et plurimis locis Veteris Testamenti שוב sic vertitur. Pro eodem infra *ἐπιςρέψαι*.

19. *Ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενοι, libertatem illis promittentes*] Nimirum sic vocabant libertatem omnia operandi: et sic animam suam dicebant ab omnibus liberatam, teste Irenaeo.

Αὐτοὶ δοῦλοι ὑπάρχοντες τῆς φθορᾶς] Quomodo alios liberarent *qui ipsi servi sunt morum corruptissimorum?* Φθορὰ enim hic sumitur, ut supra 1: 4. In Manuscripto est *δοῦλοι ὄντες*. Nihil refert.

Ὧι γὰρ ἄν τις ἥττηται τούτῳ καὶ δεδούλωται, a quo enim

 quis

quis superatus est, huius et servus est] Sensus idem qui Rom. 6: 16 et Ioh. 8: 34, ubi nonnulla ex Philosophis attulimus paris sensus.

20. *Οἱ γὰρ ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου, qui enim effugientes inquinationem mundi*] Vide supra 19. Alii libri habent εἰ γὰρ [*si enim*], sed vera lectio est οἱ γὰρ, ut series sequentium indicat.

Ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *cognitione Domini et Servatoris Iesu Christi*] Cognitio enim Euangelii vim habet nos a peccatis liberandi, Ioh. 8: 36.

Τούτοις δὲ πάλιν ἐμπλακέντες ἡττῶνται, *his rursus irretiti superantur*] Abundat δέ, ut et alibi. Ἐμπλέκεσθαι, habes et Prov. 28: 18. Utuntur et Plato et Polybius. *Tenentur irretiti.*

Γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων, *facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*] Habes eadem verba Matth. 12: 45 et Luc. 11: 26. Similia Matth. 27: 64, Ioh. 5: 14, Hermas 3: 9: *Quidam tamen ex eis maculaverunt se, et proiecti sunt de genere iustorum, et iterum redierunt ad statum pristinum, atque etiam deteriores quam prius evaserunt.* Socrates apud Xenophontem lib. II ait, quosdam existimare, qui iusti fuere iniustos non fieri; se vero plane aliter existimare; atque eam immutationem fieri per mala exempla et neglectum exercendae virtutis.

21. Κρεῖττον γὰρ ἦν αὐτοῖς μὴ ἐπεγνωκέναι τὴν ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης, ἢ ἐπιγνοῦσιν ἐπιστρέψαι ἐκ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς ἁγίας ἐντολῆς, *melius enim erat illis non cognosse viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsus converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato*] Hic κρεῖττον, id est, *melius*, dicitur id quod minus malum est. Sic καλὸν ἦν [*bonum erat*] sumitur Matth. 26: 24; quod alibi dicitur ἀνεκτότερον [*tolerabilius*] Matth. 10: 15, 11: 22, 24, Marc. 6: 11, Luc. 10: 12, 14. Ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης hic est Euangelium, quod supra ὁδὸς ἀληθείας [*via veritatis*], et ὁδὸς εὐθεία [*via recta*]. Nam δικαιοσύνη hic omnia comprehendit quae Deo grata sunt, ut 1 Petr. 2: 24. Eadem ἁγία ἐντολή per excellentiam 1 Tim. 6: 14. Dicitur autem Euangelium *ipsis traditum*, per Apostolos nempe, ut dicetur infra 3: 2, ubi eadem vox ἐντολῆς. Sic παραδοθεῖσαν πίστιν [*traditam fidem*] dicit Iudas 3. Et Paulus

lus de se παρέδωκα ὑμῖν [*tradidi vobis*] 1 Cor. 11: 2, 23, 15: 3. Sunt autem huic sententiae similes apud Philonem; ut de Agricultura: Τούτου οὐ μὴ προσγινομένου καὶ τὸ ἄρξασθαι πολλάκις μεγάλα πολλοὺς ἔβλαψεν [*Qui nisi accedat (finis scilicet) etiam incepisse magnopere saepe obfuit*]. Adversus Flaccum vero: Τῷ μὲν γὰρ ἀγνοίᾳ τοῦ κρείττονος ἁμαρτάνοντι συγγνώμη δίδοται· ὁδ᾽ ἐξ ἐπιςήμης ἀδικῶν ἀπολογίαν οὐκ ἔχει, προεαλωκὼς ἐν τῷ τοῦ συνειδότος δικαςηρίῳ [*Nam qui per ignorantiam peccat, meretur veniam: qui vero prudens sciensque facit iniuriam, excusationem non habet, praedamnatus iudicio conscientiae*]. Sirachides 34: 30, 31: Βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, καὶ πάλιν ἁπτόμενος αὐτοῦ, τί ὄφελος ἐν τῷ λουτρῷ αὐτοῦ; οὕτως ἄνθρωπος νηςεύων ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, καὶ πάλιν πορευόμενος, καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν, τὴν προσευχὴν αὐτοῦ τίς ἐξακούσεται; [*Qui lavatur post mortuum tactum, et iterum tangit eum, quid profuit lavatio ipsius? Sic homo qui ieiunat ob peccata sua et iterum eadem it factum, quis huius preces exaudiet?*] Vide et Luc. 12: 48, et ibi dicta. In Manuscripto hoc loco sic legitur, ἢ ἐπιγνοῦσιν εἰς τὰ ὀπίσω ἀνακάμψαι ἀπὸ τῆς παραδοθείσης αὐτῷ [*quam post agnitionem reverti retro ab eo quod illis traditum est*], etc. Sic ἀνακάμψαι pro שוב habes Exod. 32: 26, Iud. 11: 39, 2 Sam. 1: 22, 8: 14, 1 Reg. 12: 20, 1 Par. 19: 5, Iob. 39: 4, Ier. 31: 4, Ezech. 1: 14, 7: 13, Zach. 9: 8. Εἰς τὰ ὀπίσω valet *retro*, ut Marc. 13: 16, Luc. 9: 62, 17: 31, Ioh. 18: 6, 20: 14, אחור.

22. Συμβέβηκε γὰρ αὐτοῖς τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας, Κύων ἐπιςρέψας εἰς τὸ ἴδιον ἐξέραμα, *accidit enim eis illud veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum*] Est haec ἀληθὴς παροιμία sive משל Prov. 26: 11, ubi Graeca sic habent: Ὥσπερ κύων ὅταν ἐπέλθῃ ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ ἔμετον, καὶ μισητὸς γένηται, οὕτως ἄφρων τῇ ἑαυτοῦ κακίᾳ ἀναςρέψας ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἁμαρτίαν [*Sicut canis cum revertitur ad vomitum suum et odiosus fit, sic amens qui ob suam malitiam ad suum peccatum revertitur*].

Καὶ, Ὗς λουσαμένη, εἰς κύλισμα βορβόρου, *et, Sus lota, in volutabrum luti*] Aratus:

— Σύες φορυτῷ ἔνι μαργαίνουσαι.

[*Sues spurca colluvie gaudentes.*]

Philo: *Ἑνὸς τρόπον ἐν βορβόρῳ διαιτωμένους* [*Suis in morem in luto versantes*]. *Εἰς κύλισμα*, *in volutabrum*, quomodo citat Ambrosius. Pro eodem *κυλισμὸν* dixit Theodotion Prov. 2: 18. Terentius Hecyra:

Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse.

CAPUT III.

1. *Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοί, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν, hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo Epistolam*] Hoc est initium novae Epistolae eiusdem Simeonis ad illos in Aegypto Iudaeos Christi disciplinam professos. *Ἐν αἷς διεγείρω ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν, in quibus vestram mentem sinceram commonitione excito*] *In quibus*, id est, et in hac, et in ea quae antehac scripta est, Epistola, quae comprehensa est capitibus duobus, quae iam habuimus. *Ἐν ὑπομνήσει*, id est, *commonefaciendo*. Est eadem locutio quae supra 1: 13, *διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει*. Sic *ὑπομιμνήσκειν* pro הזכיר habemus Ioh. 14: 26, 2 Tim. 2: 14 et supra 1: 12. Quod vero ait *τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν*, est blandientis et bene sperantis. *Εἰλικρίνειαν* commendat nobis Paulus 1 Cor. 5: 8, et quidem suo exemplo 2 Cor. 1: 12, 2: 17. *Διάνοια*, *mens*, Matth. 22: 37, Marc. 12: 30, Luc. 10: 27, Eph. 1: 18, Hebr. 8: 10, 10: 16, 1 Petr. 1: 13.

2. *Μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος, ut memores sitis verborum a sanctis Prophetis dictorum, et Apostolorum vestrorum praecepti Domini et Salvatoris*] Pro *ὑμῶν* alii habent *ἡμῶν*, nempe quasi unus ex Apostolis loqueretur. Ego utrumque infertum puto, et esse traiectionem pro *τῆς ἐντολῆς τῶν ἀποστόλων τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος*. Sic Iudas, qui hunc Scriptorem multum sequitur, *ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* [*ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi*].

3. *Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται, hoc primum scientes, venturos*

novissimis diebus illusores] *Πρῶτον* hic rursus est *imprimis*, ut supra 1: 20. *Ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν* non designat certum tempus, sed significat *tandem* aut *posthac.* Sic Num. 24: 14, באחרית הימים in Graeco *ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν.* Iudas in re eadem dixit *ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ.* Vox *ἐμπαῖκται*, est in Graeco Esai. 3: 3, ubi in Hebraeo תעלולים. Par ferme significatio in Hebraeo לצים. Dicuntur sic homines qui pietatem irrident. In Manuscripto est *ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται* [*in deceptione illusores*], pro *ἐν ἐμπαιγμῇ*, dicitur enim et *ἐμπαιγμὴ* et *ἐμπαιγμὸς* et *ἔμπαιγμα.* Est autem mos Hebraeis augendi causa addere substantiva adiectivis. Et sic Latinus legit vertens, *in deceptione illusores.* Augustinus citat expressius ad Graecum *illusione illudentes.* *Ἐμπαίκτας* illos qui futuri erant interpretor, ut ante, Carpocratianos, qui resurrectionem corporis negabant venturam, ut expresse nos docet Augustinus, eoque audacius quod excisis iam Hierosolymis adhuc viderent stare hanc Mundi machinam, contra quam plerique Christianorum, etiam Apostoli, futurum existimaverant, quia nihil certi ea de re a Domino acceperant, nisi ante fore ut exscinderentur Hierosolyma quam Mundus. Apostolos hic cum dixi, intelligo ante tempus Revelationis Iohanni factae.

Κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι, iuxta proprias libidines ambulantes] Eadem verba Iud. 16. Vide et supra 2: 10. Non mirum autem esse si carni per omnia indulgent qui resurrectionem non credant, docet nos Paulus 1 Cor. 15: 32.

4. *Καὶ λέγοντες, Ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ, et dicentes, ubi est promissio adventus eius*] *Αὐτοῦ*, id est, Christi, cuius nomen paulo ante praecessit, et, si id non esset, tamen ex re ipsa satis poterat intelligi, ut Hebr. 13: 5. Simili modo impii eludebant Ezechielis vaticinia 12: 27. Et Malachiae dicebatur, *Ubi Deus ille iudicii*, id est, iudicaturus? 2: 17.

Ἀφ' ἧς γὰρ οἱ πατέρες ἐκοιμήθησαν, ex quo enim patres dormierunt] *Ἀφ' ἧς*, subintellige *ἡμέρας* [*die*]: et *ἡμέραν*, sume pro *tempore.*

Πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς τῆς κτίσεως, omnia sic perseverant ab initio creationis] Manilius:

 Iam

Iam tum cum Danaae vastarent Pergama puppes,
Arctos et Orion adversis frontibus ibant.

Confer Eccl. 1: 9.

5. *Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, latet enim eos hoc volentes*] Est quaedam ignorantia multum trahens de voluntario. Ideo de quibusdam dicitur, *noluerunt intelligere.* Si Mosem legerunt, scire possunt mundum hunc constare ex corruptibilibus, ideoque non mirum si futurum est ut et ipse corrumpatur.

Ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεςῶσα, quod coeli erant prius et terra ex aqua et per aquam constans] Est ζεῦγμα [*connexio*]. Nam συνεςῶσα tam ad *coelum* quam ad *terram* refertur. *Terra ex aqua emersit*, id est, ex illa massa humida quam ὕλην [*materiam*] vocabant ex Phoenicum libris Graeci, ut in Annotatis ad librum primum Pro Veritate Religionis Christianae et ad Genesin annotavimus. Eadem *terra stat δι' ὕδατος*, id est, *in mediis aquis.* Nam διὰ ponitur etiam pro בתוך, id est, *inter.* Vide et 1 Petr. 3: 20. Συνεςῶσα, id est, σύςασιν [*constitutionem*] *suam habens*, quomodo et Physici loquuntur, ut diximus ad Col. 1: 17. Sic et σύςασιν κόσμου [*constitutionem mundi*] habes Sap. 7: 17. Nam et terra simul cum aqua unum efficit globum, et sub terra ingentia sunt aquarum conceptacula, in quae tota se maria insinuant, et unde amnes oriuntur, et in iis se saepe rursus occultant. Vide Ps. 24: 2, Eccl. 1: 7 et ibi dicta. *Coelum* quoque *ex aqua constat.* Nam *coelum* omne, tam quod *aerem* quam quod *aetherem* dicimus, Hebraeis uno appellatur nomine, censeturque esse vapor ex aquis, ut ad Genesin ostendimus. Idem coelum *stat* etiam δι' ὕδατος, ob nubes quae in coelo sunt, ac partim supra coelum, ut videre est Gen. 1: 7, 7: 11, Ps. 148: 4. Ἔκπαλαι מימי קדם, ἐξ ἡμερῶν ἀρχαίων [*ex diebus antiquis*] Esai. 37: 26.

Τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ, Dei verbo] Vide quae diximus ad initium Evangelii Iohannis. Adde locum Philonis de Vita Mosis: *Λόγῳ γὰρ αἱ τροπαὶ καὶ ἐτήσιοι ὧραι τεταγμένῳ καὶ παγίῳ συνίςανται [Fiunt enim temporum conversiones et vicissitudines annuae certo et stabili ordine*]. Hoc vult, aquas illas quae in coelo terraque sunt Dei imperio ac potentia ut contineri ita et laxari; sicut et ignem.

6. *Δι' ὧν*] Id est, *qua de causa*. Sic enim Graeci dicunt ἀνθ' ὧν, ἐξ ὧν, non certi aliquid, sed rem totam de qua actum est, denotantes. *Qua de causa*, id est, Quia talis erat qualem diximus constitutio et terrae et coeli.

Ὁ τότε κόσμος, ille tum mundus] Is qui erat Noae temporibus; ὁ κόσμος ἀρχαῖος [*vetus mundus*] supra 2: 5; homines qui tum erant.

Ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο] *Periit mersus aquis* tum e terra tum e coelo erumpentibus, ut Mosis historia ostendit: ad quem locum quae attulimus ex Seneca vide.

7. *Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ, coeli autem, qui nunc sunt*] Aer et aether.

Καὶ ἡ γῆ, et terra] Terra haec ex diluvio nobis reddita.

Τοῦ αὐτοῦ λόγῳ, eius verbo] Id est, τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ [*Dei verbo*], ut supra 5. Latinus legit τῷ αὐτῷ λόγῳ [*eodem verbo*], non male.

Τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, repositi sunt] Id est, intacta relinquuntur ad tempus, ut ea quae arca clauduntur. Tam late enim patere θησαυρῶν nomen diximus ad Matth. 2: 11, et inde θησαυρίζειν Matth. 6: 19, 20, Luc. 12: 21, Rom. 2: 5, 1 Cor. 16: 2, 2 Cor. 12: 14, Iac. 5: 3.

Πυρὶ τηρούμενοι, igni reservati] Τηρεῖσθαι, hic distinctionem significat, ut supra 2: 4, 9, 17, 1 Petr. 1: 4. Est haec antiquissima traditio a Christo confirmata. Eius traditionis testimonia fuisse apud Hystaspem, Sibyllas et Sophoclem, exstare etiam nunc apud Ovidium, Senecam, Lucanum ostendimus Annotatis ad librum I de Veritate Religionis Christianae circa finem. Idem Seneca Naturalium III. 13, *Ignis exitus mundi est:* nimirum ex Stoicis, qui illum mundi exitum ἐκπύρωσιν [*incendium*] vocabant. Id Zeno, quippe Cittiensis, a Phoenicibus acceperat: nam Cittium Phoenicum in Cypro colonia. Idem habuit a Pythagoricis Heraclitus, Pythagoras ab Iudaeis. Mentio eius traditionis in libro qui dicitur *Cedrus Libani*. Sicut Deus olim aquis fraena laxavit, ita laxabit igni.

> Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν σχάσῃ
> Χρυσωπὸς αἰθὴρ,
> [*Laxabit ignis cum redundantes opes*
> *Auratus aether*],

ait

ait Sophocles. Ignis non erat in prima illa humenti mole, sed eum Deus postea condidit. *Lucem* vocat Moses, quia lucida eadem quae calida. Ex hac luce compacta sunt astra. unde ignes in terram defluunt, et sub terra ignes generantur. His ignibus inter se coeuntibus, quomodo aquae coiere, nascetur incendium illud mundo fatale. *Omni flagrante materia uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit,* ait ad Marciam Seneca. Apud Minutium Caecilius de Christianis: *Toti orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium.*

Εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων, in diem iudicii et perditionis impiorum hominum] Matth. 25: 41, Iud. 7, Matth. 13: 40.

8. *Ἓν δὲ τοῦτο μὴ λανθανέτω ὑμᾶς, ἀγαπητοί, unum vero hoc non lateat vos, carissimi*] Id est, Hoc imprimis scitote.

Ὅτι μία ἡμέρα παρὰ Κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία, esse unum diem apud Dominum sicut mille annos, et mille annos sicut diem unum] Tam facile ei est iudicia sua subito quam tarde exsequi, et contra. *Diem apud Deum esse mille annos*, dictum est frequens Hebraeis, ut videre est Ps. 90: 4, et ibi Midrasch, Sir. 18: 8, et in Zoar, Parasche *Berescith.* Heracliti dictum laudat Seneca Epist. XII, *Unus dies par omni est.* Pythagoras apud Iamblichum dicit, *θεοῖς οὐδὲν μακρὸν εἶναι* [*Diis nihil longum esse*]. Plutarchus Consolatione: *Τὰ γὰρ χίλια καὶ τὰ μύρια, κατὰ Σιμωνίδην, ἔτη ςιγμά τι ἐςὶν ἀόριςον πρὸς τὸν ἄπειρον ἀφορῶσιν αἰῶνα* [*Nam de Simonidis quidem sententia anni mille aut decem mille punctum quoddam sunt, si cum aeternitate compares*]. Et De sera Numinis vindicta: *Τοῖς θεοῖς πᾶν ἀνθρωπίνου βίου διάςημα τὸ μηδέν ἐςι· καὶ τὸ νῦν, ἀλλὰ μὴ πρὸ ἐτῶν τριάκοντα, τοιοῦτόν ἐςιν οἷον τὸ δείλης, ἀλλὰ μὴ πρωΐ ςρεβλοῦν ἢ κρεμαννύναι τὸν πονηρόν* [*Nam Diis quidem omne humanae vitae spatium pro nihilo est: et quod nunc, non ante triginta annos, tale est, atque hoc quod non mane sed vesperi cruciatur aut suspenditur sceleratus*]. Zosimus libro II: *Πᾶς γὰρ χρόνος τῷ Θείῳ βραχὺς ἀεί τε ὄντι καὶ ἐσομένῳ* [*Breve est enim omne tempus Numini, quod quidem, Numen*] *et est semper et nunquam non erit*].

Haec

Haec de Deo dici solita Scriptor huius Epistolae Christo applicat, ut solent multa de Deo dicta in Vetere Testamento aptari Christo in Novo.

9. *Οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας, non tardat Dominus promissi*] Putem scriptum fuisse τὰς ἐπαγγελίας [*promissa*], quomodo σωτηρίαν οὐ βραδύνω [*salutem non tardo*] Esai. 46: 13. Certum tempus nunquam praefixit Deus. Itaque non est trico. In Manuscripto est *Κύριος*, non ὁ *Κύριος*, Abac. 2: 3. *Ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ μὴ χρονίσῃ* [*Veniens veniet, neque tardabit*].

Ὥς τινες βραδυτῆτα ἡγοῦνται, sicut quidam tarditatem existimant] Et propterea ipsam quoque rem promissam in dubium trahunt.

Ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς] *Patiens erga nos*, id est, erga humanum genus. Apoc. 6: 10, 11. In Manuscripto δι' ἡμᾶς, *nostri causa.*

Μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam pervenire] Sicut ante excidium Iudaeorum diu exspectavit Iudaeorum poenitentiam, ita et nunc eam exspectat in sparsis Iudaeorum reliquiis. Vult autem hoc non plane et absolute, sed quantum iustitiae bonitatique eius sufficit. Confer Ezech. 18: 32, 33: 11, 1 Tim. 2: 4.

10. *Ἥξει δὲ ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου, adveniet autem dies Domini*] Illa ultima, qua Christus homines iudicabit; cuius arrhabo sunt iudicia illa in Iudaeos, Luc. 17: 24, 1 Cor. 1: 8, 5: 5, 2 Cor. 1: 14, Phil. 1: 10.

Ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ, ut fur noctu] Subito, Matth. 24: 43, Luc. 12: 39, 1 Thess. 5: 2. *Κλέπτης ἐν νυκτὶ*, שוד לילה Abd. 5.

Ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, quo coeli magno impetu peribunt] *Ἐν ᾗ* nempe ἡμέρᾳ, *quo tempore.* *Ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, peribunt magno impetu.* In Glossario, *Ῥοῖζος, impetus.* Etiam Scholiastae Homeri interpretantur ὁρμήν. Aer et aether *peribunt*, quia species et forma mutabitur. *Res abesse videntur*, aiunt Iuris consulti, *etiam hae quarum corpus manet, forma mutata est:* ubi *corpus* dicitur pro *materia*, ut notavimus ad L. *Mulieris* § *res abesse.* D. de Verb. signif. De voce παρέρχεσθαι vide Matth. 5: 18. Hebraei עבר eodem sensu usur-

usurpant, ut Ps. 37: 36 et alibi. Ponitur pro ea et אבד Ps. 102: 27.

Στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, elementa vero aestuantia solventur] *Στοιχεῖα* hic vocat astra et aquam: nam *terrae* specialis mentio sequetur. Confer Sap. 19: 18. *Λύεσθαι* hic, quod *διακρίνεσθαι* dixit Euripides tragoedia *Chrysippos*, est *de forma priore exire*. *Καυσούμενα*, *aestuantia*. Est ea vox apud Dioscoridem.

Καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσεται, et terra et quae in ipsa sunt opera exurentur] *Ἔργα* hic valet מלאכה, sub quo nomine comprehenduntur et animantia, ut Gen. 33: 13, et alia quae ab hominibus possidentur, ut arbores et sata. Sic

— boumque labores

apud Poetas. *Κατακαήσεται*, non *adurentur*, sed *exurentur*, id enim *κατακαίεσθαι* Exod. 3: 2, Esai. 43: 2, 44: 2, Ier. 49: 2, 2 Reg. 23: 5, 11, Deut. 7: 5, 1 Macc. 4: 38 et alibi.

11. *Τούτων οὖν πάντων λυομένων, cum igitur haec omnia dissolvenda sint*] Si istis tam pulchris operibus Deus non parcit, quanto minus impiis?

Ποταποὺς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις, quales oportet vos esse sanctis vitae pietatisque operibus] *Ποταπὸς* est aliquid plus quam *ποῖος*; dicitur enim de rebus eximiis, Matth. 8: 27, Marc. 13: 1, Luc. 1: 29, 7: 39, 1 Ioh. 3: 1. Et *ἀναστροφὴ* et *εὐσέβεια* solent singulariter dici; sed Hebraeorum mos est omnibus talibus nominibus dare plurales: itaque dicunt חסדים, צדקות et similia.

12. *Προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας, exspectantes et optantes adventum diei Dei*] *Exspectantes et optantes*. Sic *σπεύδω τὸ σὸν ἀγαθὸν* [*opto tuum bonum*], apud Thucydidem. Vide et 2 Macc. 9: 14. *Dei dies* eadem quae *Christi*: nam in Christo ostendet se Deus.

Δι' ἣν] Nempe *παρουσίαν* [*adventum*]. *Per illam* summam Dei vim quae illo die, id est illo tempore, se ostendet.

Οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, coeli ardentes solventur] *Οὐρανοί*, aer et aether, duo *coeli*: *πυρούμενοι fusi igne* ut

ut metalla fundi solent, מזקים 2 Sam. 22: 31, Ps. 12: 6, Esai. 1: 25, Dan. 12: 9, Zach. 13: 9 et alibi.

Καὶ ςοιχεῖα καυσούμενα τακήσεται, et elementa aestuantia diffluent] Hic sub nomine *elementorum* etiam terra comprehendi potest. *Τακήσονται*, *diffluent* ut cera Mich. 1: 4. Apud Esaiam 64: 1 הרים נזלו vertitur ὄρη τακήσεται [*montes diffluent*].

13. *Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ αὐτοῦ ἐπάγγελμα προσδοκῶμεν, novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus*] Id est, *novum universum*. Nam id Hebraei nominibus *coeli* et *terrae* solent exprimere, ut diximus ad Gen. 1: 1. Vide et Gen. 2: 1, Ps. 33: 6, 124: 8, 146: 6, Act. 14: 15, 17: 24, Apoc. 21: 1. Erit γῆ καθαρὰ ἐν καθαρῷ οὐρανῷ [*terra pura in coelo puro*], ut ait Plato Phaedone, quem sequitur Origenes VII contra Celsum. Ex reliquiis molis antiquae resurget melior. Irenaeus in Fragmentis: *Οὐχ ἡ ὑπόςασις οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἀφανίζεται* [*Substantia atque essentia rerum conditarum non pereunt*], id est, *materia*, silva non perit. Sic et Eusebius Platonem explicat libro XI προπαρασκευῆς [*Praeparationis*]. Vide responsa ad Orthodoxos XCIV, XCV. Tertullianus in Apologetico, *decessurusne an mansurus sit hic Mundus variare* ait *Philosophos*. In Manuscripto non est *κατὰ τὸ αὐτοῦ ἐπάγγελμα*, sed *καὶ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ*, *Exspectamus non tantum orbem novum, sed et illa Christi promissa magna*, resurrectionem corporum et vitam aeternam. Sic ἐπαγγελίαν habes Eph. 2: 12, Hebr. 6: 17 et alibi. Nec aliter hic legit Latinus.

Ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ, in quibus iustitia habitat] In illo statu erit iustitia pura sine vitio; non, ut in hoc seculo, boni malis permixti. Huc spectat parabola Matth. 13: 39 et locus Matth. 25: 32. In Manuscripto ἐνοικεῖ, id est, ἐνοικήσει, *erit perpetuo*: ut Rom. 8: 11, 2 Cor. 6: 16, 2 Tim. 1: 14.

14. *Διὸ, ἀγαπητοὶ, ταῦτα προσδοκῶντες, propter quod, carissimi, haec exspectantes*] Tanta praemia exspectantes.

Σπουδάσατε ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ εὑρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ] In Manuscripto ἄμωμοι, quomodo Eph. 1: 4, 5: 27, Col. 1: 22, Iud. 24, Apoc. 14: 5. *Omnem date operam*

ut

ut ipse (Deus, cuius praecessit mentio) vos reperiat sine sordibus vitioque, et id bono vestro. Ἄσπιλοι καὶ ἀμώμοι contrarium ei quod supra dixit σπίλοι καὶ μῶμοι 2: 13. Et est mystica explicatio legum de victimis. Vide Iac. 1: 27, Phil. 2: 15, et loca iam dicta. Εὑρεθῆναι αὐτῷ, id est, παρ' αὐτοῦ [*ab eo*], loquendi genus Graecis ac Latinis familiare. Sic Demosthenes, τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων [*eorum quae ego feci*]. Ἐν εἰρήνῃ, id est, εἰς εἰρήνην [*in pacem*], *ad bonum vestrum ad prosperitatem vestram*, לשלמכם.

15. *Καὶ τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε*] Est locutio similis cum ista Iac. 1: 2, Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε [*Omne gaudium existimate*]; et hic supra 2: 13, Ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν [*Voluptatem existimantes saginari in diem*]. Sensus est: *Credite istam Christi patientiam vobis et aliis esse salutarem*, si ea recte utamini.

Καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος, sicut et carissimus frater noster Paulus] Cur illa ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς adiecta credamus a librariis huic Epistolae Apostolicam auctoritatem dare volentibus, diximus supra.

Κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν ἔγραψεν ὑμῖν, secundum datam ipsi sapientiam scripsit vobis] Nempe in Epistola ad Romanos, in qua multa sunt ad Iudaeos proprie pertinentia. Non frustra autem *sapientiam* Paulo tribuit, nempe coelestem. Vide 1 Cor. 2: 6, 7, 12: 8, Eph. 1: 8, 17, Col. 1: 9, 28, 3: 16, Iac. 1: 5, 3: 13, 15, 17.

16. *Ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, sicut et in omnibus Epistolis*] In illis aliis, quarum octo nobis restant.

Λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων, loquens in iis de his] De iudicio, de vita aeterna, deque conditione eam adipisci volentibus praescripta, vivendi nempe sine sordibus ac vitiis, deque patienter exspectanda corporum resurrectione, Rom. 8: 23, Eph. 4: 31.

Ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu] Manuscriptus ἐν αἷς. Δυσνόητα quae indicat sunt de corpore spirituali 1 Cor. 15: 44, quae Carpocratiani ita volebant accipi, quasi solis animabus salus promitteretur: item de fide opposita operibus Legis, quae illi sumebant quasi fides sufficeret sine ullis bonis operibus

bus quae per corpus exercerentur, et quasi fides et dilectio stare possent et proficere cum quibuslibet corporis operibus.

"*A οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, quae indocti et instabiles depravant*] *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus*, Tertullianus De Praescriptione haereticorum. Ideo ubi τοῦ ῥητοῦ [*scripti*] sensus in controversiam venit, subvenit traditio, intra quam interpretationis lineae regendae sunt. Ἀμαθεῖς vocat illos, quia seriem propositumque Apostoli non considerant; ἀστηρίκτους, quia non tenent se in ea doctrina quae ab initio per Ecclesias sonuit. Ἀμαθεῖς, סכלים. Ἀστηρίκτους habuimus et supra 2: 14. Στρεβλοῦν פתל 2 Sam. 22: 27. In Glossario Στρεβλῷ, *pravo*. Rabbini dicunt חמס תורה στρεβλοῦν τὸν νόμον [*depravare legem*].

Ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς, *sicut et caeteras scripturas*] Videtur intelligere libros Euangeliorum et Acta, quae iam in manibus erant cum haec Epistola scriberetur. Chrysostomus ad Rom. 7: Ὁρᾷς ὅτι ἂν μὴ μετὰ τῆς προσηκούσης εὐλαβείας τὰς λέξεις ἐκλεξώμεθα, καὶ πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ἴδωμεν σκοπὸν, μυρία ἕψεται ἄτοπα [*Vides quam multa absurda consequantur, si verba capiemus audacius, et mentem Apostoli negligamus*]. Et ad Rom. 8: Ὁρᾷς πόσα ἄτοπα τίκτεται, ἐὰν ἁπλῶς τὰ λεγόμενα ἐκδεξώμεθα [*Vides quot absurda oriantur, si dictum simpliciter accipiatur*]. Idem 2 Cor. 10: Οὐ ποικίλος τις ἦν (ὁ Παῦλος) ἀλλ' ἁπλοῦς καὶ σαφής. Οὗτοι πρὸς τὰς οἰκείας διέστρεψαν τὰ ῥήματα ἐννοίας [*Non is est (Paulus) qui se ratione involvat, imo et simplex est et perspicuus. Hi ad suos sensus verba eius detorserunt*]. Origenes III contra Celsum, de Paulo: Ἐὰν γὰρ ἐπιδῷ ἑαυτὸν τῇ μετὰ τοῦ προσέχειν ἀναγνώσει, εὖ οἶδ' ὅτι ἢ θαυμάσεται τὸν νοῦν τοῦ ἀνδρὸς, ἐν ἰδιωτικῇ λέξει μεγάλα περινοοῦντος, ἢ μὴ θαυμάσας, αὐτὸς καταγέλαστος φανεῖται· εἴτε διηγούμενος ὥσπερ νενοηκὼς τὸ βούλημα τοῦ ἀνδρὸς, ἢ καὶ ἀντιλέγειν καὶ ἀνατρέπειν πειρώμενος ἃ ἐφαντάσθη αὐτὸν νενοηκέναι [*Sat enim scio, si se attentae illarum lectioni dederit, aut admirabitur mentem viri, vulgari dictione egregias complexi sententias, aut nisi admiratus fuerit, ipse rediculus videbitur: sive ut intellecta enarrare conabitur, sive*

confutare quae eum voluisse arbitrabitur]. Idem in eo loco quem habemus cap. 9 *Φιλοκαλίας* [*Philocaliae*], cum dixisset saepe locutionem esse ambiguam, neque ordinem perpetuum in verbis Apostoli, addit: *Καὶ τοῦτο πολλαχοῦ αἴτιόν ἐςι τοῦ δοκεῖν μὴ ἔχειν σύνταξιν, μηδὲ ἀκολουθίαν τὴν ὅλην γραφὴν, καὶ μάλιςα, ὡς προείπομεν, τὴν Προφητικὴν, καὶ τὴν Ἀποςολικὴν, καὶ μάλιςα τῆς Ἀποςολικῆς τὴν πρὸς Ῥωμαίους ἐπιςολὴν, ἐν ᾗ τὰ περὶ νόμου διαφόρως ὀνομάζεται, καὶ ἐπὶ διαφόρων πραγμάτων κείμενα* [*Quae ut plurimum causa est, cur videantur scripturae non satis apta compositione et consecutione cohaerere, maxime vero, uti superius diximus, Prophetica et Apostolica, et inter Apostolicas Epistola praesertim ad Romanos, in qua quae de Lege dicuntur diversimode nec de iisdem rebus dicuntur*].

Πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, ad suam ipsorum perniciem] Merito; quia adferunt ad lectionem malum animum et praeiudicia a carne sumpta. Praeterea etiam *in non adeo malis non deputatur ad culpam quod ignorant*, ut Augustinus loquitur, *sed quod negligunt quaerere quod ignorant. Quaeramus autem*, ait Tertullianus, *in nostro, et a nostris, et de nostro, idque duntaxat quod salva regula fidei potest in quaestionem devenire.* Qua regula recitata, addit: *Caeterum manente forma eius in suo ordine, quantumlibet quaeras et tractes et omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliquis; doctor gravis scientia donatus; est aliquis inter exercitatos conversatus, aliquis curiosus, tecum tamen quaerens.* Deinde: *Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant.* Locus est De praescriptione contra Haereticos.

17. *Ὑμεῖς οὖν, ἀγαπητοὶ, προγινώσκοντες, vos igitur, carissimi, praemoniti*] Praemoniti de periculis. Vide Matth. 24: 25.

Φυλάσσετε ἵνα μὴ τῇ τῶν ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες ἐκπέσητε τοῦ ἰδίου ςηριγμοῦ, cavete ne insipientium deceptione abrepti excidatis e propria firmitate] *Πλάνη* hic de-

deceptionem significat, מרמה, ut Prov. 14: 8. Vide et Eph. 4: 14. *Ἄθεσμοι* dicuntur isti pari de causa qua supra Sodomorum habitatores, 2: 7. *Συναπάγεσθαι*, *abripi*, ut Gal: 2: 13. *Στηριγμὸς*, משען Esai. 3: 1, hoc loco est *constantia* illa per quam retinetur fides. *Ἐκπίπτειν στηριγμοῦ* sic dicitur sicut *χάριτος ἐκπίπτειν* Gal. 5: 4, *amittere firmitatem*, *amittere gratiam*.

18. *Αὐξάνετε δὲ*, *crescite vero*] Id est, *date operam ut augescatis*, sicut 1 Petr. 2: 2. *Ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε*, *ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε* [*Lac sincerum concupiscite*, *quo crescatis*]. Vide et Eph. 4: 15, Col. 2: 19.

Ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi*] Est *ἓν διὰ δυοῖν* [*unum per duo*]. Intelligitur enim *illa gratia per quam Christus cognoscitur cognitione experimentali*. Vide supra 1: 5. Confer 2 Cor. 4: 6.

Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Ἀμήν, *ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen*] *Ἡμέρα* hic, ut 1 Petr. 2: 12, *tempus* more Hebraeo significat. *Ἡμέρα* autem *αἰῶνος* est *ἡμέρα αἰώνιος*, *tempus aeternum*. Sensus similis 1 Tim. 6: 16.



ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM IOHANNIS

PRIMAM.

Haec Epistola quin sit Apostoli Iohannis nunquam in Ecclesia dubitatum est, ut nos docent Eusebius, Hieronymus, alii. Vocata olim fuit *Epistola ad Parthos*, ut Augustinus testatur, id est, ad Iudaeos Christum professos qui non sub Romanorum sed sub Parthorum vivebant Imperio in locis trans Euphratem, ubi ingens erat Iudaeorum multitudo, ut Neardae, Nisibi et aliis in locis. Vide Iosephum Antiquae Historiae XVIII. 12. Et hanc causam puto cur haec Epistola neque in fronte nomen titulumque Apostoli, neque in fine salutationes Apostolici moris contineat; quia nimirum in terras hostiles Romanis haec Epistola per mercatores Ephesios mittebatur, multumque nocere Christianis poterat, si deprehensum fuisset hoc quanquam innocens literarum commercium. Puto autem scriptam, ut et alibi dixi, ex Patmo hanc Epistolam non multo ante excidium Hierosolymorum, duabus maxime de causis: primum, ut Christiani illarum partium pacem amicitiamque inter se colerent, neque factionibus illis, quae Iudaeos Trans-Euphratenses misere lacerabant, paterentur se implicari, sed operam darent ut concordiae stu-

studio a caeteris popularibus suis dignoscerentur. Deinde ne fama illuc perlata, esse aliquos in Iudaea qui se a Deo missos dicerent ad populum liberandum, ad eos et ipsi cum Iudaeis aliis concurrerent, sed firme tenerent, neminem esse a Deo missum qui contraria adferret iis quae Iesus vere Messias et vere populi Liberator attulerat; simulque in impostoribus illis praedictionum Iesu veritatem agnoscerent. De talibus impostoribus, qui et *ἀντίχριστοι* [*Antichristi*] dicuntur, quia Christi aut titulum aut munus sibi vindicabant, diximus ad Matth. 24: 5. Illis adde Simonem Bar-Ionam, quem Iudaei quidam confusis nominibus vicinis *priorem Barchochebam* vocant, et illos de quibus Iosephus Belli Iudaici VI. 30.

CAPUT I.

1. *Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, quod fuit ab initio*] Putant quidam spectari initium praedicationis, ut Marc. 1: 1, Luc. 1: 2, Act. 11: 15. Sed rectius arbitror idem tempus notari quod in primis verbis Euangelii Iohannis et in Geneseos: ut sensus sit, eas res, quas Apostoli sensibus suis percepere, fuisse a Deo destinatas iam ab ipso mundi primordio, et ab eo tempore multis umbris praefiguratas, multis vaticiniis praedictas, contra eos qui Euangelii doctrinam novitatis accusabant. Non debent distingui *ἀπ' ἀρχῆς* et *ἐν ἀρχῇ*. Idem enim significant. Vide Matth. 19: 4, 8.

Ὃ ἀκηκόαμεν, quod audivimus] Quod apud Deum diu reconditum fuerat, id nobis certo fuit patefactum, ut mox sequetur. *Audivimus* non Deum tantum loquentem *verba vitae*, sed et Deum Patrem ipsi e coelo reddentem testimonium maius quam Prophetis, aut etiam Mosi.

Ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus] Efficax locutio. Non enim satis fuit dicere *vidimus*, sed addit *oculis nostris*, sicut et Latini dicunt, *hisce oculis vidi*. Deinde addit *spectavimus*, id est, diu multumque ad satietatem contemplati sumus tot et tanta Iesu miracula, tot homines sanatos, panes multiplicatos, redditum visum caecis, vitam mortuis.

Καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, et manus nostrae contrectaverunt] Tertium sensum adiicit, tactum: nam is quoque intervenit tum alibi, tum in panibus multiplicatis, et in Lazaro.

Περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, de verbo vitae] Tot modis cognovimus veram esse Euangelii doctrinam, quae λόγος ζωῆς dicitur, aut ὁδὸς ζωῆς [*via vitae*], aut ῥήματα ζωῆς [*verba vitae*], Phil. 2: 16, Ioh. 6: 68, Act. 2: 28, 5: 20.

2. *Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, καὶ ἑωράκαμεν, et vita manifestata est, et vidimus*] Nam et vita aeterna Christi exemplo *facta est nobis conspicua.* Vide 2 Tim. 1: 10.

Καὶ μαρτυροῦμεν] *Καὶ* hic valet *hoc ipsum. Hoc ipsum,* ait, *testamur,* sensibus compertum propriis, Act. 1: 8, 2: 32, 3: 15, 4: 20, 5: 32, 10: 41. Vide quae dicta a nobis ad Lucae praefationem et 2 Petr. 1: 16.

Καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον] Tantis freti pignoribus *certos et vos reddimus de vita aeterna.* Vox ἀπαγγέλλειν apta huic negotio. Vide Act. 26: 20. In Manuscripto ἀπαγγέλλομεν καὶ ὑμῖν, *etiam vobis haec nuntiamus* tam longe dissitis.

Ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, quae erat apud Patrem] In decreto Dei diu latuerat. Vide quae dicto loco Ioh. 1: 2. Adde Eph. 3: 5.

Καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν] *Καὶ* hic valet *sed. Sed nobis,* inquit, *patefacta est,* non Patriarchis, non Prophetis, Rom. 16: 25, 26, Col. 1: 26, Hebr. 8: 6.

3. *Ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ὑμεῖς κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν, quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum*] Testimonium hoc tam certum vobis reddimus, non tantum ut noritis haec esse vera, quando historiae multae narrantur, sed ut et vos ipsi non minus quam nos fructum inde percipiatis, societatem cum Deo et cum Christo, hic in sanctitate, in posterum in beatitudine. *Κοινωνίαν ἔχειν* idem quod *κοινωνεῖν* 1 Petr. 4: 13, *κοινωνὸν εἶναι* 2 Cor. 1: 7, aut *γενέσθαι* 2 Petr. 1: 4, *μέτοχον γενέσθαι* Hebr. 6: 4, 12: 8.

Καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, societas vero nostra cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo] Nempe *sit,* quod supplet La-

Latinus. Explicat quae sit illa *societas* de qua loqui coepit, infra 3: 2 et 2 Tim. 2: 12. Est πλεονασμὸς [*abundantia*]: nam καὶ superest sequente δέ. Par abundantia Ioh. 6: 51.

4. *Καὶ ταῦτα γράφομεν ὑμῖν, et haec scribimus vobis*.] Pluralis nominativus primae personae non semper magnitudinis, sed saepe modestiae habet significationem, ubi nostra decora cum aliis partimur. Notat hoc Servius ad illud Virgilii:

— *Et nos aliquod nomenque decusque*
Gessimus.

Haec scribimus cum dicit, toties Epistolae huius praecipuum argumentum designat.

Ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη, ut gaudium vestrum sit plenum] Ὑμῶν habent Codices et plurimi et optimi: recte. Sumimus hunc laborem in id *ut et hic pleno fruamini gaudio.* Omnia de bonis huius vitae suscepta gaudia tum iacturae tum mortis metu fiunt turbida: purum vero gaudium est, certam habere spem immortalitatis. Vide Hebr. 2: 15, Ioh. 16: 24, Rom. 14: 17, 15: 13, Col. 1: 11, 1 Petr. 1: 8.

5. *Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία, et haec est annuntiatio*] Manuscriptus ἀγγελία. Nec aliter legere aut Syrus aut Latinus. Reperitur vox ἀγγελίας 2 Sam. 4: 4, Prov. 12: 26, 25: 26, 26: 16, Esai. 28: 9, Ier. 48: 34, Ezech. 7: 26, 21: 7. In Glossario, Ἀγγελία, *nuntiatio.* Hoc vult dicere: Non promissa sola nobis attulit Christus, sed et conditiones et earum conditionum causas explicavit.

Ἣν ἀκηκόαμεν ἀπ' αὐτοῦ, quam audivimus ab eo] Multo apertius per Christum hoc cognovimus quam ante in Lege.

Ὅτι ὁ Θεὸς φῶς ἐστι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία] *Deum ita esse purum, ut nihil impuritatis ei placere possit.* Vide infra 3: 3. *Lux*, res purissima: ideo pro *puritate* sumitur. Vide Luc. 16: 8, Act. 26: 18, Rom. 13: 12, Eph. 5: 8, 1 Thess. 5: 5. Contra Satanae ἐξουσία [*potestas*] dicitur τοῦ σκότους [*tenebrarum*] Luc. 22: 53. Puritate proxime ad Deum accedimus, Matth. 5: 8, Ioh. 4: 24. Adde 1 Petr. 1: 15, ubi monemur ut *sancti simus sicut Deus sanctus est.*

6. *Ἐὰν εἴπωμεν ὅτι κοινωνίαν ἔχομεν μετ' αὐτοῦ, si dixerimus nos societatem habere cum eo*] Id est, Nos Deo amicos esse. Nam amicitia maxima est societas.

Καὶ ἐν τῷ σκότει περιπατῶμεν, et in tenebris ambulemus] Faciamus opera impura, Ioh. 3: 19, Rom. 13: 12.

Ψευδόμεθα καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν, mentimur et veritatem non facimus] Non agimus ex veritate. Sic Cyprianus: id est, non sincere agimus. Sic Ioh. 3: 21, *ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, qui sincere agit.* Sic et Ezech. 18: 9. Amant Hebraei, cum quid valde affirmare volunt, verbo aliquo posito addere negationem contrarii, Rom. 9: 1 et iamiam supra 5.

7. *Ἐὰν δὲ ἐν τῷ φωτὶ περιπατῶμεν, si autem in luce ambulamus*] Si pure vivimus, id est, secundum Christi praecepta.

Ὡς αὐτός ἐστιν ἐν τῷ φωτὶ, sicut et ipse est in luce] Semper versatur in actionibus purissimis.

Κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων, societatem habemus inter nos invicem] *Ea res nos inter nos amicos facit.* Amicorum est *eadem velle et nolle.* Haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. Qui cum Deo colligantur, necessario etiam inter se colligantur. Vide Eph. 4: 6. In Manuscripto pro *μετ' ἀλλήλων* videtur fuisse *μετ' αὐτοῦ* [*cum eo*]. Id indicat litura plures literas non capiens.

Καὶ τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, et sanguis Iesu Christi Filii eius repurgat nos ab omni peccato] Est *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Vult enim dicere, Ostendit qui talis est *se vere repurgatum Christi sanguine*, id est, fide ea quam in nobis operatur Christi passio. Vide Rom. 3: 25, 5: 9, Eph. 1: 7, 2: 13, Col. 1: 14, Hebr. 9: 14, 10: 19. Et confer Act. 15: 9. Saepe autem fieri dicitur quod patescit.

8. *Ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, si dixerimus, nos peccatum non habere*] Id est, ut mox exponit, *ὅτι οὐχ ἡμαρτήσαμεν* [*nos non peccavisse*]. Si putamus nobis Christo et eius cognitione opus non fuisse ut a peccatis purgaremur. Nam alioqui post Euangelii notitiam potuere quidam esse sine peccato, ita ut *peccati* vox hic sumitur, non ut meras ignorantias aut subitos motus signi-

fi-

ficet, sed ut eos actus malos qui tractum habent, et deliberationem non antevertunt. *Habere peccatum* non est nunc in peccato esse, sed ob peccata reum posse fieri, ut apparet Ioh. 9: 41, 15: 22, 24. Pari sensu apud Iacobum 4: 17, *Ἁμαρτία αὐτῷ ἐςιν* [*Peccatum est illi*]. *Reum* autem *posse fieri* hic intellige, si Deus summo iure uti voluisset ac vellet.

Ἑαυτοὺς πλανῶμεν] *Imponimus nobismetipsis*, nostro maximo malo. Id verum esse apparet Rom. 5: 6, 8. Philo libro quod Deus sit immutabilis: *Εἰ γὰρ βουληθείη ὁ Θεὸς δικάσαι, τῷ θνητῷ χωρὶς ἐλέου τὴν καταδικάζουσαν ψῆφον οἴσει, μηδενὸς ἀνθρώπων τὸν ἀπὸ γενέσεως μέχρι τελευτῆς βίον ἄπταιςον ἐξ ἑαυτοῦ δραμόντος, ἀλλὰ τοῦ μὲν ἑκουσίοις, τοῦ δὲ ἀκουσίοις χρησαμένου τοῖς ἐν ποσὶν ὀλισθήμασι* [*Si enim Deus vellet iudicare, certe mortali generi sine misericordia damnantem ferret sententiam, cum nemo sit hominum qui ab ortu ad finem vitam sine lapsu per se decurrerit, sed partim voluntarias partim non voluntarias passus sit lapsationes*].

Καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔςιν ἐν ἡμῖν, et veritas in nobis non est] Non est in nobis studium veri. In Manuscripto, *ἀλήθεια ἐν ἡμῖν οὐκ ἔςιν*.

9. *Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, si confiteamur peccata nostra*] Si fateamur nos in gravibus peccatis vixisse ante notitiam Euangelii, ac propterea opus habuisse medicina; et, quod consequens est, Euangelicam doctrinam ut necessariam retineamus. Solent enim ex causis effecta intelligi.

Πιςός ἐςι καὶ δίκαιος, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata] Ita fidelis et bonus est, ut veterum criminum ultra memor non sit futurus. *Fidelis* est stare promissis, 1 Cor. 1: 9, 2 Cor. 1: 18, 1 Thess. 5: 24, Hebr. 10: 23, 11: 11. *Δίκαιον* hic interpretor *bonum*, *lenem*. Sic *δικαιοσύνη* est Dei *bonitas* 1 Sam. 11: 7. Vide et Ps. 112: 9 et Matth. 6: 1. *Remittere* hic dicitur pro *non revocare veniam*, quod solet fieri adversus ingratos.

Καὶ καθαρίσῃ ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀδικίας, et purget nos ab omni iniquitate] *Καθαρίζειν* idem quod infra *ἁγνίζειν* 3: 3, טהר. Sumitur autem hic *καθαρίζειν* pro eo quod est *pu-*

rum servare, sicut ζωοποιεῖν saepe est *conservare in vita.* Id autem Deus facit maxime per Spiritum suum roborantem nos atque confirmantem, Rom. 16: 25, 1 Thess. 3: 13, 1 Petr 5: 10. Et in hoc quod facit Deus, *fidus* probari dicitur 2 Thess. 3: 3. *Emundabimur a delictis*, ut Tertullianus de Pudicitia loquitur hunc locum citans, *in lumine incedentes, in quo delictum esse non potest. Adeo sic emundari nos ait, non qua delinquamus sed qua non delinquamus. Incedentes enim in lumine, tenebris vero non communicantes, emundati agemus, non deposito sed non admisso delicto. Haec est enim vis Dominici sanguinis, ut quos iam delicto mundarit, et exinde in lumine constituerit, mundos exinde praestet, si in lumine incedere perseveraverint.*

10. Ἐὰν εἴπωμεν ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν, *si dixerimus nos non peccasse*] Repetit aliis verbis quod supra dixerat 8, ut eo magis a tam ingrati animi crimine nobis caveamus. Et sunt tales repetitiones multum usitatae huic Apostolo.

Ψεύστην ποιοῦμεν αὐτὸν, *mendacem facimus eum*] Eadem locutio infra 5: 10. *Mendacem facere*, חכזיב Iob. 24: 25, est aliquem habere pro mendaci, aut sic loqui de eo quasi is mendax esset: sicut *Christum rursum crucifigere* dicuntur Hebr. 6: 6, qui ita agunt quasi ille cruce dignus fuisset. Contra is *signare* dicitur *Deum esse veracem* Ioh. 3: 33, qui ita agit sicut decet eum agere qui Deum veracem putet. Respicit autem hoc loco Iohannes vaticinia ad tempora Messiae praecipue spectantia, Esai. 1: 18, 27: 9, 40: 2, 43: 25, Ier. 31: 34, Mich. 7: 19.

Καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν] *Verbum Dei*, nempe per Prophetas enuntiatum, *non est in nobis*, id est, non recipitur a nobis. Pari modo Ioh. 5: 38, τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν [*verbum eius non habetis in vobis manens*]. Et οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν [*vos non penetrat*] Ioh. 8: 37.

CAPUT II.

1. Τεκνία μου, *filioli mei*] Solebat Iohannes Christianos hoc nomine compellare ac dicere, *Filioli, diligite alter alterum.* Rogatus autem cur toties id repeteret, re-

respondebat, *quia praeceptum Domini est. Quod si solum fiat, sufficit.* Ita Hieronymus commentario ad hanc Epistolam. Conveniebat ita eos affari et Apostolo et Doctori. Vide 1 Cor. 4: 14, 15, 17, 2 Cor. 6: 13, Gal. 4: 19, Eph. 5: 1, 1 Thess. 2: 7, 1 Tim. 1: 2, 18, 2 Tim. 1: 2, 2: 1, Philem. 10.

Ταῦτα γράφω ὑμῖν, haec scribo vobis] Tum quae praecessere, tum quae sequentur.

Ἵνα μὴ ἁμάρτητε, ne peccetis] Nihil exigit impossibile, ut apparet infra 3: 9, 5: 18, nempe verbo *peccandi* sumpto non de habitibus solis, ut quidam volunt, sed de actibus quos praecessit deliberatio aut tempus ad deliberandum; quales actus non sunt merae ignorantiae, aut merae obreptiones.

Καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ] *Si quis tamen peccaverit*, adde *et se Ecclesiae regendum sanandumque tradiderit*, infra 4: 16, quales illi de quibus Gal. 6: 1, 2 Cor. 2: 6, 1 Thess. 5: 14, 2 Thess. 3: 15. Saepius autem id eveniebat iis qui tenera adhuc erant fide, quales illi Galatae et Petrus ante acceptum Spiritum sanctum. Clemens Strom. II: *Ἔδωκεν οὖν ἄλλην ἐπὶ τοῖς κἂν ἐν τῇ πίστει περιπίπτουσί τινι πλημμελήματι, πολυέλεος ὤν, μετάνοιαν δευτέραν* [*Dedit ergo, cum multae sit misericordiae, iis etiam, qui a fide in aliquod peccatum incidunt, secundam poenitentiam*].

Παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum] Non dicit, *habet ille advocatum*, sed *Ecclesia habet* quae pro lapso precatur. Preces autem Ecclesiae Christus more advocati Deo Patri commendat, Ioh. 16: 26. *Δίκαιον* autem rursus hic interpretor, *bonum ac lenem*, ut supra 1: 9. Christus causam Ecclesiae agit apud Patrem, Spiritus Sanctus apud homines, ut diximus ad Ioh. 14: 16, 26, 15: 26, 16: 7, ubi et vocem *παρακλήτου* exposuimus. Pulchre hunc locum explicat Origenes Homilia VIII ad Numeros.

2. *Καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*] Ἱλασμὸς pro *ἱλαστής*, more Hebraeo: et *ἱλάσκειν facere ut cessent peccata.* Sensus enim est, *vires praestat ne peccemus in posterum.*

Vi-

Vide Hebr. 2: 17 et ibi dicta, et confer cum iis quae hic sequentur. Est autem in voce ἡμῶν, κοίνωσις [*communicatio*], quales multae apud Paulum.

Οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου, neque pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis] Omnibus hominibus qui ipsum sequi volent hoc beneficium praestabit. *Περὶ ὅλου τοῦ κόσμου* breviter dictum pro *περὶ τῶν ὅλου τοῦ κόσμου*, quod recte vidit Latinus interpres. Par constructio Hebr. 11: 4 et alibi. Dicitur autem recte et *ἱλάσκεσθαι* aut *ἐξιλάσκεσθαι ἁμαρτίας* et *περὶ ἁμαρτίας*, ut videre est Exod. 32: 30 et alibi.

3. *Καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν, atque hac notâ scimus, num cognoverimus eum, si praecepta eius observemus*] *Facere praecepta Christi*, id vero idem est quod *cessare a peccatis;* de quo iam dixi. *Ita certi erimus nos ad Christi notitiam illam quae utilis est pervenisse, si praeceptis eius pareamus.* Est cognitio quaedam et inutilis et damnosa, Rom. 1: 21. Est quaedam utilis, quae κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *cognitio* et saepe *ἐπίγνωσις* dicitur. Aristoteles: *Τὸ μανθάνειν λέγεται συνιέναι, ὅταν χρῆται τῇ ἐπιςήμῃ* [*Verbum μανθάνειν intelligere etiam significat, cum quis scientia utitur*].

4. *Ὁ λέγων, Ἔγνωκα αὐτὸν, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ μὴ τηρῶν, ψεύςης ἐςὶ, qui dicit, Novi eum, et mandata eius non custodit, mendax est*] *Qui dicit, Novi eum*, nempe ut oportet. In Manuscripto, *Ὁ λέγων ὅτι ἔγνωκα*, quae locutio nostris frequens.

Καὶ ἐν τούτῳ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔςιν, et in hoc veritas non est] Repetitio rei eiusdem aut prope eiusdem, qualis supra 1: 8, 10.

5. *Ὃς δ' ἂν τηρῇ αὐτοῦ τὸν λόγον, qui autem servat verbum eius*] Per *λόγον* intelligit partem eam Euangelii quae in praeceptis consistit, ut ostendunt sequentia.

Ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ τετελείωται, vere in hoc amor Dei perfectus est] Is non novit tantum Deum, sed et *perfecte amat.* Amor praesupponit cognitionem: Itaque oppositio hic fit cum accessione. Christi praecepta Dei voluntatem exprimunt. Non potest autem quis

va-

validius ostendere Dei amore se teneri, quam si in omnibus ad Dei voluntatem se accommodet.

Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμέν, hac re scimus, nos in ipso esse] Aliis verbis prosequitur quod dicere coeperat. Nam *esse in aliquo* aut *manere* (in tota enim hac Epistola ista pro eodem sumuntur) est amoris vinculo ei iungi, ut diximus ad Ioh. 6: 56. Dicit ergo dicturum se, unde discere possimus nos esse tales.

6. *Ὁ λέγων ἐν αὐτῷ μένειν, ὀφείλει, καθὼς ἐκεῖνος περιεπάτησε, καὶ αὐτὸς οὕτως περιπατεῖν, qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare*] Illud *οὕτως* supervacuum est, et deest in Manuscripto, Latino et Syro. Quos amamus ob virtutem, eos in eadem virtute imitari debemus. Si Pythagorici Pythagoram, Stoici Zenonem, Academici Socratem imitantur, quanto magis Christum Christiani? *Περιπατεῖν* הלך est *vitam instituere.* Vide supra 1: 6, 7.

7. *Ἀδελφοί, οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ' ἐντολὴν παλαιὰν ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς, fratres, non novum vobis scribo praeceptum sed praeceptum vetus, quod habuistis ab initio*] Vos, Israelitae, *iam olim habuistis hoc praeceptum*, Lev. 19: 18. Non debet *novum* vobis videri hoc praeceptum, quanquam protensum latius et provectum sublimius. Pro *ἀδελφοί* in Manuscripto est *ἀγαπητοί* [*carissimi*]. Nec aliter legerunt aut Syrus aut Latinus. Et *ἀπ' ἀρχῆς* hic deest in Manuscripto: apud Syrum autem et Latinum deest hoc ipsum in membro sequente.

Ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος ὃν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, praeceptum vetus est verbum id quod audistis ab initio] *Vos*, id est, vestri Maiores: qualem locutionem habes Matth. 23: 35, Marc. 10: 3, Ioh. 6: 32, 7: 19, 22, Act. 3: 22, 7: 38. Ad intelligendum illud *ἀπ' ἀρχῆς* vide Ezech. 39: 14 et ibi dicta. דבר *λόγος* etiam de Lege Veteri dicitur, sed saepius in plurali דברים *λόγοι*, ob multitudinem praeceptorum, quae Iohannes hic in summam collegit, ideoque singulari utitur. Confer Rom. 13: 9, Gal. 5: 14.

8. *Πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, rursus praeceptum novum scribo vobis*] Illud *πάλιν* est *ἐπανορθωτικόν*

[*cor-*

[*correctivum*]. Dixi esse *praeceptum vetus*, *attamen et novum* est, ita ut a Christo id nobis publicatum est: et ideo *novum* ab ipso Christo appellatur Ioh. 13: 34. Sic *πάλιν* habes Matth. 4: 7 et alibi. Sic Donatus ad illud, *Heus tu*, *rogato rursum*, interpretatur, *e contrario*.

῞Ο ἐςιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν] *Quod in ipso*, id est, in Christo, *verum fuit*, id est, re ipsa apparuit, *et in vobis*, scilicet, esse debet: aut *ἐν ἡμῖν* legendum, ut est in Manuscripto, ut dicat *id praeceptum sincere et a Christo et ab Apostolis impletum*. Mirari non debemus post vocem *ἐντολῆς* sequi pronomen ὃ, quia non tam praeceptio quam res ipsa quae praeceptione continetur hic respicitur. Et similem constructionem iam habuimus supra 1: 2, 3. Christus non paucos homines sed omnes dilexit, et ita ut prae ipsorum salute ne vitam quidem suam charam haberet. Sic et nos debemus facere, infra 3: 16, Ioh. 15: 12, 13.

῞Οτι ἡ σκοτία παράγεται, *quia tenebrae praeterierunt*] *Σκοτίαν* vocat tempus sub Lege Mosis, nimirum comparatum tempori novae lucis Euangelicae. Quo sensu etiam Lex dicitur *οὐκ ἄμεμπτος* [*culpa non vacans*] Hebr. 8: 7. Vide Matth. 4: 16, Luc. 1: 79, Ioh. 1: 5, 3: 19—21. *Παράγειν* ut 1 Cor. 7: 31, aut *παράγεσθαι* hic et infra 17, est *praeterire*. Tum vero est hic praesens pro praeterito. Syrus עבר *praeteriit*, *abiit*. In Manuscripto pro *σκοτία* est *σκιά*, quod Legi tribuitur, Col. 2: 17, Hebr. 10: 1.

Καὶ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἤδη φαίνει, *et vera lux iam lucet*] Lux illa magna. Nam quod in re quaque eminet, solet *ἀληθινὸν* dici, ut diximus ad Ioh. 1: 9. *Φαίνει* נהר.

9. *῾Ο λέγων ἐν τῷ φωτὶ εἶναι*, *qui dicit se in luce esse*] Id est, *qui dicit se Euangelium sectari*.

Καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ μισῶν, *et fratrem suum odit*] Sive Iudaeum, sive alienigenam. Omnes enim per Christum vocantur, et ob Christum diligi debent, Matth. 5: 44 et seqq. Retraxit rem Christus ad sua primordia. *Fratres* omnes in Adamo sumus. Et sic vox *proximi* sumpta ante Legem, Gen. 11: 3, 31: 49, Exod. 11: 2.

᾿Εν τῇ σκοτίᾳ ἐςὶν ἕως ἄρτι] *Is etiam nunc*, postquam tanta lux apparuit, *manet in tenebris*, si non crassioribus illis Paganorum, certe Iudaicis. *᾿Εν τῇ σκοτίᾳ ἐςὶν*

ha-

habebimus et mox 11, *ἐν τῇ σκοτίᾳ μένειν* Ioh. 12: 35. *Ἕως ἄρτι* habes Ioh. 5: 17, 16: 24, 1 Cor. 4: 13, 8: 7.

10. *Ὁ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ φωτὶ μένει*] *Qui fratrem amat, is demum lucem Euangelicam sequitur. Is transiit de morte in vitam*, ut dicitur infra 3: 14.

Καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, et offendiculum in eo non est] Sunt verba ex Graeco Ps. 119: 165. Est autem *μετωνυμία* [*transnominatio*], et ἐν abundat. Sensus enim est, *ille non impingit.* Quare? Quia talem lucem sequitur. Qui talem lucem praeeuntem non habet, *nescit quo vadat*, Ioh. 12: 35. Itaque non mirum est si *offendit.*

11. *Ὁ δὲ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, qui autem odit fratrem suum*] Voce *fratris* ita sumpta ut iam diximus.

Ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶ καὶ ἐν τῇ σκοτίᾳ περιπατεῖ, in tenebris est et in tenebris ambulat] Priori membro affectus, altero actus denotatur.

Καὶ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει, et nescit quo eat] Quare et facile offendit, ut iam diximus.

Ὅτι ἡ σκοτία ἐτύφλωσε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, quia tenebrae obcoecaverunt oculos eius] Est translatio. Vult enim dicere, eum qui in tenebris versatur non plus videre, quam si caecus esset.' *Τυφλοῦν* עור, Syro סמא.

12. *Γράφω ὑμῖν, τεκνία, scribo vobis, filioli*] In Manuscripto, *Ἔγραψα ὑμῖν παιδία* [*Scripsi vobis, infantes*], melius, ut vitetur ambiguum vocis *τεκνία*, quam ante generatim usurpavit. Partitur hic et in sequentibus Christianos in classes tres, puerorum, adolescentum, senum; quae discrimina non secundum aetatem sed secundum gradus diversos eius profectus qui in Christo est intelligi debent. Vide 1 Cor. 3: 1, 2, Hebr. 5: 13, Eph. 4: 13, 14. Illud autem *ἔγραψα* refer ad monita praecedentia, quae iam dicit praecipue quidem *scripta novitiorum causa* (vide quae dicta supra 1), attamen non inutilia etiam caeteris.

Ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius] Deus vobis vitae prioris crimina propter Christum remisit. Meministis id vobis dictum in Baptismo. *Αὐτοῦ Christum* hic significat, ut *αὐτῷ* supra 8. Bona quae Christianis confert Deus, ea confert propter Christum, Ioh. 14: 13, 14, 15: 16, 16: 23, 24, 26, 20: 31. Id etiam

in sanationibus et expulsionibus Daemonum apparuit, Act. 3: 6, 16, 4: 10, 30, 16: 18. Praecipue vero *in nomine Christi*, id est, ob Christum, *remitti peccata*, quod hic dicitur, habemus et Act. 10: 43. Remissa autem sunt peccata, ut posthac Christo vivatur. Et hoc est quod hic innuit. Vide Luc. 1: 74, Ioh. 5: 14.

13. *Γράφω ὑμῖν, πατέρες, scribo vobis, patres*] Etiam vobis, o senes, haec scripta cupio. Senes vocari solent *patres*, unde *Patres Conscripti*, qui Senatores Romae.

Ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est] Novistis Deum, qui senex dierum, Dan. 7: 9, 13, 22. Dat cuique ordini quae ipsi conveniunt. A prima aetate novistis Deum huius mundi Opificem. Is autem est qui Christum misit, eumque pro se audiri voluit.

Γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι, scribo vobis, adolescentes] Positis extremis, iam ponit quod in medio est. בחורים, quod verti solet *νεανίσκοι*, dicuntur ii qui militaris sunt aetatis.

Ὅτι νενικήκατε τὸν πονηρὸν, quoniam vicistis malignum] Dat illis quod militari aetati convenit, *victoriam*. *Vicistis Satanam*, nempe robusta fide, per quam et *mundus vincitur*, infra 5: 4. Cum maximum hostem prostraveritis, facilis vobis erit in posterum sub Christo Duce militia.

Γράφω ὑμῖν, παιδία, scribo vobis, infantes] Rursus hic Manuscriptus *ἔγραψα* [*scripsi*]. Praecipue, inquit, vestri causa haec scripseram.

Ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα, quoniam cognovistis Patrem] Parvulis dulce, nosse patrem suum, id est, Patris bonitatem. Qui autem eum bene norunt, cavent sibi ne tam bonum parentem offendant, et bonitatem eius in iram immutent.

14. *Ἔγραψα ὑμῖν, νεανίσκοι, scripsi vobis, adolescentes*] Hic rectius *γράφω* [*scribo*]. Eadem et vobis scribi putate, vos robustiores.

Ὅτι ἰσχυροί ἐςε, καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ νενικήκατε τὸν πονηρὸν, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum] Illud prius *καὶ* valet hic *quia*, alterum *καὶ* positum est pro *ob id:* quales usurpationes particulae copulativae frequentes Hebraeis.

For-

Fortes iam estis, sed non vestris viribus, verum *ideo quia verbum illud Dei* profectum a Christo *est in vobis* (nam *μένειν* et *inesse* pro eodem ponit hic Scriptor): inde vobis robur tantum obtigit, *ut et mundi huius Principem vinceretis*. Grati ergo esse debetis pro tanto munere. Vestrum est vigilare, nec unquam proiicere arma vobis data. Quod diximus de voce *μένειν* verum esse apparet supra 6, 10, mox 24, 27, 28, 3: 6, 9, 14, 15, 17, 24, 4: 12, 13, 15, 16. Vide et quae diximus ad Ioh. 3: 36, 5: 38.

15. *Μὴ ἀγαπᾶτε τὸν κόσμον, μηδὲ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, ne diligatis mundum, neque quae in mundo sunt*] Ostendit quomodo optime fieri possit ut Christi praecepta impleamus. Nempe si affectus nostros non mancipemus ad imitandam maiorem hominum partem, et ad ea affectanda quae maior pars hominum magni facit. *Mundi* nomine Iohannes tum in Euangelio 1: 10, 7: 7, 8: 23, 14: 19, 15: 18, 19, 16: 8, 11, 20, 17: 14, tum in hac Epistola, ut videre est infra 16, 17, 3: 1, 13, 17, 4: 5, 5: 4, 5, saepe intelligit humanum genus, non plane universum, quomodo interdum sumit eam vocem, sed *κατὰ τὴν ἐπικράτησιν, secundum partem maiorem*, quae, ut infra dicit, *in malo posita est*, id est, in malis actionibus versatur inque iis sibi placet. Qui hominem aliquem diligit, libenter eum imitatur. Qui res aliquas diligit, eas assectatur. *In mundo esse* hic dicuntur eximio modo ea quae Mundus magni facit, quae Mundo ob oculos animumque versantur, quae Mundi affectus defixos tenent.

Ἐάν τις ἀγαπᾷ τὸν κόσμον, οὐκ ἔστιν ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ, si quis diligit mundum, non est Patris dilectio in eo] Nimirum quia alia vult Pater, alia vult Mundus; et Deus et Mundus hominem totum postulant. Talibus dominis duobus serviri non potest; nec amari possunt tales domini duo. Vide quae ad hanc rem diximus Matth. 6: 24. *Dilectio Patris* hic est qua Pater diligitur, ut et supra 5. Pro *πατρὸς* in Manuscripto est *τοῦ Θεοῦ* [*Dei*].

16. *Ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, quoniam omne quod est in mundo, cupido carnis, et cupido oculorum, et superbia vitae*] *Πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ* sic

sic dicitur sicut diximus, *Hic est illi τὰ πάντα [omnia]*, id est, plurimum apud illum potest. Sumpta autem haec sententia ab Hebraeis veteribus, unde accepit Pythagoras, a Pythagora Clinias: *Ὁπόταν δὲ, ἐκ τοῦ τὰς αἰτίας ἀναῤῥιπισθεῖσας εἶναι, ἀδικεῖν πέφυκεν ἄνθρωπος· αὗται δὲ τρεῖς τυγχάνοντι, φιληδονία μὲν ἐν ταῖς ἀπολαύσεσιν ταῖς διὰ σώματος, πλεονεξία δὲ ἐν τῷ κερδαίνειν, φιλοδοξία δὲ ἐν τῷ καθυπερέχειν τῶν ἴσων τε καὶ τῶν ὁμοίων [Homo, ubi ius violat, tum solet violare cum existunt causae quae eum impellant. Hae porro tres sunt: luxuria in corporeis voluptatibus, avaritia in lucris, ambitio in eo, ut paribus superior evadere ambiat]*. Philo ad Decalogum: *Οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πρός τε ἑαυτοὺς καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγῳδηθέντες πόλεμοι πάντες ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐῤῥύησαν, ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς. Περὶ γὰρ ταῦτα κηραίνει τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος [Nam et Graecorum adversus Graecos Barbarosve et Barbarorum aut cum Graecis aut inter se gesta bella, quae celeberrima fuere, manarunt ab uno fonte omnia, cupidine videlicet, aut pecuniae aut honorum aut voluptatum: haec enim sunt fatalia mala hominum]*. *Cupido carnis* est circa epulas, ventrem, et si quid simile: ea enim per ipsam carnem expletur. *Cupido oculorum* est *χρημάτων ἐπιθυμία [cupido divitiarum]*, nimirum quia si voluptates corporis ab ea separes, pecuniae et possessiones omnes nihil sunt nisi oculorum pabulum. Menander:

Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν. Τὰ δὲ χρήματα
Ταῦτ᾽ ἐςὶν ὄψις παραπέτασμα τοῦ βίου.
[Esto animus dives. Nam divitiae caeteras
Pascendis oculis vitae sunt choragium.]

Sic Eccl. 4: 8, *Non satiantur oculi eius divitiis*. Et 5: 11, *Ubi multae sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Ἀλαζονεία τοῦ βίου*, est *φιλοδοξία, δόξης ἐπιθυμία [ambitio, gloriae cupido]*, sub qua et ultionis cupiditas comprehenditur. Sic in Euripidis Iphigenia Aulidensi, cum dixisset Agamemnon,

Τοὺς δὲ ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ,
[Minus at felix, sibi mandatus
Quem vinxit honos],

ait

ait senex,

Καὶ μὴν τὸ καλόν γ' ἐνταῦθα βίου,

[*Atqui vitae splendor in hoc est*],

id est, *in honoribus est splendor vitae.* Generale nomen horum omnium est *ἐπιθυμία*, quam *μυςικῶς* [*mystice*] sub *Eva* notari censent Hebraei.

Οὐκ ἔςιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ ἐκ τοῦ κόσμου ἐςὶ, non est ex Patre, sed ex mundo est] Syrus legit *ἃ οὐκ ἔςιν* [*quae non sunt*]. Et aut sic legendum, aut pronomen aliquod subaudiendum, nempe *ἃ* aut *ταῦτα*, qualem pronominum subticentiam et alibi habuimus. Deus nobis indidit naturae desideria, quae paucis tantum et parabilibus indigent. Caeteri appetitus a mala institutione sunt et a malis exemplis. Vide Iuvenalem Satyra XIV.

17. *Καὶ ὁ κόσμος παράγεται, et mundus perit*] *Perit*, id est, ea lege factus est ut aliquando pereat, 2 Petr. 3: 7, Ps. 102: 26.

Καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ, et cupido eius] In Manuscripto non est *αὐτοῦ* [*eius*]. Mundo destructo *destruitur et venter*, 1 Cor. 6: 13. Cessabunt tunc etiam quae naturalia sunt huius vitae desideria, Matth. 22: 30, Marc. 12: 25, Luc. 20: 35.

Ὁ δὲ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ] *Qui implet eam Dei voluntatem* quae per Christum nobis patefacta est.

Μένει εἰς τὸν αἰῶνα, manet in aeternum] Eadem locutio Ioh. 8: 35, 12: 34; idem valens quod *ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα* [*vivet in aeternum*] Ioh. 6: 51, 58, id est, *vitam illam accipiet quae nunquam est desitura.* Sub tam magna spe nulli labores duri videri debent. Spernimus caduca; appetimus aeterna.

18. *Παιδία, ἐσχάτη ὥρα ἐςὶ, pueri, ultima hora est*] Sicut generalia monita praecipue novitiis adhuc instillaverat, ita et specialiora quae sequentur; non quod non et adultioribus eadem sint utilia, sed quod sperabat eis haec esse notiora, et satis eos per se officium facere. Teneris annis diligens adhibenda est institutio. — In locum hunc de Antichristis, et alterum mox initio capitis 4, commentationem satis uberem edidimus et Annotatis nostris ad Euangelia subiunximus. Erimus nunc breviores. Bene cohaerent haec cum superioribus. Nam impostores

 illi

illi de quibus acturus est erant homines mere mundani, mundana sectabantur, mundanis illecebris homines attrahebant. *Ultima hora*, id est, ultimum tempus, ubi ad Iudaeos sermo est, significat tempus proximum excidio Urbis ac Templi et Reipublicae Iudaeorum. Ipsum tempus excidii est *τέλος* [*finis*] Matth. 24: 6, כלה Dan. 9: 27. *Extrema* autem dicuntur quae ad finem accedunt. Bene autem *pueros* hacde re monet, quia pueri semper existimant satis sibi fore temporis.

Καὶ καθὼς ἠκούσατε, ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται] Ὅτι abest in Manuscripto non male. *Veniet Antichristus, sicut audistis*, nempe ex Christi verbis ab ipso Iohanne recitatis 5: 43. *Ἀντίχριστοι* iidem qui *ψευδόχριστοι*, id est, *qui falso se dicunt esse Christum, aut eius munia sibi vindicant:* de quibus praedictio est Matth. 24: 5 et 24, quorum locorum ille ad tempus ante excidium Templi, hic ad tempus post id excidium pertinet. Itaque Syrus hic, ubi est *ἀντίχριστος* vertit דגלא משיחא *ψευδόχριστος*, nec aliter in seqq. Sic *ἀντιβασιλέα* dicunt Graeci *eum qui falso se regem dicit*. Nulla autem aetas talium *ἀντιχρίστων* sive *ψευδοχρίστων* feracior fuit ea qua haec scribebantur, et quae fuit circa idem tempus; idque ideo quia non per Iudaeam tantum sed et per Orientem omnem fama pervaserat, *illis temporibus proditurum ex Iudaea qui gentibus omnibus imperaret*, ut ex Suetonio, Tacito et Iosepho discimus. Inter eos autem unus futurus erat caeteris eminentior, ad quem proprie locus ille Ioh. 5: 43 pertinet. Is vero non alius fuit quam Barchochebas, qui Adriani temporibus apertissime se *Messiam* dixit, etiam Synedrio de ea re interroganti, et eruditissimos homines traxit in suas partes. Neque vero solam Iudaeam commovit, ut alii qui ante eum fuerant, sed Africam, Graeciam, Aegyptum, Cyprum et loca prope omnia in quibus erant Iudaei, ita ut fraude eius periisse dicantur ab aliis octingenta Iudaeorum millia, ab aliis duplus numerus eorum qui ex Aegypto exierant. Soli vero illi Iudaei, qui bona fide erant Christiani, ab eo se decipi passi non sunt, ut Iustinus, Orosius et alii nos docent. Ἔρχεται est praesens sono, sed pro futuro saepe ponitur. Vide Hebr. 10: 37. Locus 2 Thess. 2: 3 plane hic non respici-

citur. Nam nondum ea Epistola erat in manibus hominum cum haec scriberentur, praecipue eorum qui sub Parthis vivebant: et longe aliud est *ἀντικείμενος* aliud *ἀντίχριστος*. *Ἀντικείμενος* est *is qui Deo summo hostem se profitetur; ἀντίχριστος, qui se Christum facit.*

Καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασι, et nunc Antichristi multi facti sunt] *Multi* sane, de quibus egimus ad Matth. 24: 5 et in Anteloquio ad hanc Epistolam.

Ὅθεν γινώσκομεν ὅτι ἡ ἐσχάτη ὥρα ἐστιν, unde scimus, ultimam esse horam] Nam cum primum multi tales exsisterent qui sibi arriperent Messiae partes, tum ut propinquum exspectari debebat excidium Templi et Reipublicae ex praedicto Christi Matth. 24: 5, 8, ubi est illud, *Πάντα δὲ ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων* [*Haec autem omnia initia sunt dolorum*].

19. *Ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, a nobis exierunt*] Simon Magus, qui et ipse sibi quae Christi solius erant vindicavit, fuerat in coetu Christiano, et multi alii qui hunc ipsum et alios impostores sunt secuti. *Exierunt a nobis*, id est, a nostro coetu.

Ἀλλ' οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, sed non erant ex nobis] Cum istas factiones turbulentas alii inchoarent, alii sectarentur, non ultra iam erant nostri. Deseruerant coetus nostros ideo quod tales molitiones seditiosas scirent cum Ecclesiae disciplina non posse consistere. *Ἐξ ἡμῶν* hic est *vere nostri.*

Εἰ γὰρ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, μεμενήκεισαν ἂν μεθ' ἡμῶν, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum] Si illi tunc ex animo fuissent Christiani cum ista inciperent, non deseruissent coetus nostros. Hoc ideo dicit ne crimine talium seditionum Christiani adspergerentur. Qui ista coeptabant, iam deseruerant Christianam professionem. Fuerant inter Christianos, at non erant amplius. *Desinunt haberi Christiani apud nos*, ait de talibus Tertullianus; et adiicit: *Eiusmodi neque congregant neque participant nobiscum.* Non dissimile illud Ignatii ad Trallianos: *Εἰ γὰρ ἦσαν τοῦ πατρὸς κλάδοι, οὐκ ἂν ἦσαν ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ* [*Nam si essent Patris surculi, non essent inimici crucis Christi*].

Ἀλλ' ἵνα φανερωθῶσιν, sed ut manifestarentur] Supple, per-

permissum hoc est a Deo, aut, quod idem est, *egressi sunt ex nobis*, quod Syrus hic addit, modo suppleas *provido Dei permissu*. Deus eos permisit sic tentari ut quod occultaverant ingenium nudarent. Quale fuerit Simonis Magi ingenium videmus Act. 8: 19, quale autem Simonianorum 2 Thess. 2: 10, 12. Discessus talium prodest Ecclesiae: facinora postea eorum Ecclesiam non onerant. Imo magnus honos est Ecclesiae, quod istas molitiones apparet cum doctrina et disciplina Ecclesiae non posse consistere. Vide 1 Cor. 11: 19, 2 Tim. 3: 9.

Ὅτι οὐκ εἰσὶ πάντες ἐξ ἡμῶν, quoniam non sunt omnes ex nobis] Id est, Non enim omnes animo sunt Christiani qui in nostris sunt coetibus. *Non omnium* qui in istis sunt coetibus *est fides*, 2 Thess. 3: 2, 3.

20. *Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα, sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia*] Quasi dicat, *Memores moneo*. Unguento olim sacrabantur Reges et Sacerdotes, sed et ad alia Dei beneficia vox *unctionis* figurate referebatur, ut Ps. 23: 5. In Novo Testamento, ubi omnes sunt Reges et Sacerdotes, per *unguentum* intelligitur quaevis Dei gratia, ut diximus Hebr. 1: 9 et Iac. 5: 14, eximie vero illa per quam Spiritus nobis in singulis circumstantiis suggerit et Christi praecepta et monita quae cuique tempori sunt idonea, Ioh. 14: 26. Cum ergo illi Pseudochristi, qui vi armata se imperiis opponebant, apparerent, Spiritus Christi subiiciebat Christianis, *Regnum illud Messiae* per Prophetas praenuntiatum *non esse mundanum*, Ioh. 18: 36. *Nec venire cum pompa externa*, Luc. 17: 20. *Danda Caesari quae Caesaris sunt*, Matth. 22: 21. *Non arripiendum ius gladii*, Matth. 26: 52. Sed *per patientiam servandas animas*, Luc. 21: 19. *Ἁγίου* hic interpretor de Christo, quomodo ea vox sumitur Act. 3: 14, et Apoc. 3: 7. Sic *πνεῦμα Κυρίου* [*Spiritus Domini*] 2 Cor. 3: 17, 18. *Πνεῦμα Χριστοῦ* Ephes. 3: 16. *Πνεῦμα Ἰησοῦ Χριστοῦ*, Phil. 1: 19. Sic infra 27, *Τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ* [*Unctionem, quam accepistis ab eo*]. Quod ait *οἴδατε πάντα* intellige, quae ad vitandos tales impostores sunt necessaria. Restringi enim debet vocum universalitas ex subiecta materia. Syrus ad *πάντα* subintellexit *ἄνθρωπον*

[*ho-*

[*hominem*] quasi dicat Iohannes, *nostis discernere bonos et malos spiritus.* Sed de ea re, cuius infra capite 4 normas tradet, hic proprie agi non puto.

21. *Οὐκ ἔγραψα ὑμῖν ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ὅτι οἴδατε αὐτήν*] *Non scripsi vobis*, *haec* scilicet, *quasi ignorantibus Euangelica praecepta, sed quasi bene gnaris*, alioqui scilicet longiore vobiscum usurus sermone. *Sapienti dictum sat est.* Ὅτι per *tanquam* bene exposuit Latinus. Ἀλήθειαν expono *doctrinam Euangelii*, ut Ioh. 8: 32, 17: 17, 2 Cor. 4: 2 et alibi.

Καὶ ὅτι πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας οὐκ ἔςι, et quod nullum mendacium ex veritate est] Voces istae ψεῦδος et ἀληθείας hic sumendae sunt non formaliter, ut ita loquar, sed materialiter. Scitis dogmata illa hominum seditiosorum non congruere cum Euangelio. Vocat autem obiter illa quidem dogmata ψεῦδος, Euangelium autem, ut iam ante, ἀλήθειαν, quia revera ita se res habebat. *Πᾶν* postposito οὐκ apud Hebraeos Graece scribentes universaliter negat. Illud καὶ construendum cum οἴδατε quod praecessit.

22. *Τίς ἐςιν ὁ ψεύςης*] *Quis est* qui meliori iure *mendax* et *impostor* sit dicendus? Comparate enim hoc sumendum, cum sint et alia impostorum genera, sed minora. Nulli deceptores sunt perniciosiores quam qui id evertunt unde pendet hominum salus. Nam si Iesus non est Messias, cum se eum esse dixerit, nihil ei credendum est.

Εἰ μὴ ὁ ἀρνούμενος ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔςιν ὁ Χριςός, nisi qui negat, Iesum esse Christum] Ἀρνεῖσθαι addita particula negativa, quam Latini omitterent, nihil aliud est quam *firme negare.* Similis locutio Luc. 20: 27 et 22: 34. Et Sophoclis:

—— *Κ' οὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.*

[—— *Nullus inficias eo.*]

Οὗτός ἐςιν ὁ Ἀντίχριςος, hic est Antichristus] Non quod eximius ille Antichristus primus id facturus sit, sed quod eximie et impudenter supra caeteros, ac maiore cum effectu.

Ὁ ἀρνούμενος τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, qui negat Patrem et Filium] Et hic τὸν υἱὸν sumendum, ut dixi,

 ma-

materialiter, non formaliter. Negabant enim illi Iesum esse Filium Dei, quod Iohannes ut Christianis loquens pro certo ponit. *Ἀρνεῖσθαι* hoc loco paulo aliter sumitur quam supra, et significat *auctoritatem alicui detrahere*, ut Matth. 10: 33, Luc. 12: 9, Act. 3: 13, 14, 7: 35, 1 Tim. 5: 8, 2 Tim. 2: 12, 3: 5, Tit. 1: 16. Qui Iesu auctoritatem detrahit, is re ipsa etiam Patri auctoritatem detrahit, quia Pater id omnibus modis egit ut Iesu auctoritatem maximam conciliaret, Ioh. 5: 36, 6: 27, 8: 54.

23. *Πᾶς ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει, omnis qui negat Filium, nec Patrem habet*] *Non habet Patrem*, id est, non tenet quae sit Patris ultima ac perfectissima voluntas, Matth. 11: 27, Ioh. 1: 18, 14: 6, 9, Hebr. 1: 3, 2 Cor. 4: 4, Col. 1: 15, ad quae loca quae diximus nihil opus hic repeti. *Habere* hic sume ut infra 5: 12, *ὁ ἔχων τὸν υἱόν*. Addit hic Manuscriptus, quod et alii Manuscripti habent et Latinus et Syrus, *Ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει* [*Qui confitetur Filium et Patrem habet*], id est, qui Iesum pro verace agnoscit verbis et factis, is et ostendit notam sibi esse Patris voluntatem.

24. *Ὑμεῖς οὖν ὃ ἠκούσατε ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἐν ὑμῖν μενέτω*] *Fixum sit in cordibus vestris id quod a nobis Apostolis accepistis.* *Ἀπ᾽ ἀρχῆς* sumo de tempore praedicati Euangelii, idque ex subiecta materia; cum alioqui varie ea vox sumatur, ut diximus ad huius Epistolae initium. Est autem constructio *κατὰ σημαινόμενον* [*secundum id quod significatur*], ut et infra 27. Incipit enim orationem quasi dicturus, *Vos quod ab initio audistis, retinete:* sed pro illo *retinete* posuit quod idem valet, *maneat in vobis.* Simile vide Apoc. 3: 12 et Eph. 1: 13.

Ἐὰν ἐν ὑμῖν μείνῃ ὃ ἀπ᾽ ἀρχῆς ἠκούσατε, καὶ ὑμεῖς ἐν τῷ υἱῷ καὶ ἐν τῷ πατρὶ μενεῖτε, si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis] Id est, Eritis coniunctissimi Patri et Filio, summo eorum favore et amicitia fruemini. Cui rei quid sit consequens iam exponet, Vide Ioh. 6: 56.

25. *Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία, et haec est promissio*] Quasi dicat:

—— *Nec enim levia aut ludicra petuntur*
Praemia.

Pro-

Promissionem dixit pro *re promissa*, ut iam explicat.

"*Hν αὐτὸς ἐπηγγείλατο ἡμῖν, quam ipse pollicitus est nobis*] *Αὐτὸς* nempe Filius Dei Patris nomine. Sic et infra 27, *ἀπ' αὐτοῦ* [*ab eo*].

Τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, vitam aeternam] Est constructio similis illi,

Urbem quam statuo vestra est;

nisi quod ibi accusativus ante verbum ponitur, hic post verbum. Verum haec nostris Scriptoribus non ex arte sed casu provenerunt.

26. *Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν περὶ τῶν πλανώντων ὑμᾶς, haec scripsi vobis de iis, qui seducunt vos*] *Ὑμᾶς* id est, Iudaeos ex quorum gente et vos estis. Illorum occasione sermonem hunc orsus sum et produxi longius. Verbum *πλανᾷν* de illo hominum genere habes Matth. 24: 4, 5, 2: 24.

27. *Καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα, ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει, et vos unctionem, quam accepistis ab eo, manet in vobis*] *Καὶ* hic est pro *sed*. Opponit enim Iudaeos credentes incredulis. Et constructio par ei quae supra 24. Res autem eadem quae supra 20. Amoliri vult a se suspicionem quasi minus bene de eis speraret. *Ἀπ' αὐτοῦ, a Christo. Ἐν ὑμῖν μένει, est intra vos*, idem quod supra *ἔχετε*.

Καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάξῃ ὑμᾶς, neque necesse habetis, ut quis vos doceat] Nempe de eo quod in singulis circumstantiis, ut dixi, faciendum est. Estis *διδακτοὶ Θεοῦ* [*docti ab ipso Deo*] Ier. 31: 34, Ioh. 6: 45. Sunt enim differentiae quaedam quas exigunt tempora, loca, personae. Ideo admonitione saepe opus ad inveniendam officiorum viam. Vide, si vis, Senecam Epistola XCIV.

Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, καὶ ἀληθές ἐςι καὶ οὐ ψεῦδος, καὶ καθὼς ἐδίδαξεν ὑμᾶς, μενεῖτε ἐν αὐτῷ, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et vera est, neque mendacium: et sicut docuit vos, manete in eo] Est bene sperantis atque ominantis. *Ἀληθές ἐςι καὶ οὐ ψεῦδος* primum est *μετωνυμία* [*transnominatio*] abstracti pro concreto. Nam *ψεῦδος* valet hic *ψευδές*, quomodo *ἀλήθεια* valet *ἀληθές* 2 Cor. 7: 14. Deinde idem bis dicitur, primum affirmando, deinde negando opposi-

 tum;

tum, quomodo supra 1: 5, et hoc capite 4: 8. Par locutio 1 Sam. 1: 11, Ezech. 18: 21, 33: 15.

28. *Καὶ νῦν, τεκνία, μένετε ἐν αὐτῷ, et nunc, filioli, manete in eo*] Hoc iam est monentis. Et καὶ valet *igitur*.

Ἵνα ὅταν φανερωθῇ, ut cum apparuerit] Nempe *Filius Dei*, quod ex longo repetitur. Sic Col. 3: 4, Ὅταν ὁ Χριςὸς φανερωθῇ [*Cum Christus apparuerit*]. Sic et φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος [*Cum apparuerit princeps Pastorum*] dixit Petrus, 1 Epist. 5: 4.

Ἔχωμεν παῤῥησίαν] *Appareamus cum bona fiducia.* De hoc usu vocis παῤῥησίας vide 2 Cor. 3: 12, Eph. 3: 12, Hebr. 3: 6, 4: 16, 10: 35, infra hic 5: 14. Syrus vertit *revelationem faciei*.

Καὶ μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, nec confundamur coram eo in adventu eius] *Ne pudeat nos ab illo conspici.* Hoc est quod *stare ante Filium hominis* dicitur Luc. 21: 36.

29. *Ἐὰν εἰδῆτε ὅτι δίκαιός ἐςι, si id scitis, quod iustus est*] Nempe *Deus*. Transit de *Christo* ad *Deum*, quanquam nomine *Dei* hic non expresso; ut mox 3: 5 et 16, a *Deo* ad *Christum*. Nec id mirum, cum utriusque mentio praecesserit. Similis transitio infra 4: 17 et 19.

Γινώσκετε πᾶς ὁ ποιῶν δικαιοσύνην, scitote et hoc, quod omnis qui facit iustitiam] *Δικαιοσύνην ποιεῖν* ut hic, ἐργάζεσθαι ut Act. 10: 35 et Hebr. 11: 33, κατεργάζεσθαι ut Iac. 1: 20, dicitur qui recta atque laudanda agit. Illud γινώσκετε Latinus recte interpretatur *scitote*. Tale est illud:

— *Εἰ Θεὸν οἶσθα,*
Ἴσθ' ὅτι καὶ ῥέξαι Δαίμονι πᾶν δυνατόν.
[— *Si Deus est tibi notus,*
Hoc etiam noris, omnia posse Deum.]

Sic et hic Manuscriptus habet ὅτι καί.

Ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται, ex ipso natus est] Id est, Sicut Filii de Patre naturam trahunt, ita illi de Deo, 2 Petr. 1: 4. Puto enim veram lectionem esse γεγέννηται, quae in multis libris apparet et quomodo Latinus legit.

CAPUT III.

1. *Ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, videte qualem dilectionem dedit nobis Pater*] Cohaeret hic sermo cum superioribus, sed per illud ἴδετε, ראו, nova excitatur attentio. Et nota provocabulum ποταπὴν, ut 2 Petr. 3: 2. Ἀγάπην hic μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] interpretare *signum dilectionis*.

Ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν, *ut filii Dei nominemur*] בנים לאל חי [*filii Dei vivi*]. Sic appellati ab ipso Christo, qui falli non potest, Matth. 5: 9, 45. Hic adscriptum habet Manuscriptus, quod et Latinus legit et Syrus, καί ἐσμεν, id est, *ac revera tales sumus*, imitatione Divinae bonitatis. Vide Ioh. 1: 12.

Διὰ τοῦτο ὁ κόσμος οὐ γινώσκει ἡμᾶς, *propter ea mundus nos non novit*] Id est, Non agnoscit pro suis, imo odit, Ioh. 15: 18, et malis omnibus afficit, Ioh. 16: 1, 2, 3. Occurrit tacitae obiectioni: Titulo nos solaris, et eum maxima pars hominum nobis non modo non tribuit, sed et contumeliose nos tractat velut mancipia.

Ὅτι οὐκ ἔγνω αὐτὸν, *quia non novit eum*] Idem sensus dictis locis Ioh. 15: 21, 16: 3. Est in his verbis consolatio: Videte causam cur id vobis eveniat. Qui vos ita tractant, caeci sunt in rebus Dei.

2. Ἀγαπητοὶ, νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, *carissimi, nunc filii Dei sumus*] *Sumus nunc quidem filii Dei* eo quo dictum est sensu.

Καὶ οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα] *Et nondum apparuit quid futuri simus*, id est, quomodo futuri simus filii Dei in meliore illo seculo. *Καὶ* hic est pro adversativa. *Τί* solet etiam ad qualitates referri.

Οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, *scimus autem, cum apparuerit*] Nempe *illud quod erimus*. Est et hic ἐὰν pro ὅταν, quomodo et Manuscriptus habebat supra 1: 7. Et sic loquitur idem hic Apostolus Euang. 14: 29. Et Hebraei suo כי sic utuntur.

Ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα, *nos ei similes fore*] Non sanctitate tantum sed et aeternitate et beatitudine; ac sic multo magis filii eius quam nunc.

Ὅτι

Ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐςι, quoniam videbimus eum sicuti est] Ex promisso Matth. 5: 8. Cum receptum esset apud Iudaeos *Deum non videri*, id est, cognosci qualis est, *nisi in vita altera*, ex loco Exod. 33: 20, inde, ut ex confesso, argumentum ducit. Aeternitatem nulla res nisi aeterna potest comprehendere. Confer 1 Cor. 13: 12.

3. *Καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ*] *Qui spem tanti boni habet in Deo*, id est, ita sicut Deus eam spem vult concipi.

Ἁγνίζει ἑαυτόν] *Semet purificat*, טהר, id est, purum se a rebus malis facit et servat. Nam utrumque hac voce comprehenditur; estque re ipsa idem quod *ἐν φωτὶ περιπατεῖν* [*in luce ambulare*], supra 1: 7. Effectus idem modo Deo tribuitur, modo Christo, modo nobis, subordinate. Hoc autem facit is qui sperare vult vitam aeternam, quia scit illam minoris non comparari.

Καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐςι, sicut et ille purus est] Respicit loca Lev. 11: 44 et 19: 2, ubi pro ἁγνὸς est ἅγιος [*sanctus*], ut 1 Petr. 1: 16, quae adeo paris sunt significatus, ut Latinus hic pro ἁγνίζει posuerit *sanctificat*, et pro ἁγνὸς *sanctus*.

4. *Πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ*] Id est, *Quisquis peccat* (verbo hoc sumpto sicut in hac Epistola sumi diximus) *idem et Deum offendit.* Hoc autem expressit per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*]; quia qui legem Regis alicuius consulto violat, non est quod beneficium ab eo speret. *Ποιεῖν ἀνομίαν* est עשה עולה [*legem violare, iniquitatem facere*] Ps. 37: 1, Ezech. 33: 15, 18, aut פעל עולה [*operari iniquitatem*], ut Ps. 58: 3. Et Syrus hic *ἀνομίαν* vertit עולא. Sed aliter ea vox sumebatur tempore legis Veteris, aliter tempore legis Novae, quae Veteri non paulo est purior.

Καὶ ἡ ἁμαρτία ἐςὶν ἡ ἀνομία, et peccatum est iniquitas] *Καὶ* hic est *nam.* Ratio enim redditur praecedentis dicti. Sensus est: Nam nobis, utcunque varie Philosophi varii *ἁμαρτίας* vocem et sumant et definiant, *peccatum est actus quivis quem scias et sentias pugnare cum aliqua lege Dei*, id est, cum aliqua patefactione Divinae voluntatis, qualis imprimis est Lex Euangelica. Tale חטא est et און, Os. 6: 8.

5. *Καὶ οἴδατε ὅτι ἐκεῖνος ἐφανερώθη, et scitis illum apparuisse*] Iam diximus subaudiri hic nomen *Christi*, quanquam ex longinquo, et quanquam *Dei* mentio intercessit. *Ἐφανερώθη*, id est, *mundo apparuit*, quomodo ea vox sumitur Ioh. 1: 31, 1 Petr. 1: 20. Dicitur et de Euangelio 1 Tim. 3: 16 et 2 Tim. 1: 10, Tit. 1: 3, Hebr. 9: 8 et supra 1: 2.

Ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ, ut peccata nostra tolleret] In Manuscripto, *ἵνα ἁμαρτίας ἄρῃ*, id est, *ut nos peccatores immunes faceret a peccatis*. Vide quae diximus ad Ioh. 1: 29, ubi eadem est locutio. Sensus idem supra 1: 7 et 1 Petr. 2: 22—24. Tacite hic intellige, Quod si Christi in hac re consilium per vestram culpam caret eventu, certe in eo Christum et pariter Patrem vehementer offenditis, ac proinde vitam gloriamque aeternam sperare non debetis. Respicitur locus Esai. 53: 11.

Καὶ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔςι] Praesens pro praeterito, *peccatum in eo non erat*, nempe cum vitam mortalem viveret. Sic et Petrus dicto loco, *ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησε* [*qui peccatum non fecit*]. Christus non verbis tantum sed et exemplo nobis praeivit, *ὑπελίμπανεν ὑπογραμμὸν* [*reliquit exemplar*], ut ait Petrus. Deut. 32: 4, אין עול, *οὐκ ἔςιν ἀδικία ἐν αὐτῷ* [*non est iniustitia eo*], de Deo.

6. *Πᾶς ὁ ἐν αὐτῷ μένων, οὐχ ἁμαρτάνει, omnis qui in eo manet, non peccat*] Putant quidam per *ἁμαρτάνειν* hic designari solum habitum. At Veteres credidere designari actus omnes tales quales iam ante descripsimus. Et id nos sequimur duce Paulo 1 Cor. 6: 9, Gal. 5: 21, Eph. 5: 5. Tales non admittit qui vero amore Christo coniungitur; quod hic dicitur *manere in Christo*, sicut *amantes* dicuntur *esse* et *habitare ubi amant*.

Πᾶς ὁ ἁμαρτάνων οὐχ ἑώρακεν αὐτὸν, οὐδὲ ἔγνωκεν αὐτὸν, omnis qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum] *Qui peccat* eo quo diximus sensu, cum peccat, neque de Christo sic cogitat ut oportet, neque facto ostendit se scire quanti sit habenda Christi voluntas. ראה, quod respondet voci *ὁρᾷν*, vertitur alibi per *σκέψασθαι*, alibi per *κατανοεῖν*. *Γινώσκειν* vero, ut et alia verba similia, saepe non tam rem quam rei testimonium significant.

La-

Late id explicat Maimonides Ductoris Dubitantium XXIII. 24.

7. *Τεκνία, μηδεὶς πλανάτω ὑμᾶς, filioli, nemo vos seducat*] Et hic Manuscripti habent *παιδία* [*infantes*], non male. Nempe ita bene sperat Apostolus de provectioribus ut eos credat his monitis non egere. Vide supra 2: 12 et seqq. Non frustra autem hoc dicit. Multi enim et tunc sibi blandiebantur, et nunc blandiuntur, volentes desiderium quoddam bene vivendi ad salutem sufficere. Similia monitorum exordia habes Luc. 21: 8, 1 Cor. 6: 9, et in hoc ipso argumento 15: 33, Gal. 6: 7, Iac. 1: 16, supra 1: 8.

Ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην, δίκαιός ἐςι] Id est, Is demum apud Deum *iustus* habetur, et ut *iustus* tractatur, ac proinde ei soli competit promissum iustis praemium, qui actiones suas ad Dei Legem componit: id enim hic est *iustitiam facere*, oppositum τῷ *ἁμαρτάνειν* sive *ἁμαρτίαν ποιεῖν* [*peccare*, *peccatum committere*]. Vide supra 2: 29.

Καθὼς ἐκεῖνος δίκαιός ἐςι] Nam sic et Christus *ipse iustus fuit*, sive Deo placuit, recte semper agendo.

8. *Ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐςὶ, qui facit peccatum ex Diabolo est*] Id est, Indole Diabolum refert. Vide de hoc loquendi genere quae diximus ad Ioh. 8: 44 et 47. Sic et infra 12, *ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν* [*ex maligno erat*]. Hoc vult, Videte quam foedum sit talem imitari.

Ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, quoniam ab initio Diabolus peccat] Id est, Ex quo semel peccavit, peccare non desinit. Talis locutio illa Ioh. 15: 27, *ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐςε* [*quia ab initio mecum estis*]. Est Diabolo hoc proprium atque perpetuum *male agere*.

Εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου, in hoc apparuit Filius Dei, ut destruat Diaboli opera] *Ἐφανερώθη* rursum sume ut supra 5. Novum est argumentum: Non decet Christianos ea facere quae Christus destructum venit. At peccatum Diaboli est opus, qui non peccat tantum, sed et alios ad peccandum instigat. Venisse autem Christum, ut Diabolo auferret imperium, ac proinde *opera eius destrueret*, ex ipsius dictis constat Matth. 12: 29, Luc. 10: 18, Ioh. 12: 31, 16: 11. *Λύειν* est *destruere*, ut Ioh. 2: 19, 2 Petr. 3: 10—12.

9.

9. *Πᾶς γὰρ ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, quicunque enim ex Deo natus est peccatum non facit*] Id est, οὐχ ἁμαρτάνει· haec enim huic Apostolo idem sunt. Illud autem γεγεννημένος significat hic actum non transeuntem sed permanentem. Peccare enim graviter potest qui aliquando filius Dei fuerit. Tertullianus libro De Pudicitia, enumeratis illis de quibus modo egimus peccatorum generibus: *Haec non admittet qui natus e Deo fuerit, non futurus Dei filius si admiserit.* Est ergo hic praeteritum illud pro verbali, quasi dixisset γεννητός, ילוד, Iob. 14: 1, 15: 14, 25: 4, aut τέκνον, ut infra 10. Dixit ante *dici nos Dei filios* ob indolem Divinae similem. Talis autem qui erit, id est, dum eam indolem retinebit, non peccabit eo modo quo hic *peccare* ponitur. Augustinus Sermone, XXIX de verbis Apostoli, cum dixisset, *homicidia et adulteria uno ictu perimere*, addit: *Talia non facit bonae fidei et spei Christianus, sed illa sola quae quotidiano orationis periculo terguntur.* Idem ad Ps. 51: *Regnat peccatum si consenseris.* Didymus ad hunc locum: *Dicendum est idem esse facere peccatum quod peccare, cum Diabolo datur locus.* Discipulus Didymi Hieronymus libro I adversus Pelagium: *Qui ergo natus est ex Deo non peccat, quamdiu semen Dei manet in eo*, vividum scilicet. Et ad Matth. 7: *Bona arbor non fert malos fructus, quamdiu in bonitatis studio perseverat.*

Ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, quoniam eius semen ipsi inest] *Semen Dei* est verbum Euangelii Matth. 13: 19, Marc. 4: 14, 1 Petr. 1: 23, Iac. 1: 18. *Μένειν* hic est *inesse*, ut supra diximus. Itaque Ioh. 14: 17 habemus μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔςαι [*manet et in nobis erit*], ubi illud μένει praesens tempus designat, ἔςαι futurum. *Inesse* autem intellige ἐνεργῶς [*efficaciter*], ita ut nec arefactum sit nec suffocatum, sed naturam efficientiamque retineat. Sic Aristoteli oculus qui non videt non est oculus.

Καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, ὅτι ἐκ Θεοῦ γεγέννηται, nec potest peccare, quoniam ex Deo natus est] Id est, γέννητός ἐςι. Augustinus de Gratia Christi libro I cap. 21: *Secundum istam charitatem melius intelligitur dictum, Qui natus est ex Deo non peccat; et quia non potest,*

quia

quia charitas, secundum quam natus est ex Deo, non agit perperam, non cogitat malum. Est autem illud δύναται hic dictum moraliter. Solent enim actus similes esse qualitatibus. Ignatius: *Οἱ σαρκικοὶ τὰ πνευματικὰ πράττειν οὐ δύνανται [Carnales spiritualia facere non possunt].* Menander:

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηςὸς ὢν ποιεῖ.

Nemo bonus qui vir sit rem faciet malam.]

Philo de Nobilitate: *Ἤθη ὑπαλλάξαι πονηρὰ χρηςοῖς οὐ ῥάδιον [Bono ut malus fiat difficile est].* Seneca VI de Beneficiis: *Vir bonus non potest non facere quod facit.*

10. *Ἐν τούτῳ φανερά ἐςι τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου· πᾶς ὁ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην οὐκ ἔςιν ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, hac re manifesti sunt filii Dei et filii Diaboli: qui non facit iustitiam, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum*] Hoc vult: Non dubium est, quin malitis esse Dei filii quam Diaboli. Ut ergo illud sitis semper, ostendam vobis discrimen. *Ex Deo sunt qui et iustitiam faciunt, et amant proximum,* id est, quorum et opera sunt bona et ex bono proficiscuntur animo. Nam qui proximum diligit Dei causa, is et Deum diligit, ut diximus ad Rom. 13: 9. Qui vero aut non faciunt bona, aut non ex tali animo, ii *Diaboli* sunt filii. Vides etiam hic verum esse quod dixit Aristoteles:

Ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακόν.

[*Est simplex virtus, omnigenum vitium.*]

Ἀδελφὸν, vocat, ut et supra 2: 9, *τὸν πλησίον [proximum]*, hominem quemvis, ex natura Euangelicae Legis; quanquam interdum ex vi materiae vox illa sumitur strictius, ita ut solos comprehendat Christianos.

11. *Ὅτι αὕτη ἐςὶν ἡ ἀγγελία, quoniam hic est nuntius*] Vide supra 1: 5.

Ἣν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, quem audistis ab initio] Etiam sub Lege: etsi nunc et vox *fratris* latius pateat, et *diligendi* significatio sit intensior. Sed nihil mirum imperfecta praeludere perfectioribus. Videtis tamen Deo in summo pretio semper fuisse dilectionem.

Ἵνα ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ut diligamus alterutrum] Israelitae Israelitas olim, nunc quilibet quosvis, sicut et ante Legem fecit Abrahamus.

12. *Οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν, non sicut Cain ex maligno erat*] Defectus qui est in hoc sermone ita mihi videtur optime posse suppleri: *Οὐκ ὦμεν ἐκ τοῦ πονηροῦ καθὼς Κάϊν ἦν, Ne Diabolica simus indole, sicut Cain fuit.*

Καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, et occidit fratrem suum] *Καὶ* hic valet *qui*. In Glossario, *σφάζω, iugulo, interimo, caedo, occido, neco*. Et Graeci Scholiastae *σφάζω* aut *σφάττω* interpretantur *φονεύω, κτείνω*. Latinus hic *occidit*. Syrus קטל, qua voce et Hebraei utuntur de quavis interfectione.

Καὶ χάριν τίνος ἔσφαξεν αὐτόν, et cuius rei causa occidit eum] Per hoc *πύσμα* [*interrogatum*] aditum sibi struit ad comparationem inter Abelem et Christianos.

Ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ δίκαια, quod opera ipsius maligna erant, fratris eius iusta] Acerbissima odia ex diversitate morum. Tales autem fuisse duos istos fratres Dei iudicio apparuit, qui Abelem litare voluit, Cainum non item. Vide quae ad istam historiam et ad locum Hebr. 11: 4 a nobis dicta. *Τὰ τοῦ ἀδελφοῦ*, nempe *ἔργα*, ex praecedenti.

13. *Μὴ θαυμάζετε, ἀδελφοί μου*] Syrus, *Et ne miremini*, pro *Ne miremini igitur*: nam *igitur* hic subaudiri debet: est enim illatio ex praecedenti exemplo.

Εἰ μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος, si odit vos mundus] Homines nempe Caino non dissimiles. Vide quae supra initio huius capitis, et ibi dicta.

14. *Ἡμεῖς οἴδαμεν*] *Nos* ex Christo *didicimus*, quod mundus non didicit.

Ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς, nos e morte esse translatos ad vitam, quia diligimus fratres] *Eo nos ius habere ad vitam aeternam, quia fratres nostros diligimus*, propter Deum scilicet, et ita ut actibus id ipsum testemur. Talibus enim Deus per Christum vitam illam aeternam de qua agitur promittit. *Μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*, eodem sensu quo hic habemus apud eundem hunc Scriptorem Euangelii 5: 24, ubi diximus iis verbis significari *eos velut e civitate Mortis in civitatem Vitae transcribi*. Iuri autem ad rem saepe datur nomen rei ipsius.

Ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν, μένει ἐν τῷ θανάτῳ, qui non diligit fratrem, manet in morte] *Manet in morte*, id est, in ea est conditione quae morti est obnoxia. *Impii dum vivunt sunt mortui*, dictum est Hebraeorum. Par figura cum praecedente. Nos ius habemus ad Vitam: in illos Mors ius habet. In Manuscripto τοὺς ἀδελφοὺς ὁ μὴ ἀγαπῶν [*qui fratres non diligit*].

15. *Πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, quicunque odit fratrem suum*] Sicut isti mundani homines nos non modo non diligunt, sed et oderunt.

Ἀνθρωποκτόνος ἐστὶ, homicida est] Nam si

Quem quisque metuit, periisse expetit,

multo magis quem odit. Christi autem Lege, quae internum hominem potissimum respicit, fecisse quisquam censetur quantum voluit. Quod enim de adulterio dixit Christus Matth. 5: 28, pari iure ad alia crimina aptandum est.

Καὶ οἴδατε ὅτι πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον ἐν αὐτῷ μένουσαν, et nostis, quemvis homicidam non habere vitam aeternam in se manentem] *Vitam aeternam*, id est, ius ad vitam aeternam, *in se*, id est, apud se, *non habet*. Quod dicit apertum satis est. Nam si Mosis Lex in terrestri societate talem hominem ferre non potest, quanto minus eum Christus feret in coelesti civitate? Non de habitu sed de actu homicidii hic agi facile intelligitur ex Caini exemplo.

16. *Ἐν τούτῳ ἐγνώκαμεν τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ*] *Unde discimus, quantopere Deus non dilexerit.*

Ὅτι ἐκεῖνος ὑπὲρ ἡμῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔθηκε, quod ille animam suam pro nobis posuit] *Ἐκεῖνος* hic est *Christus*, ut supra 5. Subintelligendum hic autem est, hoc Christum fecisse Deo sic decernente nostri causa: quod expressum est Rom. 5: 8 et 8: 32. Vide et infra 4: 9 et in Euangelio 3: 16. *Τιθέναι ψυχὴν* apud hunc nostrum Scriptorem non est proprie *vitam deponere* (quanquam et hoc fecit Christus), sed *obiicere periculis*, ut diximus ad Ioh. 10: 11, 15, 17, 13: 37, 38, 15: 13.

Καὶ ἡμεῖς ὀφείλομεν ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τιθέναι, et nos debemus pro fratribus animas ponere] Et hic deest *igitur*. Sensus est: *Debemus igitur et nos pericula quae-*

vis

vis adtre, ut alios homines, fratres nostros in prima origine, exitio aeterno eripiamus. Non debet nobis carior esse vita nostra quam Deo Filius suus fuit. Hoc praeceptum egregie implevere Apostoli et eorum adiutores, et post eos tot Confessores ac Martyres.

17. *Ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου, qui habuerit victum mundi*] Pergit et aliis rebus ostendere quousque se extendat fratrem sive proximum diligendi obligatio. *Βίος* apud Graecos saepe significat *ea unde vivitur*, ut in Proverbio:

Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔςιν βίος.

[*Vitalis non est vita, quae victu indiget.*]

Et sic Lucas usurpat 8: 14, 15: 12, 30, 21: 4. Additur vero hic *τοῦ κόσμου*, ut intelligamus de iis agi quae ad vitam pertinent non alterius sed huius seculi. Nam id modo *αἰῶνος τούτου* [*huius seculi*], ut 1 Tim. 6: 17, modo *κόσμου* voce significatur. Rabbini הזה עולם. Syrus hic, קניא דעלמא.

Καὶ θεωρῇ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ χρείαν ἔχοντα, et viderit fratrem suum necesse habere] *Defici necessariis.* Exempla vide Matth. 25: 35, Luc. 16: 20, Iac. 2: 15, ubi qui hic est *χρείαν ἔχων* dicitur *λειπόμενος τῆς ἐφημέρου τροφῆς καὶ τῶν ἐπιτηδείων τοῦ σώματος* [*indigens victu quotidiano et eis quae necessaria sunt corpori*].

Καὶ κλείσῃ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ] *Clauserit miserationem suam ab eo*, id est, excluserit eum ab effectu misericordiae. De voce *σπλάγχνων* vide Luc. 1: 78, 2 Cor. 6: 12, 7: 15, Phil. 1: 8, Col. 3: 12, Philem. 7, 12, 20. *Claudere ab aliquo* est aliquem excludere.

Πῶς ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ μένει ἐν αὐτῷ] *Quomodo esset in eo dilectio quam Deus exigit?* De voce *μένειν* diximus iam aliquoties.

18. *Τεκνία μου, μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ μηδὲ γλώσσῃ, ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ, filioli mei, non amemus verbo, neque lingua, sed facto et veritate*] *Verbo amat* qui praedicat a se diligi proximum, non autem vere diligit. Ei opponitur is qui *diligit ἀληθείᾳ*, id est, vere ac sincere. *Lingua diligit* qui egenti dat bono verba; *facto* autem, qui etiam eum iuvat. *Οἱ λόγῳ ἀγαπῶντες* sic dicuntur quomodo *aretalogi*, qui de virtute loquuntur, nec eam habent.

bent.

bent. Bonis verbis solari miserum non est malum; sed inane fit si copiam eum iuvandi habeas nec utaris, ut diximus ad Iac. 2: 15, 16. Debemus diligere et animo et factis. Refelluntur hic qui ad salutem sufficere putant bene vivendi desiderium. In Manuscripto est *ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ.*

19. *Καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐκ τῆς ἀληθείας ἐσμὲν, et hac re cognoscimus, nos ex veritate esse*] Magnum est illud monitum, *Γνῶθι σεαυτόν* [*nosce te ipsum*]. Multi sibi blandiuntur, et Christianos se putant cum non sint. Ideo diligenter nosmetipsos explorare debemus, 1 Cor. 11: 28. De se quisque, an desiderium tantum bene agendi habeat, an vero quale requiritur propositum, nulla re melius quam perpetua factorum serie cognoscet. Sicut *ex Deo esse* est habere Divinam indolem, ita *ex veritate esse*, id est, ex Euangelio, est congruere Euangelio. In Manuscripto *ἐν τούτῳ γνωσόμεθα* [*hac re cognoscemus*].

Καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν] Id est, *fiducia in Deum tranquillabimus animos nostros.* Opponitur *πείθειν* ei quod sequitur *καταγινώσκειν* [*reprehendere*]. De hoc usu vocis *πείθειν* diximus ad Matth. 28: 14. Syrus נפיסין *quietum reddemus.* Multa disputant Philosophi de animi tranquillitate: sed nulla est res quae verius tranquillet animum quam iusta persuasio de tanto Dei erga nos amore ut nobis vitam aeternam destinet.

20. *Ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, quod si reprehenderit nos animus*] Solet dici:

Illo nocens se damnat, quo peccat, die.

Seneca Epistola XCVII, *Coarguit illos conscientia et ipsos sibi ostendit:* et Epistola CV, *Dat poenas quisquis exspectat.* Cohaerent haec cum superioribus. Non frustra in illa tranquillitate animi magnum posui bonum: liquet id ex iis qui aliter se habent. Tormenta nunc ex metu sentiant, sensuri olim multo maiora.

Ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, quod maior est Deus animo nostro] Illud secundum *ὅτι* abest in Manuscripto, et bene: neque legit Latinus. Deus multo maiores poenas in promptu habet.

Καὶ γινώσκει πάντα, et novit omnia] Iuvenalis de Diis:

Notior est illis homo quam sibi. —

Tha-

Thales interrogatus an quis male agens Deum latere posset, dixit, *Ne cogitans quidem*. Quicum convenit quod habemus Rom. 2: 16. Qui se damnat, haud dubium est quin a Deo damnationem exspectare debeat: agit enim quae aut scit aut putat esse non recta. Vide quae dicta ad Rom. 14: 23.

21. *Ἀγαπητοὶ, ἐὰν ἡ καρδία ἡμῶν μὴ καταγινώσκῃ ἡμῶν, carissimi, si animus noster non reprehenderit nos*] *Si nullius mali facti aut consilii nobis simus conscii.* Est enim μετωνυμία [*transnominatio*] effecti pro causa. Intelligenda autem haec verba de eo homine qui praecepta Christi bene novit, et ad ea se tanquam ad speculum explorat. Illud prius ἡμῶν abest in Manuscripto.

Παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν] *Fiduciam habemus in Deo positam.* Confidimus nos ei esse carissimos.

22. *Καὶ ὃ ἐὰν αἰτῶμεν, et quicquid petierimus*] Nempe cum illis conditionibus de quibus diximus ad Matth. 18: 19 et Iac. 1: 5, 4: 3.

Λαμβάνομεν παρ' αὐτοῦ, accipimus ab eo] Ex promisso Matth. 7: 7, 18: 19, 21: 22, Luc. 11: 9, Ioh. 14: 14, 15: 7, 16, 16: 23, 24, 26. Est autem hic praesens pro futuro, λαμβάνομεν pro λήψομεν. Sic et infra in re eadem 5: 15, ἔχομεν pro ἕξομεν.

Ὅτι τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηροῦμεν, καὶ τὰ ἀρεςὰ ἐνώπιον αὐτοῦ ποιοῦμεν] Illud posterius καὶ est ἐξηγητικὸν [*explicativum*]. Non mirum est Deum precibus nostris annuere, *quia praecepta ipsius servamus sedulo, et sic facimus quod ipsi placet*, Hebr. 13: 16. Solent qui boni sunt gratificari iis qui grata ipsis faciunt, Ioh. 8: 29. Idem sensus qui hoc loco est Ioh. 9: 31, ubi dicta vide.

23. *Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ, ἵνα πιςεύσωμεν τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριςοῦ, καὶ ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, et haec est praeceptio eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi, et diligamus alterutrum*] *Καὶ αὕτη* hic valet *haec ergo*. Potuerat dicere ἐντολὰς, sed maluit unitatis numero uti, quia altera ex altera fluit. Et haec est egregia illa ξύναψις [*connexio*], quae si in animo sit et in factis, nihil ultra ad salutem aeternam requiritur, ut diximus ad locum Iac. 2 et Gal. 5: 6. Itaque est in his paucis verbis סוף דבר τέλος λόγου

 [*finis*

[*finis sermonis*], quod dicitur Eccl. 12: 13. *Πιςεύειν τῷ ὀνόματι* idem quod *εἰς τὸ ὄνομα* infra 5: 13, מהימן בשמא, ut hic habet Syrus. Id vero est *propter Christum*, sive *Christo auctore*, *Deo credere*. Sic ἐπὶ τῷ ὀνόματι Matth. 18: 5, Luc. 9: 48, 49 et alibi.

Καθὼς ἔδωκεν ἐντολὴν ἡμῖν, sicut dedit praeceptum nobis] Nempe Deus per Christum, Ioh. 12: 49, unde intelligimus in praecepto illo diligendi homines praeceptum diligendi Dei tacite comprehendi. Facimus enim hoc propter Christum, Ioh. 13: 34, 35, 15: 12, ac proinde et propter Deum.

24. *Καὶ ὁ τηρῶν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, et qui servat eius praecepta*] Dei praecepta per Christum data.

Ἐν αὐτῷ μένει καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῷ, in illo manet et ipse in eo] Id est, Deus et ipse inter se amore sunt coniunctissimi. Vide supra 2: 6, 24, 3: 6.

Καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι μένει ἐν ἡμῖν, ἐκ τοῦ πνεύματος οὗ ἡμῖν ἔδωκεν, et hac re scimus, eum manere in nobis, ex Spiritu quem nobis dedit] *Certissimum hoc argumentum est, Deum esse in nobis*, id est, nos amari a Deo, *quod nobis dedit de Spiritu suo.* Quo certe nihil maius in hac vita nobis dari poterat. Illud *suo* hic intelligitur, exprimitur autem infra 4: 13. Syrus autem et hic addidit, רוחה [*Spiritu suo*]. A tertia persona singulari hic transit in primam pluralem, quia suavior est sermo, cum et se aliis Christianis adiungat.

CAPUT IV.

1. *Ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιςεύετε, carissimi, ne cuivis credatis spiritui*] *Spiritum* vocat Prophetiam, sive vere sive falso ita dictam, 1 Cor. 12: 10, infra 5: 6. Sicut sub Vetere Testamento fuere Prophetae veri, fuere et falsi, sic et sub Novo, 2 Petr. 1: 20, 21, 2: 1.

Ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, sed probate spiritus] Pseudoprophetae sub Vetere Testamento duobus signis dignoscebantur. Primum, si abducerent homines a vero Deo, Deut. 13: 1, 2. Eaque res et aperta et facilis ad cuiusque Israelitae notionem pertinebat, Deut. 13: 8. In No-

Novo Testamento addendum est, aut si homines abducat ab Iesu Christo. Et ea quoque cognitio facilis est, et cuivis Christiano patens. Itaque hoc δοκιμάζειν est singulorum, ut Rom. 12: 2, Eph. 5: 10, Phil. 1: 10, 1 Thess. 5: 21. Altera disquisitio erat in Veteri Testamento ex eventu, an is praedictioni ad amussim conveniret. Et quia haec cognitio non erat adeo facilis, ideo sub Veteri Testamento pertinebat ad Synedrium; sub Novo vero ad conventus Episcoporum, advocatis iis qui donum habebant διακρίσεως πνευμάτων [*discretionis spirituum*], ut diximus ad dictum locum 1 Cor. 12: 10 et 14: 29. Hic vero de priori ista diiudicatione omnibus exposita agitur, daturque eadem plane regula quae 1 Cor. 12: 3, ubi dicta vide.

Εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐςιν] *An vere sint ex Deo*, ut dicunt. Nam quidam eorum aut Diaboli instinctu aut privata audacia vaticinantur, Deut. 18: 22, Ezech. 13: 2, 22: 28.

Ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον, quoniam multi Pseudoprophetae exierunt in mundum] Id est, publice se ostenderunt. Ἐξέρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον idem est quod ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, de qua locutione diximus Ioh. 1: 9 et alibi.

2. *Ἐν τούτῳ γινώσκεται τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, hac re cognoscitur Spiritus Dei*] Dicit daturum se notam qua Pseudopropheta, etiamsi stupenda quaedam ex praedicto faciat, aut alia hominibus incognita praedicat, nosci poterit.

Πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριςὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐςι, omnis spiritus qui Iesum, qui in carne venit, Christum agnoscit, ex Deo est] Nempe si et eventus praedictis respondeat. *Qui Iesum pro Christo agnoscit* in ipsa Prophetia, et Christi nomine προφητεύει [*vaticinatur*], is etiam Deum verum retinet, ad quem Christus nos ducit. *Iesum agnoscere Christum* est agnoscere Iesum Nazarenum esse illum promissum Messiam. Vide supra 2: 22 et infra 5: 1. Illud ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, per traiectionem Iohanni non infrequentem, ad illud Ἰησοῦν referri debet. Voluit autem Apostolus hic nomini Iesu addere hunc titulum, *qui venit in carne*, quasi diceret, eum dico Iesum qui non cum regia pompa et exercitibus venit, sed

sed in statu humili, abiecto, multisque malis ac postremum cruci obnoxio. Nam haec *carnis* nomine solent significari apud Hebraeos, qui dicunt בשר [*carnem*] vel בשר ודם [*carnem et sanguinem*] ubi *sortem caducam et fragilem* volunt intelligi: sed et apud Scriptores nostros, ut Hebr. 2: 14, 5: 7, 1 Tim. 3: 16, 2 Cor. 4: 11, Gal. 4: 13, *in carne venisse* idem quod *venisse cum carne*. Sic particula ἐν sumitur saepe apud Hebraeos et infra 5: 6, Rom. 15: 32, 1 Cor. 4: 21 et alibi. Non frustra autem hoc addidit Apostolus, quia multi ne Iesum haberent pro Messia promisso adducebantur sorte eius contemptui exposita; quod et Christus ipse praedixerat, Matth. 11: 6, 26: 31. Hoc est quod Iudaeos et olim retinuit quo minus Iesum pro Messia agnoscerent, et adhuc retinet. Pari de causa Apostolus Paulus, cum dixisset a se *Christum praedicari*, addidit *crucifixum*, addiditque praeterea *Iudaeis* σκάνδαλον [*offendiculum*]. Nam multi erant *inimici crucis Christi*, Phil. 3: 18, sive *Christi ob crucem*. Magni est animi non tantum ea cruce non offendi, sed et honori ducere vocari ad eius participationem, Act. 5: 41, Phil. 1: 29.

3. *Καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου, et omnis spiritus qui Iesum, qui in carne venit, Christum non agnoscit, ex Deo non est, et hic est Antichristi*] Prophetia eius *qui* in ipsa Prophetia *Iesum pro Christo non agnoscit*, quia eam non adfert in nomine Iesu, non est θεόπνευστος [*divinitus inspirata*]. Imo contra talis Prophetia viam struit magno isti et eximio Antichristo. In illo ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα causa est cur illi impostores negent Iesum Nazarenum esse Christum. Et recte huius loci sensum expressit huius Apostoli discipulus Polycarpus in Epistola ad Philippenses his verbis: *Πᾶς γὰρ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογήσῃ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί* [*Quisquis non confitetur venisse Iesum Christum et quidem in carne, Antichristus est: et quisquis non confitetur testimonium crucis, ex Diabolo est*]. Ubi pari loco ponuntur *caro* et *crux*, quia crux est complementum *carnis*, id est, status humilis Christi. Videtur autem in illo Polycarpi loco errore quo-

quodam exscribentium, aut odio Marcionis, scriptum ἐληλυθέναι pro ἐληλυθότα, cum apertum sit, Polycarpum haec verba Iohannis in memoria habuisse cum id scriberet. Est autem *ἐληλυθότα* aliquanto clarius quam si dicas ἐληλυθέναι, quanquam et hoc in illum sensum accipi potest. Nam *qui Iesum agnoscit pro Christo*, is agnoscit Messiam non cum pompa Regia *venisse*, sed *in carne*. Atque ita si accipiamus Ἰησοῦν, erit non necessario sed ἐξηγητικῶς [*explicative*] additum, ut intelligatur eum *Christum qui in carne venit* non alium esse ab Iesu Nazareno. Pari de causa dubitari potest an non scripserit Polycarpus ἀντιχρίστου ἐστί, sicut Iohannes τοῦτό ἐστι τοῦ ἀντιχρίστου. *Est Antichristi*, id est, Antichristo servit, *est de Antichristi spiritu*, ut citat hunc Iohannis locum Cyprianus. In Manuscripto tantum hic est, ὁ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστιν. Quod autem Socrates dicit, Hist. Eccles. VII. 32, ab initio hic scriptum fuisse, πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν [*omnis spiritus, qui Iesum solvit*], sed a Nestorianis id sublatum; id quanquam verum non arbitror, agnosco tamen istam lectionem esse veterem, non ex Latino tantum Interprete, sed et ex Irenaeo III. 18. Sed arbitror non ita primitus scriptum ab Iohanne, sed mutatum ut congrueret in Gnosticorum illos qui alium dicebant esse *Iesum*, alium *Christum*, alium *Μονογενῆ* [*unigenitum*]. Vide Irenaeum dicto loco, et nostra in Anteloquio ad Euangelium Iohannis. Iohannes ut hic, ita alibi solet contraria contrariis opponere, verbis prope iisdem, ut in Euangelio 3: 36, 5: 10, hic suprà 2: 4.

Ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, quem audistis venturum] Quem spiritum aliquando venturum Christus praedixerat. Hoc enim est spiritus illorum Pseudoprophetarum de quibus agitur Matth. 24: 2, 24. *Ἔρχεται* est sono praesens, sensu futurum, et refertur ad tempus illud cum hoc praedixit Christus. Sic et supra 2: 18.

Καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη, et nunc iam in mundo est] In variis locis iam ostendunt se tales Pseudoprophetae, qui Messiam dicunt venturum cum potentia huius mundi.

4. *Ὑμεῖς ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστε, τεκνία, vos ex Deo estis, fi-*

filioli] Laudibus eos ad constantiam excitat. *Vos ex Deo estis*, id est, Divina non humana sapitis: ideoque crux vos non offendit. Vide supra 2: 4, 16, 3: 9.

Καὶ νενικήκατε αὐτοὺς, et vicistis eos] Multos iam tales Pseudoprophetas sprevistis. Sic supra 2: 14, *νενικήκατε τὸν πονηρόν* [*vicistis malignum*]. Illud *αὐτοὺς* non ad nomen aliquod sed ad rem nomine significatam refertur.

Ὅτι μείζων ἐςὶν ὁ ἐν ὑμῖν ἢ ὁ ἐν τῷ κόσμῳ, quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo] Christus qui per *unguentum*, id est, Spiritum suum, in vobis habitat (supra 2: 20) potentior est Diabolo, qui in mundo dominatur, Ioh. 12: 31, 14: 30, 16: 11, 2 Cor. 4: 4, Eph. 6: 12.

5. *Αὐτοὶ ἐκ τοῦ κόσμου εἰσὶ, ipsi de mundo sunt*] Affectus habent quales habet Mundus, id est, pars longe maxima humani generis. Amant splendorem huius vitae, opulentiam et voluptates, supra 2: 16. *Ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι* significat *pari esse ingenio*, ut apparet ibidem 2: 16.

Διὰ τοῦτο ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσι, ideo de mundo loquuntur] Id est, *τὰ ἐκ τοῦ κόσμου* [*ea, quae de mundo sunt*] docent, et praedicunt Mundi affectibus congruentia.

Καὶ ὁ κόσμος αὐτῶν ἀκούει, et mundus eos audit] *Eos sectatur, eis morem gerit.* Solet *ἀκούειν* dici de discipulis, ut apud Laërtium aliquoties.

6. *Ὁ γινώσκων τὸν Θεὸν, ἀκούει ἡμῶν, qui Deum novit, audit nos*] *Nos sectatur, nobis se dat docendum. Qui Deum novit*, id est, qui sicut oportet considerat Deum esse aeternum, neque eam iudicia sua huius seculi ambitu metiri.

Ὃς οὐκ ἔςιν ἐκ τοῦ Θεοῦ, qui non est ex Deo] Eodem recidit *Deum nosse* eo quo iam diximus sensu, et *ex Deo esse.* Intellectio et affectus mutuo se subsequuntur, sed per gradus quosdam.

Οὐκ ἀκούει ἡμῶν, non audit nos] Talis qui est alios quaerit Doctores et Prophetas.

Ἐκ τούτου γινώσκομεν τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας καὶ τὸ πνεῦμα τῆς πλάνης, ex hoc noscimus spiritum veritatis, et spiritum deceptionis] *Spiritus veritatis*, id est, verax. *Spiritus deceptionis*, id est, spiritus deceptor. *Πλάνη, deceptio*, ut Eph. 4: 14, 2 Thess. 2: 11. Pro *ἐκ τούτου*

in

in Manuscripto est ἐκ τούτῳ, ut supra 2. *Γινώσκομεν* dignoscimus, internoscimus, simplex pro composito, ut supra 2. Illud autem ἐκ τούτου refero ad effectum illum circa aeterna et circa mundum.

7. *Ἀγαπητοὶ, ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, carissimi, diligamus nos invicem*] Hic redit ad id quod iam ante dixerat. Ἀλλήλους hic non minus quam supra 3: 23, ad *omnes* traho, propter argumentum quod iam adferet de amore Dei erga homines universum spectatos.

Ὅτι ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐςι] Ipsa hoc dictat ratio, *ex Deo esse*, id est, Deo maxime placere, *bonitatem*. Nam Dei nomine quivis optimum quid intelligit. Ex hoc principio dixit Cicero in Somnio, *nihil esse illi principi Deo, quod quidem in terris fiat, acceptius quam consilia coetusque hominum iure sociatos*.

Καὶ πᾶς ὁ ἀγαπῶν, ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται, et omnis qui diligit, ex Deo natus est] Id est, *Dei est Filius*: γεγέννηται enim hic in sensu permansionis sumendum est. Homines semel gignunt hominem, Deus perpetuo, nisi homo sibimet obstet. Vide supra 3: 9. In Manuscripto, *πᾶς ὁ ἀγαπῶν τὸν Θεόν* [*omnis qui diligit Deum*].

Καὶ γινώσκει τὸν Θεὸν, et cognoscit Deum] Id est, ostendit se Deum nosse, sicut oportet; quomodo γινώσκειν sumpsimus et supra 3: 6.

8. *Ὁ μὴ ἀγαπῶν οὐκ ἔγνω τὸν Θεὸν, qui non diligit, non novit Deum*] Non ostendit se Deum ita nosse.

Ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐςὶν, quoniam Deus dilectio est] Id est, plenus est dilectione. Tale illud:

Tu, quantus quantus nil nisi sapientia es.

9. *Ἐν τούτῳ ἐφανερώθη ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ἡμῖν, ὅτι τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἀπέςαλκεν ὁ Θεὸς εἰς τὸν κόσμον, ἵνα ζήσωμεν δι' αὐτοῦ, in hoc apparuit dilectio Dei in nos, quod Filium suum unigenam misit Deus in mundum, ut per eum vivamus*] Nempe omnes qui ei obsequimur. Est enim sententia eadem quae in Euangelio Iohannis 3: 16. *Ἐν ἡμῖν* pro εἰς ἡμᾶς, frequenti locutione. Cum autem hic nominat *dilectionem*, non quamvis intelligit, sed illam admirabilem erga ingratos, nihil tale meritos, nihil tale cogitantes. Et quorsum? *Ut vivamus*, nempe in aeternum. Hac de causa *misit Filium*

et

et quidem *unigenam*, sive *sibi dilectissimum* (vide de hac voce quae ad Ioh. 1: 14) *in mundum* adeo corruptum, ut illi non nisi maxima mala inde advenire possent.

10. *Ἐν τούτῳ ἐςὶν ἡ ἀγάπη*] Quod generalius dixerat, id specialius explicat. *In hoc*, inquit, *est*, id est apparet, *admirabilis illa dilectio.*

Οὐχ ὅτι ἡμεῖς ἠγαπήσαμεν τὸν Θεὸν, quod nos non dileximus Deum] *Οὐχ ὅτι* pro *ὅτι οὐχ*. Est quidem et quidam amor Dei erga Dei amatores, et quidem maior quam ullus ante; sed maxime admirabilis est amor erga infestos. Hoc ipsum docet Paulus Rom. 5: 6, 8, Tit. 3: 4.

Ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, sed quod ipse dilexit nos] Ultro ac *prior:* quod additur infra 19. In Manuscripto pro *αὐτὸς* est *ἐκεῖνος* [*ille*].

Καὶ ἀπέςειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris] Ut exstingueret in nobis peccatum. Vide supra 2: 2.

11. *Ἀγαπητοὶ, εἰ οὕτως ὁ Θεὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ ἡμεῖς ὀφείλομεν ἀλλήλους ἀγαπᾷν, carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere*] Homines quosvis, ut supra 7. *Οὕτως*, id est, *nullo hominum discrimine.*

12. *Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται, Deum nemo vidit unquam*] In hac vita scilicet, quomodo explicat Augustinus Epist. CXI et CXII. Et sumendum est praeteritum pro quovis tempore, more Hebraeo. Confer Ioh. 1: 18 et infra 20. Nemo ergo eo modo Deo frui potest. Sed possumus Deum amando. Amor enim *ἕνωσις* [*unio*]. Quod hic dicitur Deus *inadspectabilis*, idem dicit Xenophanes:

Οὐκ ἔςιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἧπερ τε μεγίςη
Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.
[*Res ad eas non est accedere, sed neque nostris*
Usurpare oculis manibusve prehendere fas est,
Ducit ad humanas via quae certissima mentes.]

Citatur et hoc ut ex Sibyllinis:

Τίς γὰρ σὰρξ δύνατος τὸν ἐπουράνιον καὶ ἀληθῆ
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν Θεὸν ἄμβροτον, ὃς πόλον οἰκεῖ;
Ἀλλ' οὐδ' ἀκτίνων κατεναντίον ἠελίοιο
Ἄνθρωποι ςῆναι δυνατοὶ, θνητοὶ γεγαῶτες.

[*Cor-*

[Corporeis oculis etenim quis cernere verum
Aeternumque Deum possit, coelumque colentem?
Cum neque splendentis radiantia lumina solis
Sustineant homines mortales cernere contra.]

Ἐὰν ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν μένει, *si diligamus nos invicem, Deus in nobis manet*] Iungit se amanti, supra 3: 24.

Καὶ ἡ ἀγάπη αὐτοῦ τετελειωμένη ἐςὶν ἐν ἡμῖν, *et dilectio eius in nobis perfecta est*] *Is perfecte Deum amat*, supra 2: 5. Accommodat enim se Dei voluntati, ut ibi diximus; adde et Deum imitatur: quae duo in amore maxima.

13. Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ δέδωκεν ἡμῖν] Est idem sensus qui supra 3: 24, nisi quod hic additur ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν, quod sic explicandum est: *Inde cognoscimus, quemadmodum nos in Deo sumus, ita et Deum in nobis esse. Nos in Deo sumus* per obedientiam, *Deus in nobis* per operationem. Deus cum *Spiritum suum nobis dat*, dicere potest, Plus dare non potui, nempe in hac vita.

14. Καὶ ἡμεῖς τεθεάμεθα καὶ μαρτυροῦμεν ὅτι ὁ πατὴρ ἀπέςαλκε τὸν υἱὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου, *et nos vidimus et testificamur, Patrem misisse Filium Servatorem mundi*] Hoc vult: Quod dixi, missum a Deo Filium ad liberandos homines, de eo dubitare nemo debet. Sumus enim nos complures eius rei testes oculati. Vidimus Iesum mortuum, vidimus et resuscitatum. Dixerat autem se moriturum ad redimendum genus humanum, Matth. 20: 28, 26: 28. Neque Iesum Deus a mortuis excitasset, si is Iesus decipere voluisset humanum genus. Ἀπέςαλκε σωτῆρα id est, *misit ut esset Servator*. Sic ἐλήλυθας διδάσκαλος, Ioh. 3: 2, id est, *venisti ut doctor esses*. Sic modo ἀπέςειλεν ἱλασμὸν valet εἰς τὸ εἶναι ἱλασμὸν [*ut esset propitiatio*]. De nomine σωτῆρος vide Luc. 2: 11, Ioh. 4: 42, Act. 5: 31, 13: 23. Magna est salus, eripi exitio et perduci ad vitam aeternam. *Mundi* autem fit mentio, quia Christus neminem excludit. Vide supra 2: 2, Ioh. 3: 16, 4: 42.

15. Ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ὅτι Ἰησοῦς ἐςὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ] Qui non verbis tantum sed et factis *profitebitur Iesum es-*

esse Filium Dei; id est, nobis in exemplar propositum. Quem enim potius imitemur quam *Dei Filium?*

'Ο Θεὸς ἐν αὐτῷ μένει, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ Θεῷ, *Deus in eo manet, et ipse in Deo*] Id est, sicut ipse Deo adunatur, ita vicissim Deus ipsi. Supra 12.

16. *Καὶ ἡμεῖς ἐγνώκαμεν καὶ πεπιστεύκαμεν τὴν ἀγάπην, ἣν ἔχει ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν, et nos cognovimus, et credidimus dilectioni, quam habet Deus in nobis*] Quod nos de Dei in nos amore amore docemus alios, id ipsi cognovimus, id est, didicimus, nempe a Christo, Ioh. 3: 16, et credidimus: quod ostendimus satis, tot mala propter istam fidem ferendo. In Manuscripto pro πεπιστεύκαμεν est πιστεύομεν [*credimus*].

'Ο Θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, *Deus est dilectio*] Supra 8. Amat Iohannes quae valde vult haerere auditorum animis, non semel sed saepius dicere.

Καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ Θεῷ μένει, καὶ ὁ Θεὸς ἐν αὐτῷ, et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo] Supra 3: 24 et hic 12.

17. *'Εν τούτῳ τετελείωται ἡ ἀγάπη μεθ' ἡμῶν, in hoc perfecta est dilectio nobiscum*] Id est: Hic est summus gradus dilectionis Dei erga nos, si qualis in hoc mundo Christus fuit, id est, mundi odiis et propterea plurimis malis expositus, *tales et nos simus*. Debet enim ἐν τούτῳ, ut plures iam monuere, connecti cum illo ὅτι καθὼς etc., non cum ἵνα. Parem enim locutionem habuimus post ἐν τούτῳ supra 3: 24, hic 9: 10. Sed quod alii de amore nostro erga Deum intelligunt, nos intelligere malumus de amore Dei erga nos, quia odio mundi et cruciatus subsequentes testimonium sunt summi in nos Divini amoris, ut nos Petrus docet, 1 Epist. 2: 19 et 4: 16. Vide et Matth. 5: 12. Et videtur hunc sensum poscere illud μεθ' ἡμῶν. Est enim similis locutio 2 Cor. 13: 13.

"Ινα παῤῥησίαν ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως] Ideo hoc Deus sic disponit, *ut cum bona fiducia appareamus in die iudicii*, quo sensu παῤῥησίαν habuimus et supra 2: 28. Debent autem haec verba accipi per traiectionem anticipata, cum genuinum locum obtentura fuissent in fine huius periodi. Nam constans perpessio malorum ad exemplum Christi efficit, ut a Christo optima exspectemus, quip-

quippe ipsi similes. Magna eius rei merces, Matth. 5: 12, 1 Petr. 1: 7, Rom. 8: 17. Facta est autem haec traiectio, quod ea quae de timoris expulsione subiicere voluit melius cum verbis illis, quae ostendunt nos Christo esse similes, cohaereant.

Ὅτι καθὼς ἐκεῖνός ἐςι καὶ ἡμεῖς ἐσμεν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, *quod sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo*] Sensus idem qui Ioh. 15: 18, 19. Ἐκεῖνος hic iterum est *Christus*, ut 3: 5.

18. Φόβος οὐκ ἔςιν ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἀλλ' ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον, *metus non est in dilectione: sed perfecta dilectio pellit metum*] Apostolus, sicut in omni hac Epistola alternis loquitur de mansione Dei in nobis, et de nostra in Deo, ita etiam a dilectione quae in Deo est transiit ad eam quae est in nobis, ut hic: atque ubi perfectus est amor, ibi expelli, sive ibi ultra non esse metum, periculorum scilicet et malorum. Est hoc proverbium verum etiam in vulgari amore, in quo esse τόλμαν ἀνδρὸς [*audaciam viri*] dixit Alexis, ἄφατον βίαν [*vim insuperabilem*] Sophocles. De eodem Aristarchus:

—— Τὸν ἀσθενῆ σθένειν
Τίθησι.
[—— *Robur addit infirmis.*]

Euripides eundem

—— Τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
[—— *Nil timentis auctorem audaciae*]

vocat. At quanta eius amoris vis sit qua in Deum et proximum Dei causa accendimur, ostendit tot Martyrum fortitudo in spernendo metu paupertatis, mortis, tormentorum. Ita ut nos hunc locum accepit Tertullianus Scorpiace: *Quam dilectionem perfectam adfirmat, nisi fugatricem timoris, et animatricem confessionis?*

Ὅτι ὁ φόβος κόλασιν ἔχει, *nam metus poenam habet*] Torsit Interpretes haec vox. Sed non dubito quin scriptum fuerit κόλουσιν, mutaverint autem quibus vox erat minus nota. Significat autem *mutilationem*. Glossae, Κολούω, ἀτελῆ ποιῶ [*mutilum reddo*]. *Metus amorem mutilat* atque *infringit*, aut prohibet ne se exserat.

Ὁ δὲ φοβούμενος οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ, *et qui metuit, non est perfectus in dilectione*] Poscit vocula δὲ, in

in connexione duarum propositionum ad confirmandam id quod dictum est posita, ut vox quae praecessit repetatur, sicut fit apud Arabem. Is enim recte legit, *ὁ δὲ κολουόμενος οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ, qui mutilatur* (aut *impeditur*) *in dilectione, is in ea perfectus non est.* Perfectio enim ex operatione noscitur. Est hic Syllogismus non ex Dialecticorum regulis, sed ex populari usu positus: in quo primum ponitur id quod probandum est, quod *συμπερασμὸν* [*conclusionem*] dicimus; deinde *ἡ ἐλάττων πρότασις* [*propositio minor*], inde vero *ἡ μείζων* [*maior*], quod apud Oratores frequentissimum.

19. *Ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτὸν, nos diligamus eum*] In Manuscripto *ἡμεῖς οὖν* [*nos ergo*], quomodo in suis Codicibus habuerunt et Syrus et Latinus. Potest *ἀγαπῶμεν* esse aut Indicativi aut Subiunctivi modi; sed cum *ἀγαπᾷ* mox 21 sequatur in Subiunctivo, puto Latinum Interpretem recte vertisse *diligamus*. Bene hoc cohaeret cum superioribus. Nam iam per dilectionem in homines nos ad diligendum Deum perduxerat. *Diligamus*, nempe *expulso timore* malorum huius seculi. Et *αὐτὸν* recte explicat *Deum*, ut et Syrus.

Ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς, quoniam ipse prior dilexit nos] Repetit quod dixerat supra 10 addito *πρῶτος*. In Manuscripto, *ὅτι Θεὸς* [*quoniam Deus*], et infra *ἔχομεν ἀπὸ Θεοῦ* [*habemus a Deo*].

20. *Ἐάν τις εἴπῃ· Ὅτι ἀγαπῶ τὸν Θεὸν, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ μισῇ, ψεύστης ἐστίν, si quis dixerit, diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est*] Rursus ostendit connexionem Dilectionis utriusque. Dici solet, *Qui diligit me, diligit canem meum.* Quanto magis dicendum est, *Qui diligit Deum, diligit et hominem Dei opus pulcherrimum?*

Ὁ γὰρ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ὃν ἑώρακε, τὸν Θεὸν, ὃν οὐχ ἑώρακε, πῶς δύναται ἀγαπᾷν, qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere] Philo ad Decalogum: *Ἀμήχανον εὐσεβεῖσθαι τὸν ἀόρατον ὑπὸ τῶν εἰς τοὺς ἐμφανεῖς καὶ ἐγγὺς ὄντας ἀσεβούντων* [*Fieri nequit, ut in eum pii sint, qui videri non potest, qui quos et vident et prope se habent in hos sunt impii*]. Solet dici,

—— *Ignoti nulla cupido.*

At

At notitia maxime per oculos. Ipse adspectus ad amandum excitat: et miratur illum Poeta,

Qui nunquam visae flagravit amore puellae.

21. *Καὶ ταύτην ἐντολὴν ἔχομεν ἀπ' αὐτοῦ, ἵνα ὁ ἀγαπῶν τὸν Θεὸν ἀγαπᾷ καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, et hoc praeceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*] Alterum argumentum cur amare proximum debeamus, quia *Deus id praecipit*. Amantis est velle ea quae vult is qui amatur. *Omnis qui Deum amat*, id est, qui a Deo pro amante ipsius haberi vult.

CAPUT V.

1. *Πᾶς ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς, ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται, omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est*] Venit propius ad specialem illam dilectionem quam Christianis Christiani debent. Est hic quoque ἡ ἐλάττων πρότασις [*propositio minor*] posita priore loco, ἡ μείζων [*maior*] posteriore. Illatio subticetur, quia ex illis positis facile a quovis intelligitur. *Qui credit Iesum esse Christum*, id est, credere se ostendit, id profitendo, sperando res ab ipso promissas, et sub ea spe praecepta eius sequendo. Idem est hic sensus, sed verbis aliis, qui supra 4: 15. *Ἐκ Θεοῦ γεγέννηται*, id est, *Dei Filius*, ut diximus supra 3: 9, 4: 7. Hoc dictum eo minus probare hic opus habuit, quia eundem sensum et eius probationes iam supra habuimus, praecipue initio Epistolae, et 4: 14 et seqq.

Καὶ πᾶς ὁ ἀγαπῶν τὸν γεννήσαντα, ἀγαπᾷ καὶ τὸν γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ, et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo] Hoc probationis non indiget, quia sensu communi patet. Graecorum dictum est, *Πατρὶ φίλτατον τέκνον* [*Patri amicissimus filius*].

2. *Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ὅταν τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν, in hoc cognoscimus, nos diligere natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata eius faciamus*] Multum laborant Interpretes ut haec verba cum prioribus et sequentibus connectant. Facilis fit connexio si traiectio fiat, qualem-

ego libenter facerem si librum aliquem veterem haberem auctorem, *Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν, ὅταν ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν, Dei nos amantes esse patefit, si amemus summe Christianos, ut Dei Filios, et id faciamus quia Deus id praecipit.* De locutione *ἐν τούτῳ* vide supra 4: 6. De sensu vide supra 3: 10, 18, 24, 4: 7, 8. *Ἐντολὴ* modo singulari dicitur, ut supra 2: 7, 8, 3: 23, modo plurali, ut supra 2: 3, 4, 3: 22, 24, sensu eodem, quia idem praeceptum saepius repetitum est.

3. *Αὕτη γάρ ἐςι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν, haec est enim Dei dilectio, praecepta eius servare*] *Ἵνα* hic est *εἰδικόν* [*speciale*]; et in *ἀγάπης* voce est *μετωνυμία* [*transnominatio*]; significatur enim ostensio eius dilectionis qua in Deum ferimur. Vide Exod. 20: 6, Deut. 5: 10, ubi ו est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum*].

Καὶ αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐκ εἰσίν] *Καὶ* pro relativo, quasi diceret, *quae praecepta eius gravia non sunt*, nempe propter opem Divinam.

Nil desperandum Christo duce et auspice Christo.

Considera quae diximus Matth. 11: 30, et quae iam sequentur.

4. *Ὅτι πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ νικᾷ τὸν κόσμον, quoniam omne; quod natum est ex Deo, vincit mundum*] Certamen quidem nobis est cum mundo, id est, cum illecebris, malis exemplis, periculis et malis e mundo ingruentibus; sed qui verbum Dei et promissa eius aeterna sibi habet insita paratam habet de mundo victoriam. Vide supra 3: 9, 4: 4, 1 Cor. 15: 57.

Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίςις ἡμῶν, et haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra] *Νικήσασα* est *ἀόριςος* [*tempus indefinitum*] pro omni tempore, quomodo accepere Syrus et Latinus. Et *μετωνυμία* [*transnominatio*] est in voce *νίκη*, effecti pro efficiente. Causa victoriae est verbum sed fide concoctum atque digestum. Vide Hebr. 4: 2. Intellige autem fidem non qualemcunque, sed efficacem, ut supra initio huius capitis.

5. *Τίς ἐςιν ὁ νικῶν τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιςεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐςιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, quis est qui vincit mundum nisi qui credit Iesum esse Filium Dei*] Interrogatio vehementer

ter affirmans, qualis supra 2: 22. Idem est credere *Iesum esse Christum* quod *esse Filium Dei*, nempe modo eminentissimo. Vide quae diximus ad Matth. 14: 33, 26: 63, Luc. 22: 67.

6. *Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος Ἰησοῦς, ὁ Χριστὸς, hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus*] *Venit*, id est, apparuit id quod erat, Dei Filius. *Per aquam et sanguinem*, id est, per vitam purissimam, quae per aquam significari solet, ut Ezech. 36: 25, sive per lotionem, quod aquae est opus, ut Esai. 1: 16, Ier. 4: 14, qua de re plura diximus ad Ioh. 3: 5. Et in signum huius puritatis baptizavit eum Iohannes Baptista Ioh. 1: 28. Vide et Eph. 5: 27, Tit. 3: 5, Hebr. 10: 22. Quare cum in omni actu sanctissimus fuerit, non est quod de veritate eius quod dixit *se Christum* sive *Dei Filium* quicquam dubitetur. Deinde apparuit Dei Filius eo quod in testimonium eius professionis qua se *Christum* sive *Dei Filium* dixit, mortem cruentam non recusavit, Ioh. 18: 37, 1 Tim. 6: 13. Vide Tertullianum De Baptismo, ubi quod hic de Christo dicitur, etiam Christianis applicat. Bene autem haec duo coniunxit Iohannes, quia etiam in Veteri Lege sacrificaturi prius se abluebant: unde et proverbium Hebraicum, *Sine aqua non esse sacrificium.* Item, *Legem incipere per aquam, et finiri per aquam.* In Manuscripto hic est δι' ὕδατος καὶ αἵματος καὶ πνεύματος [*per aquam et sanguinem et spiritum*].

Οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι, non aqua solum, sed aqua et sanguine] Quidam quod in vita professi sunt id mortis metu deserunt: at noster Doctor in vita et in morte sibi constans fuit. Ostendit ingens ad faciendam fidem esse momentum in ipsa Christi morte et quidem tali. In Manuscripto est ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ πνεύματι [*sed aqua et spiritu*].

Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, et spiritus est, qui testificatur] Praeterea testimonium ei fide dignissimum reddidit ipse Dei *Spiritus*, id est, per μετωνυμίαν [*transnominationem*] admiranda eius opera a virtute Divina manifeste procedentia. Deus enim hunc honorem concessurus ei non fuerat, si falso se *Filium Dei* dixisset, id

 est,

est, si blasphemus fuisset, Ioh. 10: 36. Hoc testimonio, ut invicto, saepe utitur Christus ipse, ut Ioh. 5: 32, 36, 10: 25. Adde Act. 2: 22.

Ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, quoniam Spiritus est veritas] Tam Syrus quam Arabs legerunt ἀλήθεια sine articulo; quod rectius. Nam ἀλήθεια ponitur pro ἀληθὲς, quomodo ἀγάπη supra 4: 8; ἀληθὲς vero pro *eo quod fidem meretur*, quomodo eam vocem sumi diximus Ioh. 5: 31, 8: 13. Dicit non frustra se adferre supra alia illud ex operibus Divinis testimonium, cum id citra ullam controversiam sit fide dignissimum.

7, 8. *Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, καὶ ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres in unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis*] Quae plurima Viri eruditi hoc de loco disseruere hic non repetam. Tantum dicam Manuscriptum illum antiquissimum cuius auctoritate plurimum utor, non aliud hic habere quam, *Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα* [*Quoniam tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis*], non adiecto illo quod et Syrus et Arabs legere, *καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι* [*et hi tres unum sunt*]. Ego hanc quam ex Manuscripto posui lectionem, et quae a multis aliis confirmatur libris veteribus, veram puto. Neque vero Arianis ablatas voces quasdam, sed potius additas, unde colligerent, *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum* non esse *unum* nisi consensu, quomodo *spiritus, aqua et sanguis in unum* testimonium consentiunt. Quod cum viderent Catholici, abstulisse quidem eos illud quod de Patre, Filio et Spiritu Sancto insertum fuerat, sed reliquisse illud *tres unum esse*, quia id ita positum ipsis nocere non poterat. Alios vero, relicto illo loco de Patre, Filio et Spiritu Sancto ibi quidem posuisse *unum sunt*; de spiritu vero, aqua et sanguine, *in unum sunt*, ut alius modus unitatis significaretur. Iohannes hic causam reddit cur locutus fuerit non de *Spiritu* tantum, cuius praecipua in hoc negotio est aucto-

toritas, verum etiam de *aqua* et *sanguine*, quia in illis etiam non exigua est testimonii fides, et ternarius numerus in testibus est perfectissimus. *Μαρτυροῦντες* Hebraeo more pro *μάρτυρες* [*testes*]. Solet autem vox *testis* etiam de rebus inanimis dici, ut Gen. 31: 48, 51.

9. *Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, si testimonium hominum accipimus*] Nempe ex Lege Deut. 17: 6, 19: 15, quo loco utitur et Christus Matth. 18: 16, et Paulus 2 Cor. 13: 1, et Scriptor ad Hebr. 10: 28. *Λαμβάνειν* est *testimonium iudicio suo approbare*, ut Ioh. 3: 11, 32, 33.

Ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστί, testimonium Dei maius est] Dei enim testimonium multis hominum testimoniis praeponderat.

Ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, iam vero hoc est testimonium Dei quod testificatus est de Filio suo] *Ὅτι* hic valet *iam vero*. Nam generale dictum huic speciali causae applicat. Ille *Spiritus*, id est, illa opera, *sunt maximum testimonium quo Deus ostendit Iesum esse Filium suum*, Ioh. 5: 36, 10: 25, 38, 14: 11, 15: 24. In Manuscripto *ὅτι μεμαρτύρηκε*.

10. *Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ, qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se*] In Manuscripto *τὴν μαρτυρίαν τοῦ Θεοῦ* [*testimonium Dei*]. *Qui fiduciam suam in Iesum ut Dei Filium reponit, is recepit Dei testimonium. In se habet* dixit pro *recipit*, quia qui recipit aliquid is id *in se*, id est secum, *habet*. *Ἐν* enim pro *σὺν* poni solet, ut Matth. 6: 29, 16: 27, 26: 31, 2 Tim. 1: 13.

Ὁ μὴ πιστεύων τῷ Θεῷ, qui non credit Deo] Latinus legit *τῷ υἱῷ* [*Filio*], quod rectius. Solet enim Iohannes affirmanti sententiae addere negantem rei contrariae.

Ψεύστην πεποίηκεν αὐτόν] Nempe *Deum*, de quo sermo praecedit. *Eum facit mendacem*, id est, ita agit quasi Deus mendax esset. Vide supra 1: 10. *Πεποίηκεν* praeteritum pro quovis tempore, more Hebraeo: sic et *πεπίστευκεν* in verbis sequentibus.

Ὅτι οὐ πεπίστευκεν εἰς τὴν μαρτυρίαν ἣν μεμαρτύρηκεν ὁ Θεὸς περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, quia non credidit testimonio,

quod testificatus est Deus de Filio suo] Manuscriptus ὅτι οὐκ ἐπίςευσεν. Illud Θεὸς est pro αὐτὸς [*ipse*], Nomen pro Pronomine, more Hebraeo. Sensus est: *Quia fidem non adhibet ei testimonio, quo ille declaravit, quis esset eximius suus Filius.* Μαρτυρίαν μαρτυρεῖν ut *servitutem servire, mortem mori;* quae locutio frequens Hebraeis, Graecis et Latinis.

11. *Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ μαρτυρία, ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός· καὶ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐςιν, et hoc est testimonium, vitam aeternam dedisse nobis Deum: et haec vita in Filio eius est*] Ἐν pro *per*, et ἐςι pro *contingit*. Hoc vult: Isti pronuntiato, *Iesum esse Christum* sive *Dei Filium*, connexum est hoc, Deum nobis per Iesum aperuisse viam veniendi ad vitam aeternam, idque per eundem Iesum: quia scilicet de Messia dictum est in mysterio, *eum fore Patrem futuri seculi*, Esai. 9: 6. Explicat hoc Ioh. 1: 4, 3: 15, 16, 36, 5: 24, 26, 40, 6: 27, 33, 35, 40, 47, 48, 51, 53, 54, 63, 68, 8: 12, 10: 10, 28, 11: 25, 12: 50, 14: 6, 17: 3, 20: 31. In Manuscripto est, *καὶ ἡ αὕτη ἐςὶν ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, illa vita aeterna ea ipsa est quam Iesus revelavit.*

12. *Ὁ ἔχων τὸν υἱὸν, ἔχει τὴν ζωήν*] *Qui Filium retinet*, id est, verba illa quae Pater Filio mandavit, quo sensu ἔχειν habemus et Ioh. 5: 38, *is et vitam habet*, id est, ius certum ad vitam aeternam: quomodo ἔχει ζωὴν αἰώνιον [*habet vitam aeternam*] habes dicto capite Euangelii 24, 6: 47, 54. Pari modo *Christus in nobis habitare* dicitur *per fidem* Eph. 3: 17.

Ὁ μὴ ἔχων τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὴν ζωὴν οὐκ ἔχει, qui non habet Filium Dei, vitam non habet] Hic rursus est oppositio qualem saepe habuimus. Intelligendum de iis ad quos Euangelium pervenit. Idem sensus Ioh. 3: 36, et 6: 53.

13. *Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιςεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε, καὶ ἵνα πιςεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, haec scripsi vobis qui creditis in nomen Filii Dei, ut sciatis vos vitam habere aeternam, et ut credatis in nomen Filii Dei*] Melius in Manuscripto: *Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον οἱ πιςεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.* Nec aliter legere Syrus, Latinus, Arabs. *Ideo tot*

mo-

monita et hortamenta vobis scripsi, ut sciretis certum vos ius habere ad vitam aeternam, quamdiu creditis Deo, auctore Iesu, illo qui a nobis dicitur et est Dei Filius. Quid sit *nomen* hoc loco, de eo vide supra 3: 23.

14. *Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ παῤῥησία ἣν ἔχομεν πρὸς αὐτόν*] Nos qui in Deum credimus, *etiam hanc de eo fiduciam habemus*, nempe iure optimo. De voce *παῤῥησίας* vide supra 2: 28, 3: 21.

Ὅτι ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, ἀκούει ἡμῶν, quod si quid petierimus secundum voluntatem eius, exaudiat nos] Clarius hic explicat quod dixerat supra 3: 22. *Secundum voluntatem Dei* absolute peti possunt augmentum fidei, Luc. 17: 5, et Spiritus sanctus, Luc. 11: 13. Alia non nisi hac conditione, si ea nobis dari quam non dari sit Deo gloriosius, nobisque salutarius. *Ἀκούει ἡμῶν, exaudit nos*; praesens pro quovis tempore. Sic et Ioh. 9: 31, 11: 41. In Manuscripto est, *αἰτώμεθα κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, id est, *in Christi nomine*, ut Ioh. 14: 13, 14, 15: 16, 16: 23, 24, 26.

15. *Καὶ ἐὰν οἴδαμεν ὅτι ἀκούει ἡμῶν ὃ ἂν αἰτώμεθα, οἴδαμεν ὅτι ἔχομεν τὰ αἰτήματα ἃ ἠτήκαμεν παρ᾽ αὐτοῦ, et si scimus eum exaudire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo postulavimus*] *Ἔχομεν* pro *ἕξομεν*, praesens pro futuro: Deus statim exaudit, at non statim dat.

16. *Ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα, si quis viderit Fratrem suum peccare*] Multum est quod Deus nos non pro nobis tantum, sed et pro aliis qui Christo nomen dedere, exaudit. Ita enim vox *ἀδελφοῦ* hoc loco sumenda ex subiecta materia; eoque magis quia hic additum est *αὐτοῦ*, ut in re simili Matth. 18: 15.

Ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον, peccatum non ad mortem] Iampridem multum agitata est haec quaestio, quae sit *ἁμαρτία πρὸς θάνατον*, quae *μὴ πρὸς θάνατον*. Veterum multi intellexere *peccatum ad mortem* esse peccatum eius qui baptizatus esset, non tamen omne quod cum aliqua deliberatione aut spatio ad deliberandum dato fieret; sed aliquod ex illis gravissimis, puta idololatriam, homicidium, adulterium. Talia enim qui admisisset post Baptismum plerisque in locis nunquam recipiebatur ad com-

munionem, ut nec in aliis criminibus si quis iterum lapsus esset. Non excludebantur quidem tales destricte a misericordia Dei, sed ob incertum eventus Ecclesia sponsor esse nolebat. Tertulliani tempore Episcopus Romanus ad poenitentiam recepit semel in adulterium delapsos: eamque sententiam, quanquam multum exagitatam a Tertulliano, non plane novam fuisse Romae ostendit Pastor Hermae. Cypriani tempore de lapsis in idololatriam vel adulterium varia fuit observatio, etiam in Africa. Ideo de lapsis in idololatriam nihil ille constituere voluit, nisi de consensu aliorum extra Africam Episcoporum, et maxime Episcopi Romani. Ac re diu expensa, placuit etiam sic lapsos, sed post longum tempus, recipi. Neque enim credebant hominem subito purgari, sed quo crimen esset gravius, eo tardius ac difficilius. Idque probatum in Synodo Nicaena magna, quae diu regula fuit Ecclesiastici regiminis; et in idololatriam deliberato lapsis praescriptum tempus poenitentiae annorum undecim, aliis aliquanto minus pro criminum gravitate. Quod de idololatria, homicidio et adulterio dixi, verum esse apparet ex Tertulliani De Pudicitia libro praesertim capite 19 et ex Socrate Historiae I. 10, ubi hoc αὐστηρὸν κανόνα [*severum canonem*] vocat, quem mordicus tutati sunt Novatiani. Quod vero dixi de aliis criminibus, si repetita essent post Baptismum, non datam sontibus Ecclesiae reconciliationem id docemur a Tertulliano De Poenitentia, cum dicit: *Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam quae pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est?* Ubi cum dicit *poenitentiam secundam*, intelligit a Baptismo, quae prima poenitentia est. Sunt et alibi apud eundem similia. Et quidem quod ad mores antiquos attinet, res sic se habet. Et ad eos mores hunc locum referunt Ambrosius aliique. Caeterum ego loci huius sensum eo spectare non arbitror: sed *ad mortem* dici eos *delinquere*, qui, cum peccaverint, moniti peccare pergunt, aut certe disciplinae quae in Ecclesia constituta est subiicere se nolunt. Quae enim spes sanitatis ei qui medicum sibi a Deo datum audire non vult? Hermas III. 6: *Quaecunque pecora vi-*

dis-

disti valde laeta et exsultantia, ii sunt qui in perpetuum a Deo discesserunt, et tradiderunt se desideriis huius seculi. Iis ergo non est per poenitentiam regressus ad vitam, quoniam quidem adiecerunt ad reliqua delicta sua, et nomen Domini infandis insectati sunt verbis. Huiusmodi homines morti sunt destinati. Hae sunt *virgae putridae* apud eundem Hermam III. 8. Nec aliud videtur velle Clemens Alexandrinus hunc locum citans Strom. II; qui et Strom. VII eos vocat ἀπηλγηκότας [*homines qui dedoluerunt*], aitque *virum sapientem iuste talibus aliqua mala temporalia imprecari.* Cyprianus Epistola LII: *Et idcirco, frater carissime, poenitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censemus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari: quia rogare illos non delicti poenitentia sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum.* Idem admonitis de peccato et instructis negat posse ignosci Epistola LXIII. Basilius ad Amphilochium capite 84: Πάντα δὲ ταῦτα γράφομεν, ὥςε τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας. Οὐ γὰρ πάντως τῷ χρόνῳ κρίνομεν τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν· ἐὰν δὲ δυσαποσπάςων ἔχωνται τῶν ἰδίων ἐθῶν, καὶ ταῖς ἡδοναῖς τῆς σαρκὸς μᾶλλον δουλεύειν θελήσωσιν, ἢ τῷ Κυρίῳ, καὶ τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ζωὴν μὴ παραδέχωνται, οὐδεὶς ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς κοινὸς λόγος. Ἡμεῖς γὰρ ἐν λαῷ ἀπειθεῖ καὶ ἀντιλέγοντι δεδιδάγμεθα ἀκούειν, ὅτι σώζων σῶζε τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν [*Haec autem omnia scribimus, ut poenitentiae fructus probetur. Non enim haec omnino tempore iudicamus: sed modum poenitentiae attendimus. Quod si qui a propriis moribus non facile avellantur, et carnis voluptatibus quam Domino servire maluerint, vitamque ex Euangelio institutam non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente et contradicente populo audire docti sumus, Servans serva animam tuam*]. Ubi Balsamo: Μὴ καὶ σεαυτὸν ἀπολέσῃς, ἀδιορθώτοις συγκοινωνῶν [*Ne et te ipse perdas cum iis conversans, qui corrigi nequeunt*]. Paria habet Zonaras.

Et in Nicaena Synodo II *ἁμαρτία πρὸς θάνατον* exponitur *ἀδιόρθωτον μένειν* [*inemendabilem manere*]. *Esse ad mortem* hic intelligendum comparate, sicut *mortiferum* dicimus morbum aut venenum unde non sit spes convalescendi, cum et alii morbi et venena homini mortem adferre possint, et saepe adferant.

Αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωὴν, τοῖς ἁμαρτάνουσι μὴ πρὸς θάνατον, petet, et dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem] In Manuscripto *μὴ ἁμαρτάνουσιν ἁμαρτίαν* [*non peccantibus peccatum*]. *Αἰτήσει* hic est futurum positum pro imperativo; quod ostendunt verba opposita in hoc ipso commate. Illud *dabit ei vitam* Syrus exponit *dabitur ei vita*, ut activum cum suo accusativo sumatur pro passivo, non designata persona agente. Sed rectius subintelliges *Deus* ex praecedentibus, et quia illud *αἰτήσει* valet *αἰτήσει Θεόν* [*petet a Deo*]. Deus ad preces fidelium ei homini qui Ecclesiae medicam manum non refugit, servabit fidem, dabit cor humiliatum atque contritum, et suo tempore reddet Spiritum sanctum; quae omnia viae sunt ad vitam aeternam; nec in manu sunt hominis, sicut est submittere se Ecclesiae. Est autem hic constructio convenientiae singularis cum plurali per *σύνθεσιν* [*constructionem rem non voces spectantem*], ut loquuntur, quia illud singulare non unum certum designat, sed quemvis professione Christianum.

Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ, est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis] Non impero preces fundi ut tanta contumacia deleatur, quia nullum est promissum quo tales preces nitantur. Hic habes sensum mysticum loci Ier. 7: 16 et Ezech. 14: 14.

17. *Πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί, omnis iniquitas peccatum est*] *Ἀδικίαν* vocat non quamvis ignorantiam, aut obreptionem subitam, sed quicquid peccatur aut cum deliberatione aut dato ad deliberandum spatio. Talia in se habent cogitationem iniuriae circa Deum, aut homines, aut hos et illum. Et tale est quod in hac epistola Iohannes *ἁμαρτίαν* vocat, ut iam aliquoties diximus. Vide et supra 3: 5.

Καὶ ἔστιν ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον, et est peccatum non ad mortem] Eventu. Quomodo et corporum morbi quidam, quamvis periculosi, dicuntur *οὐκ εἶναι πρὸς θάνατον*, Ioh. 11: 4.

18. *Οἴδαμεν ὅτι πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, οὐχ ἁμαρτάνει, scimus omnem e Deo natum, non peccare*] Non est hic subintelligendum *πρὸς θάνατον*, sed vox *ἁμαρτάνειν* generaliter sumenda, verum eo quo iam diximus sensu. Et *γεγεννημένος* hic, ut supra 3: 9, qualitatem permanentem notat. *Qui Filius Dei est*, id est, qui verbum Dei vividum conservat, is *οὐχ ἁμαρτάνει*, id est, *οὐ ποιήσει ἀδικίαν* [*non faciet iniquitatem*], Rom. 6: 13, 1 Cor. 13: 6, 2 Tim. 2: 19. Merito autem hoc addidit, ne qui putarent se et Filios Dei esse posse, et interim illa peccata quae non ita sunt ad mortem committere. Ideo admonet eos sui nominis, ut eius memores alios labentes erigant, non eorum exemplo labantur.

Ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ] *Qui Dei Filius esse perseveret.* Sic legerunt et Syrus et Arabs. Et sic habet Manuscriptus, non *ἡ γέννησις τοῦ Θεοῦ* [*generatio Dei*].

Τηρεῖ ἑαυτὸν, conservat se] Vigilat atque sollicite sibi cavet a peccatis talibus. Sic, *σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει* [*te ipse castum custodi*] 1 Tim. 5: 22, *ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν* [*immaculatum se custodire*] Iac. 1: 27. Par locutio Prov. 7: 5, 16; 17.

Καὶ ὁ πονηρὸς οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ, et malignus non tangit eum] Est *λιτότης* [*extenuatio*], pro *non vulnerat eum*, ut Gen. 26: 29, Ps. 105: 15, 18, 19, 21, Esai. 53: 4. Qui talis est *fidei scuto repellit ignita Diaboli tela*, Eph. 6: 16. Tentatur, sed non *incidit in tentationem*, *Liberatur ab illo maligno*, ut est in Prece Dominica; ad quam dicta vide.

19. *Οἴδαμεν ὅτι ἐκ Θεοῦ ἐσμεν, scimus nos ex Deo esse*] *Conscii nobis sumus nos per Euangelium Divinam quandam induisse indolem:* quare mirum non est si nostri mores discongruunt ab aliorum moribus.

Καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, et mundum totum in malo iacere] Potest illud *ἐν τῷ πονηρῷ* sumi aut neu-

neutro genere aut masculino. At quanquam πονηρὸς in masculino praecessit, satius est hic sumi in neutro, cum allusione tamen ad masculinum illud. Ille, Diabolus scilicet, malus est, et mundus ad mala fertur. Est locutio sumpta ex illo Exod. 32: 22, כי ברע הוא [*quoniam in malo ille est*], ubi Chaldaeus, *quod pronus est ad malum*, quasi dicat, *involutus est malitiae*.

20. *Οἴδαμεν δὲ ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἥκει, et scimus Filium Dei venisse*] Post monita ad cavendos Antichristos et Pseudoprophetas, addit ultimo loco monita contra Simonianos, et τοὺς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως [*eos qui sunt falsi nominis scientiae*], qui dicebant illum Deum quem Iesus colendum docuerat, non esse illum summum Deum, ac praeterea Gentium Deos coli posse sine peccato. Vide quae diximus in Anteloquio ad Euangelium Iohannis et ad Matth. 24: 11. Pro ἥκει videntur Syrus et Arabs legisse ἧκε, puto et Latinus. Quanquam Latina vox ambigua est inter praeteritum et praesens. Sed quia praeteritum statim sequitur, rectius est accipi, ut dixi, ἧκε. Sic accipe sicut ἐληλυθότα supra 4: 2, 3, ἐλθὼν 5: 6. *Patefaciat se hominibus* per verba et facta.

Καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, et dedit nobis sensum] Πεφώτικε τὴν διάνοιαν [*illuminavit mentem*] Eph. 1: 18, διήνοιξε τὸν νοῦν [*aperuit sensum*] Luc. 24: 45, nempe docendo, et quod docebat miraculis comprobando.

Ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, ut cognoscamus verum Deum] Sic et Manuscriptus et Latinus. *Verum Deum*, id est, summum, aeternum, optimum, auctorem rerum omnium et visibilium et invisibilium. Sic ἀληθινὸν Θεὸν habemus et Ioh. 17: 3 et 1 Thess. 1: 9. Sensus idem est Act. 14: 15. Vide quae ad ea loca diximus.

Καί ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, et sumus in vero] Supple Θεῷ [*Deo*], ex eo quod praecedit et sequitur, illi Deo vero facti sumus coniunctissimi. Nam εἶναι ἐν Θεῷ et μένειν [*manere*] pro eodem usurpat, ut diximus.

Ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ, per Filium eius Iesum Christum] Ἐν hoc loco valet *per*. Ista coniunctio facta est per Filium Dei veri illius. Ἰησοῦ Χριστῷ non est in Manuscripto, sicut abest et in Latino.

Οὗ-

Οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, hic est verus Deus] Is nempe quem Iesus monstravit colendumque docuit, non alius. *Οὗτος* saepe refertur ad aliquid praecedens non ἀμέσως [*immediate*], ut Act. 8: 26 et 10: 6.

Καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος, et vita aeterna] *Μετωνυμία* [*transnominatio*]. Vult enim dicere illum Deum esse auctorem primum ac summum vitae aeternae. Sic et Christus *vita* dicitur, Ioh. 11: 25, 14: 6, quia causa est eiusdem vitae proxima a Deo Patre.

21. *Φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων*] *Cavete vobis a falsis Diis*, colendis scilicet: qui Dii a Iudaeis Graece loquentibus dicebantur *εἴδωλα*, quia per simulacra repraesentabantur et in illis simulacris colebantur. Ita factum est ut vox *εἰδωλολατρείας* [*idololatriae*] succederet in locum vocum Hebraearum עבודה זרה. *Φυλάσσειν ἑαυτὸν*, quod et brevius, per passivum pro verbo reciproco, *φυλάσσεσθαι* Luc. 12: 15, est *sibi cavere a re aliqua*. Hebraeum שמר modo vertitur per *φυλάττειν*, modo per *προσέχειν*. Syrus hic טרו נפשכון [*custodite animam vestram*], quod est a Graeco *τηρεῖν*. Sic supra habuimus *τηρεῖ ἑαυτόν* [*conservat se*] 5: 18.



ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM, QUAE DICITUR IOHANNIS

SECUNDA.

Hanc Epistolam et eam quae sequitur non esse Iohannis Apostoli Veterum multi iam olim crediderunt, a quibus non dissentiunt Eusebius et Hieronymus. Et magna sunt in id argumenta. Nam duos fuisse Iohannes Ephesi, Apostolum ac Presbyterum eius discipulum, semper constitit ex sepulchris alio huius, alio illius: quae sepulchra vidit Hieronymus. Deinde hic Scriptor non *Apostolum* se vocat sed *Presbyterum*, cum non soleant, Apostoli, etiam ubi ad privatos scribunt, omittere eum titulum quo ipsorum scripta maxime commendabantur. Nam quod Petrus Presbyteros alloquens se quoque κατὰ συγκατάβασιν [*per demissionem*] vocat eorum συμπρεσβύτερον [*conseniorem*], id fit extra inscriptionem ex quadam comitate, quali et Imperatores se *commilites* vocant. Praeterea apud multas Gentes hae Epistolae non fuerant receptae, imo nec in sermonem earum versae, ut nec Altera Petri quae dicitur, nec Iudae, quia non habebantur pro Apostolicis. Tum vero credibile non est quenquam qui Christianus dici vellet, ea fuisse audacia ut Apostolo se opponeret. In Clementis Constitutionibus VII. 45 habes:

Κλή-

Κλήμης δὲ μετὰ τὸν Λίνου θάνατον ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου δεύτερος κεχειροτάνηται· τῆς δὲ Ἐφέσου Τιμόθεος μὲν ὑπὸ Παύλου, Ἰωάννης δὲ ὑπ' ἐμοῦ Ἰωάννου [*Defuncto Lino Clementem ego Petrus alterum in eius locum suffeci: Ephesiae Ecclesiae Timotheum Paulus, Ioannem ego Ioannes*]. Quod quin a veteri fama veniat, dubium non est.

1. Ὁ πρεσβύτερος, *senior*] Eo nomine satis erat notus: quippe a Iohanne Apostolo ordinatus.

Ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, *electae Dominae*] Diximus συνεκλεκτὴν [*coelectam*] 1 Petr. 5: 13 ad *Ecclesiam* tacite referri. At hic omnino una indicatur persona, ut videmus infra 13. Et ἐκλεκτῇ puto fuisse nomen proprium, Hebraice בחירה sicut *Thomas* et *Didymus*. Tale nomen Γραπτὴ apud Herman, Ἀγαθὴ, Ἀγαπητὴ et similia ex adiectivis facta propria. Sicut viri quilibet appellabantur Κύριοι, ut videre est Ioh. 20: 15, ita feminae Κυρίαι, ut videre est etiam in Enchiridio Epicteti 62, et apud Chrysostomum Contra συνεισάκτους [*cohabitantes*], et alibi. Videtur autem haec femina fuisse gente Iudaea, non Ephesi sed in alia urbe habitans.

Καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς, *et natis eius*] Educatis a matre in religione Christiana.

Οὓς ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ] *Quos ego sincere amo.* Sic Sir. 7: 22, Matth. 22: 16. Hebraice באמת ut Esai. 10: 20, 11: 5, 16: 5, 38: 3, 61: 8, Ier. 26: 15, 28: 9, 32: 41.

Καὶ οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ ἐγνωκότες τὴν ἀλήθειαν, *neque ego solus, sed et omnes, qui noverunt veritatem*] In Manuscripto, οὐκ ἐγὼ δὲ μόνος. Per ἀλήθειαν intellige Euangelium, ut Hebr. 10: 26, 1 Petr. 1: 22. Et per *nosse* intellige notitiam verbis factisque ostendere. Sic describit eos qui Ephesi et in vicinis locis erant Christiani.

2. Διὰ τὴν ἀλήθειαν τὴν μένουσαν ἐν ἡμῖν, *propter veritatem, quae permanet in nobis*] Amamus vos, inquit, et ego et Christiani alii, amore iustissimo, quia Euangelium est in nobis, id est, in me et vobis. Par locutio 1 Ioh. 2: 14. In Manuscripto pro μένουσαν est οἰκοῦσαν [*quae habitat*], sensu eodem.

Καὶ μεθ' ἡμῶν ἔςαι τὸν αἰῶνα, *et nobiscum erit in aeternum*] Καὶ pro *quae* more Hebraeo. Et ἔςαι pro ἔςω

[*sit*],

[*sit*], ut et versu sequenti; optat enim sibi soli et illis perseverantiam.

3. *Ἔςαι μεθ᾽ ὑμῶν χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ παρὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ πατρὸς, sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Patre et a Christo Iesu Filio Patris*] Hic ἔςαι Latinus bene vertit *sit*. Saepe enim Hebraeis futura ponuntur pro precativis. At in Manuscripto desunt haec ἔςαι μεθ᾽ ὑμῶν. Eadem precatio 1 Tim. 1: 2 et 2 Tim. 1: 2.

Ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἀγάπῃ] Id est, *per cognitionem veri et dilectionem mutuam*. Nam per haec in nos Dei beneficia provocamus, conservamus, augemus.

4. *Ἐχάρην λίαν, valde gavisus sum*] שמחתי מאד.

Ὅτι εὕρηκα ἐκ τῶν τέκνων σου περιπατοῦντας ἐν ἀληθείᾳ, quod inveni de filiis tuis qui in veritate ambulent] *Inveni*, id est, vidi, מצאתי. Filii quidem eius matronae Ephesum, ut credibile est, venerant negotiorum causa. *Περιπατεῖν* הלך, est *vitam instituere*. *Ἐν ἀληθείᾳ*, *sincere*, ut modo diximus.

Καθὼς ἐντολὴν ἐλάβομεν παρὰ τοῦ πατρός] *Sicut a Deo praeceptum accepimus*, nempe per Christum. Cognovi eos animo, inquit, sequi praecepta Euangelica: quae maxima est laus. In Manuscripto est ἀπὸ τοῦ πατρός. Duas istas praepositiones ἀπὸ et παρὰ promiscue usurpari vidimus supra commate 3.

5. *Καὶ νῦν ἐρωτῶ σε, κυρία, et nunc rogo te, Domina*] Ἐρωτῶ posuit pro *precor*, more Graecorum Latinos imitantium. Diximus de eo ad Ioh. 4: 31.

Οὐχ ὡς ἐντολὴν γράφων σοι καινὴν, ἀλλ᾽ ἣν εἴχομεν ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἵνα ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, non tanquam praeceptum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum] Ἀπ᾽ ἀρχῆς, id est, etiam sub Lege didicimus, quanquam nunc latiore et intensiore sensu. Sumpta ex Iohanne 1 Epistola 2: 7, ubi dicta vide.

6. *Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ ἀγάπη, ἵνα περιπατῶμεν κατὰ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*] *In eo apparet dilectio Dei, nempe ut vitam instituamus secundum praecepta eius*. Similis sententia Ioh. 14: 21, et 1 Epistola 2: 5, 5: 3.

Αὕτη ἐςὶν ἡ ἐντολὴ, καθὼς ἠκούσατε ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἵνα ἐν αὐτῇ περιπατῆτε, hoc est praeceptum, ut quemadmodum au-

audistis ab initio, in eo ambuletis] Hoc est quod Deus semper exegit a nobis etiam sub statu Legis, ut ipsum diligeremus, non unum aut alterum praeceptum, sed omnia eius praecepta factis, quantum fieri potest, implendo. Habes haec coniuncta Deut. 6: 5—8. Adde Exod. 15: 26.

7. Ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί, *quod multi impostores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem*] Imitatur Iohannem Apostolum, magistrum suum, 1 Epist. 4: 2, 3. Hic sensus novus incipit et cohaeret cum eo quod sequitur Βλέπετε ἑαυτούς. Designat autem et Antichristos et Pseudoprophetas, qui Iesum ideo pro Messia non cognoscebant, quod venisset in statu humili et multis malis obnoxio. Vocem πλάνου habes Matth. 27: 63, 2 Cor. 6: 8, 1 Tim. 4: 1. Πλάνοι מתעים.

Οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος, *hic est impostor et Antichristus*] Post plurale intulit singulare, contra quam Apostolus 1 Epist. 3: 16, quia in talibus idem valet locutio utraque. Sensus est: Qui talia docet, is est impostor: quod si et semet dicat Messiam aut populi vindicem, is est Antichristus. Videntur haec scripta paulo ante tempora Barchochebae.

8. Βλέπετε ἑαυτοὺς, *cavete vosmetipsos*] Eadem locutio Marc. 13: 9. Βλέπετε hic idem est quod φυλάσσετε.

Ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα καλὰ, ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν, *ne amittamus, quae operati sumus bona, sed ut mercedem plenam recipiamus*] In Manuscripto, ἵνα μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε [*ne amittatis quae operati estis*]; quae melius cohaerent cum eo quod praecessit: nec aliter legit Latinus. *Amittere operas* est μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] dictum pro *amittere fructum bonorum operum:* quod fieri posse et hic docemur et Gal. 3: 4, Hebr. 10: 34, 35. *Merces plena* est merces vitae aeternae. Nam est et minor *merces* in hac vita, ut Luc. 10: 7.

9. Πᾶς ὁ παραβαίνων καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ, Θεὸν οὐκ ἔχει, *omnia qui transgreditur, nec permanet in doctrina Christi, Deum non habet*] Παραβαί-

νειν eximie dicitur qui Legem Dei contemnit, ut diximus Hebr. 2: 2. Contemnit autem Legem Dei qui *in Euangelio non perstat*. Est enim hic *μένειν* pro *διαμένειν* [*permanere*]. Qui id facit *Deum non habet*, id est, non novit, ut 1 Ioh. 2: 23. Nam Deus hoc tempore non noscitur nisi per Filium, ut olim per Mosem.

Ὁ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριςοῦ, permanens in doctrina Christi] *Permanens* dictis et factis.

Οὗτος καὶ τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν ἔχει, hic et Patrem et Filium habet] Is ostendit notam sibi esse voluntatem et Patris et Filii. Ita saepe habuimus *nosse* pro *ostendere nosse*, locutione Hebraeis admodum familiari.

10. *Εἴτις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, si quis veniat ad vos*] Si quis se insinuet in vestras Ecclesias.

Καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν οὐ φέρει] *Et non adferat doctrinam illam* quae est in Euangelio. Si quis profitetur se abhorrere ab Euangelio.

Μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, nolite eum recipere in domum] Hoc non dicitur de iis qui alieni semper fuere ab Ecclesia, ut videre est 1 Cor. 5: 10, sed de iis qui volunt fratres haberi et doctrinam evertunt.

Καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε, nec ave ei dixeritis] Significat talium familiaritatem devitandam. Et mos erat multis gentibus ne alloqui quidem quos aversarentur. Herodotus Thalia: *Λόγον οὐδένα ἐδίδου* [*Nec alloquio dignabatur*]. Et Polyhymnia: *Οὐδὲ διελέγετο* [*Nec alloquebatur*]. *Iohannes Domini discipulus in Ephèso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsiliit de balneo non lotus, dicens quod timeat ne balneum concidat cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Ita Irenaei Interpres III. 3.

11. *Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, qui enim dicit illi ave*] *Συνεκδοχὴ* [*complexio*] vel etiam *ὑπερβολὴ* [*superiectio*]. Vult enim dicere, Qui cum tali amicitiam colit. Vide quae a nobis ad Matth. 18: 17. *Λέγων χαίρειν, iubens salvere.*

Κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς, particeps fit operum eius malorum] In partem venit culpae, tanquam approbator. Par locutio 1 Tim. 5: 22. Vide Ps. 50: 18.

12. *Πολλὰ ἔχων ὑμῖν γράφειν*] *Multa habens quae scribere poteram vobis* non inutilia.

Οὐκ ἐβουλήθην διὰ χάρτου καὶ μέλανος, nolui per chartam et atramentum] Nempe *γράψαι* [*scribere*], quod exprimitur sequente Epistola, com. 13. Est autem duplex acceptio vocis *γράψαι*, propria et impropria. Improprie enim et qui dicit, et qui bene cuiquam facit, dicitur *cordi eius inscribere*, Prov. 3: 3, Ier. 31: 33.

Ἀλλὰ ἐλπίζω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, sed spero me venturum ad vos] In eam urbem ubi vos estis. In Manuscripto, *ἐλπίζω γὰρ γίνεσθαι πρὸς ὑμᾶς* [*spero enim me futurum ad vos*].

Καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι, et ore ad os loqui] Accusativus prior Graeco more positus, pro quo Latini ponerent ablativum. Eadem locutio in Graeco Num. 12: 8. Similis vero 1 Cor. 13: 12, *πρόσωπον πρὸς πρόσωπον* [*facie ad faciem*].

Ἵνα ἡ χαρὰ ἡμῶν ᾖ πεπληρωμένη, ut gaudium nostrum plenum sit] *Πεπληρωμένη* pro *πλήρης*, quomodo *γεγεννημένος*, et similia. Et dictum hoc comparate; quia *plenius gaudium* ex conspectu mutuo quam ex commercio literarum. Vide Rom. 1: 12 et 2 Tim. 1: 4, ubi par locutio.

13. *Ἀσπάζεταί σε τέκνα τῆς ἀδελφῆς σου τῆς ἐκλεκτῆς, salutant te filii sororis tuae electae*] Filii sororis eius ad quam scribitur, qui tum ob negotia erant Ephesi. Vide quae diximus in Anteloquio ad Epistolam Paulinam ad Ephesios. Pro *τῆς ἐκλεκτῆς* alii libri sine articulo habent *ἐκλεκτῆς*, alii vero *Εὐδέκτης*, quod verum puto, ut sit nomen proprium, sicut *Ἐκλεκτὴ*, et Hebraeum nomen huius feminae fuerit נלקחה.

ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM, QUAE DICITUR IOHANNIS

TERTIA.

1. Ὁ πρεσβύτερος, *senior*] Vide initio Epistolae praecedentis.

Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ, Caio carissimo] Est nomen Romanum. Vix fert aetas, ut idem sit hic *Caius* qui nominatur Rom. 16: 23 et 1 Cor. 1: 14, aut qui Act. 19: 29 et 20: 4: Vocabulum erat valde commune; sed inter bene notos et amicos sufficiebat praenomen dicere.

Gaudent praenomine molles
Auriculaee,

ait Horatius. Tale illud, *o Tite*, apud Ennium et Ciceronem. *Ἀγαπητὸς* blanda appellatio qua Christiani inter se utebantur, ut Rom. 16: 5, 8, 9, 12, 1 Cor. 4: 17, Eph. 6: 21, Col. 1: 7, 4: 7, 9, 2 Tim. 1: 2, Philem. 1, 16. Vixit hic Caius in aliqua Ecclesiarum quarum mentio in Apocalypsi.

Ὃν ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ, quem ego diligo in veritate] Ut Epistola praecedente, commate 1.

2. *Ἀγαπητέ, carissime*] Post inscriptionem incipit Epistola.

Πε-

Περὶ πάντων] *Quod attinet ad res omnes.* Sic Phil. 1: 27, 2: 19.

Εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι, orationem facio, prospere te ingredi] להצליח. Vide Rom. 1: 10, 1 Cor. 16: 2.

Καὶ ὑγιαίνειν, et valere] Hoc velut παρενθετικῶς [*per parenthesin*] positum est: nam reditur ad vocem εὐοδοῦσθαι. Sed quia τοῦ εὐοδοῦσθαι maxima pars est τὸ ὑγιαίνειν, ideo post generis nomen addita est species excellentissima.

Καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχή, sicut prospere agit animus tuus] Ψυχὴ hic pro *toto animo* ponitur, ut Matth. 22: 37, Marc. 12: 30, 33, Luc. 10: 27, Eph. 6: 6, Col. 3: 23. Non dubito quin animo sis tali qualem optare possem: idem opto de corpore et rebus aliis:

Optandum est, ut sis mens sana in corpore sano.

3. *Ἐχάρην γὰρ λίαν, valde enim gavisus sum*] Vide supra 2: 4.

Ἐρχομένων ἀδελφῶν] *Cum Christiani quidam venere* ex vestris partibus. Est hic praesens pro praeterito.

Καὶ μαρτυρούντων σοῦ τῇ ἀληθείᾳ] *Qui testimonium perhibent de tua sinceritate.* Μαρτυρῶ solet regere dativum, Luc. 4: 22, Act. 14: 3, 15: 8, 22: 5, Rom. 10: 2, Gal. 4: 15, Col. 4: 13.

Καθὼς σὺ ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς] Est explicatio eius quod praecessit ἐν ἀληθείᾳ, quasi dicat, *id est, quomodo tu sincere vitam omnem instituas,* nempe ut decet Christianum re non nomine. Abest σὺ in Manuscripto.

4. *Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαρὰν, maius his non habeo gaudium*] Alii Codices habent ταύτης [*hoc*]. Μειζοτέραν est ad intendendam significationem comparativus e comparativo factus: quomodo ἐλαχιστότερος [*minimus*], comparativus e superlativo Eph. 3: 8.

Ἵνα ἀκούω τὰ ἐμὰ τέκνα ἐν ἀληθείᾳ περιπατοῦντα, quam quod audiam filios meos in veritate ambulare] In Manuscripto ἐν τῇ ἀληθείᾳ, id est, *secundum Euangelium.* Plane eadem constructio quae Ioh. 15: 13, ubi diximus ἵνα esse expositivum ταύτης quod praecesserat. Ἐμὰ τέκνα, id est, *eos quos ego institui,* 1 Tim. 1: 2, 18, 2 Tim. 1: 2, 2: 1, Philem. 10. Iohannes quidem, ut et Petrus, maxime circa Iudaeos laborabant, sed occasione

data non omittebant instituere et Gentes; ut Petrus Cornelium.

5. *Ἀγαπητὲ, πιστὸν ποιεῖς, carissime, fideliter facis*] *Rem facis bonam.* Nam sic איש אמת [*vir veritatis*] vertitur ἀγαθὸς [*bonus*] Neh. 7: 2; alibi δίκαιον [*iustum*].

Ὃ ἐὰν ἐργάσῃ εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ εἰς τοὺς ξένους, si quid operaris in fratres et in peregrinantes] Lege ut in Manuscripto *ἀδελφοὺς καὶ ταῦτα ξένους, fratres et quidem peregrinantes:* et sic legit Latinus. *Ὃ ἐὰν, si quid*, ut Matth. 12: 36, 14: 7, 15: 5, 16: 19, Gal. 6: 7, Eph. 6: 8.

6. *Οἳ ἐμαρτύρησάν σου τῇ ἀγάπῃ, qui testimonium reddiderunt dilectionis tuae*] Constructio qualis modo 3.

Ἐνώπιον ἐκκλησίας] *Coram Ecclesia* Ephesina.

Οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας, quos bene facies deducens] Legendum videtur *ἐποίησας* [*fecisti*]. Ostendunt id sequentia. *Καλῶς ἐποίησας* est laudantis, ut diximus Act. 10: 33, 1 Cor. 7: 38, Phil. 4: 14, Iac. 2: 8, 19, 2 Petr. 1: 19. *Προπέμπειν* hic est *cum viatico dimittere*, ut Tit. 3: 13.

Ἀξίως τοῦ Θεοῦ, digne Deo] Id est, *sicut Deo debemus*. Similis locutio Col. 1: 10 et 1 Thess. 2: 12. De re vide Matth. 10: 37.

7. *Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἐξῆλθον, pro nomine enim eius profecti sunt.* In Manuscripto *ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος ἐξῆλθον*. *Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος*, id est, a Iudaea eiecti sunt per Iudaeos incredulos ob Christum. *Nomen* enim per excellentiam, nomen Christi, Iac. 2: 17. Vide et quae diximus Act. 5: 41.

Μηδὲν λαμβάνοντες ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, nihil accipientes a Gentibus] In Manuscripto *ἀπὸ τῶν ἐθνικῶν* [*a Gentilibus*], quomodo Matth. 6: 7, 18: 17. Potuerant in ista calamitate adiuvari misericordia *τῶν ἔξω* [*extraneorum*], sed maluerunt omnia Christianis debere.

8. *Ἡμεῖς οὖν, nos ergo*] *Nos Christiani* ubique locorum.

Ὀφείλομεν ἀπολαμβάνειν τοὺς τοιούτους, debemus recipere huiusmodi] Manuscriptus *ὑπολαμβάνειν*, id vero est *opitulari*, ut in Graeco Ps. 30: 1. Suidas explicat *ὑποδέχεσθαι* [*excipere*].

Ἵνα συνεργοὶ γινώμεθα τῇ ἀληθείᾳ, ut adiutores simus veritati] Ut quantum in nobis est Euangelium promoveamus collata ope. Similis locutio 2 Cor. 1: 24.

9. *Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ*] *Scripsi Ecclesiae vestrae*, ut illos vobis commendarem tanquam fratres. In Manuscripto, *ἔγραψά τι τῇ ἐκκλησίᾳ* [*scripsi nonnihil Ecclesiae*]. At Latinus legit *ἔγραψα ἄν*, *scripsissem:* sed nolui operam perdere.

Ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν, Διοτρεφής, sed is qui amat primatum gerere in iis, Diotrephes] Hic quoque singulari collectivo subiungitur plurale, ut saepe. Diotrephes hic fuit aliquis ex Presbyteris eius Ecclesiae in qua erat Caius, ex Gentili factus Christianus, et Episcopatum tunc vacantem ambiens. Is vero ex illo erat hominum genere, qui Iudaeos quanquam Christum professos, si Legis ritus observabant (quod in Iudaea Christiani faciebant ad haec usque tempora, ut Sulpitius nos docet), ad suos coetus non admittebant. Talis ingenii fuit qui in Epistolam Ignatii ad Philippenses ista infarsit: *Εἴτις μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελεῖ τὸ πάσχα, ἢ τὰ σύμβολα τῆς ἑορτῆς αὐτῶν δέχεται, κοινωνός ἐςι τῶν ἀποκτεινάντων τὸν Κύριον* [*Si quis cum Iudaeis celebrat Pascha, aut symbola festi eorum recipit, particeps est eorum qui Dominum occiderunt*]. Iohannes autem Apostolus multum solebat largiri Iudaeis conversis, ut ex Iudaica per Asiam Paschatis observatione apparet. Et hunc imitabatur Iohannes Presbyter, Iudaeus et ipse ortu. Vide Irenaeum ad Victorem, et Eusebium V. 22—24.

Οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς] Est *μετωνυμία* [*transnominatio*]. *Non admittit nos*, id est, monita nostra, *συςατικὰς* [*epistolas commendatitias*] nostras.

10. *Διὰ τοῦτο, ἐὰν ἔλθω, propter hoc, si venero*] Si res meae permittent ut ad vos transcurram.

Ὑπομνήσω αὐτοῦ τὰ ἔργα ἃ ποιεῖ, λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν ἡμᾶς] *Ostendam illi quam rem faciat* se indignam, *quod* [*verbis malignis*] *mihi obtrectat* instanti vestigiis Iohannis Apostoli. *Ὑπομιμνήσκειν* proprie est *in memoriam reducere*, הזכיר. Sed per translationem quandam sumitur pro quovis modo *monere*, Tit. 3: 1, 2 Petr. 1: 12. *Φλυαρεῖν* est *garrire*, *blatterare*, in Glossis. Sed verba

neutra solent interdum poni transitive. Qui sint φλύαροι vide 1 Tim. 5: 13.

Καὶ μὴ ἀρκούμενος ἐπὶ τούτοις] Id non satis habens.

Οὔτε αὐτὸς ἐπιδέχεται τοὺς ἀδελφοὺς] Non admittit illos ex Iudaea venientes, Legi deditos, ad suam communionem; contra quam Paulus praeceperat Rom. 14, ubi προσλαμβάνεσθαι est quod hic ἐπιδέχεσθαι.

Καὶ τοὺς βουλομένους, et qui volunt] Nempe αὐτοὺς ἐπιδέχεσθαι [*illos admittere*]. Si qui Presbyteri aut in plebe sunt leniores.

Κωλύει, prohibet] Nempe ea auctoritate quam apud plerosque sibi paraverat, tanquam Christianae libertatis acerrimus vindex.

Καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει, et de Ecclesia eiicit] Efficit factione ut illi leniores, tanquam Iudaei magis quam Christiani, abstineantur a communione. *Ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλειν* est נדה *ἀφορίζειν* [*separare*], quod aliter Iudaei dicebant *ἀποσυνάγωγον ποιεῖν* [*extra synagogam facere*]. Vide quae diximus ad Luc. 6: 22, Ioh. 9: 22, 12: 42, 16: 2.

11. *Ἀγαπητέ, μὴ μιμοῦ τὸ κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν, carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est]* Noli illius Diotrephis et similium duritiem imitari, quanquam et tu ex Gentibus vocatus es. Simile monitum Esai. 8: 11.

Ὁ ἀγαθοποιῶν] Qui bene facere studet, nempe quamplurimis. Vide Marc. 3: 4, Luc. 6: 9, 33, 35, מיטב.

Ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ex Deo est] Divinam habet indolem. Locutio Iohannis Apostoli in Epist. 3: 10 et 5: 19.

Ὁ κακοποιῶν οὐχ ἑώρακε τὸν Θεὸν, qui male facit, non vidit Deum] Est hic praeteritum pro praesenti, et ὁρᾷν pro *nosse; nosse* vero, pro *nosse ut oportet, et id rebus ostendere.* Locutio est sumpta ex 1 Ioh. 3: 6.

12. *Δημητρίῳ]* Erat is quoque a Gentibus vocatus, sed inter lenes.

Μεμαρτύρηται ὑπὸ πάντων] Ab omnibus qui eum norunt *habet testimonium.* Vide 1 Tim. 3: 7. *Μαρτυρεῖσθαι* eodem modo sumitur Act. 6: 3 et 16: 2. Subintelligitur *εἶναι ἀγαθός* [*ipsum bonum esse*].

Καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, et ab ipsa veritate] Id est, tes-

testimonium habet etiam a rebus ipsis. Eae comparate dicuntur *ἀλήθεια*, quod minus solent fallere *τεκμήρια* [*signa*] quam hominum testimonia, ut docent Oratoriae artis magistri.

Καὶ ἡμεῖς δὲ μαρτυροῦμεν] *Αὐτῷ* [*ei*] scilicet. *Nos quoque* probitatis ac pietatis *testimonium ei reddimus*. *Nos*, id est, ego et alii qui Ephesi sumus.

Καὶ οἴδατε ὅτι μαρτυρία ἡμῶν ἀληθής ἐςι, et id nostis, quod laudatio nostra vera est] Est fide digna, Ioh. 5: 31, 8: 13, 14, 21: 24, 1 Ioh. 5: 6. In Manuscripto *οἶδας* [*nosti*].

13. *Πολλὰ εἶχον γράφειν, ἀλλ' οὐ θέλω διὰ μέλανος καὶ καλάμου σοι γράψαι, multa habui tibi scribere, sed nolo per atramentum et calamum scribere tibi*] In Manuscripto est hic quoque *οὐκ ἐβουλήθην* [*nolebam*] pro *οὐ θέλω*. Deinde *γράφειν σοι*.

14. *Ἐλπίζω δὲ εὐθέως ἰδεῖν σε, καὶ ςόμα πρὸς ςόμα λαλήσομεν, spero autem protinus te videre: et ore ad os loquemur*] Sensus idem qui in praecedente Epistola, commate 12. Sed hic magis pro certo ponit se cum Caio collocuturum.

15. *Εἰρήνη σοι, pax tibi*] Hebraeo more שלום לך. Vide 1 Petr. 5: 14.

Ἀσπάζονταί σε οἱ φίλοι, salutant te amici] Qui Ephesi sunt, et te norunt. At in Manuscripto *οἱ ἀδελφοὶ* [*fratres*], id est, Christiani omnes.

Ἀσπάζου τοὺς φίλους κατ' ὄνομα] Id est, *saluta amicos*, qui apud vos sunt, non generatim, sed *singulos*. Vide Act. 1: 55, Exod. 33: 12, Ps. 147: 4.



A N-

ANNOTATIONES

IN

EPISTOLAM IUDAE.

---

1. *'Ιούδας Χριςοῦ 'Ιησοῦ δοῦλος, Iudas Iesu Christi servus*] Non addidit *ἀπόςολος* [*Apostolus*], quod Apostoli facere solent in Epistolis, etiam ad privatos. Deinde, si Apostolica fuisset habita haec Epistola, versa fuisset in linguas omnes et recepta per omnes Ecclesias: quod nunc aliter se habuit. Quare omnino adducor ut credam esse hanc Epistolam Iudae Episcopi Hierosolymitani, qui fuit Adriani temporibus, paulo ante Barchochebam. Nam Simeoni, cuius esse credimus Epistolam quae *Petri altera* dicitur, successit Iustus, Hebraice צדוק *Σαδωκὸς*, huic Zacchaeus, Zacchaeo Tobias, Tobiae Beniamin, Beniamini Iohannes, Iohanni Matthias, Matthiae Philippus, id est, פלא פי [*os mirabile*] vel פי לבא [*os cordi congruens*], Philippo Seneca, id est, זקנא [*Senex*], Senecae Iustus alter, huic Levi, ei Ephres, Ephrae Ioses, Ioseti is quem dico Iudas. Scripta est autem haec Epistola adversus Carpocratianos maxime, ut et illa Simeonis. Quare cum in eodem versetur argumento, non mirum si et easdem historias veteres illi aptat, et verbis modo iisdem quibus Simeon modo paulum commutatis utitur.

Scri-

Scribit autem ad Iudaeos gente, religione Christianos, ubique dispersos.

'Αδελφὸς δὲ 'Ιακώβου, frater Iacobi] Hoc additum puto esse a Scribis, ut Iudas hic esse Apostolus crederetur; quando et in illa Simeonis Epistola quaedam addita notavimus.

Τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις, iis qui sunt in Deo Patre sanctificati] Sic 1 Cor. 1: 2, *ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ 'Ιησοῦ* [*sanctificatis in Christo Iesu*]. Per Christum enim data est Christianis sanctitas eximia. In Manuscripto est *τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἠγαπημένοις* [*iis qui sunt in Deo Patre dilecti*], quomodo legit Latinus.

Καὶ 'Ιησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις, et Iesu Christo servati] Est participium praeteritum pro praesenti. Significat eos *servari in Christo*, nempe ut ab eo suo tempore praemium accipiant. Confer 1 Thess. 5: 23, ubi idem verbum *τηρεῖσθαι*. Adde 2 Cor. 11: 2, Eph. 5: 27.

Κλητοῖς, vocati] Ostendit fontem omnis boni, vocationem ex mera gratia. Sic et 1 Cor. 1: 2.

2. *Ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη καὶ ἀγάπη πληθυνθείη, misericordia vobis et pax et dilectio adimpleatur*] *Ἔλεος* et *εἰρήνη* est et in ea quae *Secunda Iohannis* dicitur, et apud Paulum saepe. Illud *πληθυνθείη*, 1 Petr. 1: 2. *'Αγάπη*, in salutatione Pauli, Eph. 6: 23.

3. *'Αγαπητοί, carissimi*] Sic 1 Cor. 4: 13, 10: 14, 15: 58, 2 Cor. 12: 19, Eph. 5: 1, Phil. 2: 12, 4: 1, 1 Thess. 2: 8, Hebr. 6: 9, Iac. 1: 16, 19, 2: 5, 1 Petr. 2: 11, 4: 12, 2 Petr. 3: 17, 1 Ioh. 3: 2, 21, 4: 1, 7, 11.

Πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος, omnem sollicitudinem faciens]. Par locutio 2 Petr. 1: 5.

Γράφειν ὑμῖν περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, scribendi vobis de communi salute] De iis quae pertinent ad communem salutem. Sic *κατὰ κοινὴν πίστιν* Tit. 1: 3. In Manuscripto *κοινῆς ἡμῶν σωτηρίας*, pro quo Latinus legit *ὑμῶν*.

'Ανάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν παρακαλῶν] Id est, *εἰς τὸ παρακαλεῖν*. *Nihil potius habui quod scriberem quam ut vos monerem* de periculis praesentibus.

'Επαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει, bene tueri fidem semel sanctis traditam] *Πίστιν* vocat ipsam doctrinam per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*], qualis

lis est et Act. 6: 7 et alibi. Eam dicit *semel traditam sanctis*, id est, iis qui nunc sancti sunt, nempe per Apostolos, ut 1 Cor. 11: 2, 23, 15: 3, ubi eadem vox *παραδιδόναι*. Vide et 2 Petr. 2: 21. Et dicit *semel*, quia de ea doctrina nihil immutandum. *Ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίςει* est eam *bene tueri*, non sinere sibi eripi. *Ἐπὶ* enim hic valet *pro*.

4. *Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι*] *Latenter* [*enim quidam*] *irrepsere*. Sic *παρεισῆλθον* Gal. 2: 4, *παρεισάξουσι* 2 Petr. 2: 1. Carpocratianos, ut diximus, designat.

Οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, qui olim praescripti sunt in hoc iudicium] Translatio inde sumpta quod sententiae ex scripto recitari solebant, Ps. 149: 9. Et *κρῖμα* hic est pro *κατάκριμα*, pro *poena*. Sic *κρῖμα* habes Matth. 23: 14, Marc. 12: 40, Luc. 20: 47, Rom. 2: 3, 5: 16, Gal. 5: 10, Iac. 3: 1. *Hanc poenam Deus pridem decrevit* in eos qui Euangelium reiiciunt, ut sibi ipsis per mala dogmata et flagitiosos actus summam arcessant etiam apud nos Christianos infamiam. Vide 2 Thess. 1: 8, 9, 2 Tim. 2: 16, 2 Petr. 2: 3. Sed praecipue respici videtur locus ille 2 Petr. 2, ubi hi ipsi homines praesignificantur.

Ἀσεβεῖς, impii] 2 Petr. 2: 6.

Τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, Dei nostri gratiam transferentes in libidinem] *Ἀσελγείας* illorum hominum praedicit Simeon, 2 Petr. 2: 18. *Χάρις τοῦ Θεοῦ* est Euangelium, sub cuius nomine isti alios inescabant, sed revera Euangelium transformabant in doctrinam libidinosam. *Χάρις Θεοῦ* per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] dicitur Euangelium, ut Hebr. 12: 15 et alibi.

Καὶ τὸν μόνον Θεὸν καὶ δεσπότην τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριςὸν ἀρνούμενοι, et solum Deum et Herum Dominum nostrum Iesum Christum abnegantes] In Manuscripto, *καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριςὸν ἀρνούμενοι*. Datur Christo nomen *δεσπότου* etiam 2 Petr. 2: 1, ubi de iisdem hominibus agitur. *Abnegabant Iesum*, quia eum dicebant hominem natum ex homine, et multos suorum ipsi pares. Non ergo eum pro suo Redemptore, et per id *Hero* ac *Domino*, agnoscebant.[1]

5.

5. *Ὑπομνῆσαι δὲ ὑμᾶς βούλομαι, εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο, commonere autem vos volo, scientes vos semel hoc*] In Manuscripto, ὑπομνῆσαι δὲ ὑμᾶς βούλομαι, εἰδότας ἅπαξ πάντα [*commonere autem vos volo, scientes semel omnia*], quomodo et Latinus legit. *Omnia* cum dicit, intelligit omnia narrata in Vetere Testamento. Ea cum semel illi Iudaei gente a prima aetate didicissent, brevi tantum indicio opus habebant ut eorum reminiscerentur. Sic 2 Petr. 1: 12, *Οὐκ ἀμελήσω ἀεὶ ὑμᾶς ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων, καίπερ εἰδότας* [*Non negligam vos semper commonere de his, quamvis scientes*].

Ὅτι ὁ Κύριος λαὸν ἐκ γῆς Αἰγύπτου σώσας, τὸ δεύτερον τοὺς μὴ πιστεύσαντας ἀπώλεσεν, quod Dominus populum de terra Aegypti servans, tamen eos, qui non crediderunt, perdidit] *Ὁ Κύριος* hic, ut in rebus Veteris Testamenti est יהוה, quod Graeci vertunt *Κύριος*, quia legebatur אדני. Nam quod hic in Latino est *Iesus* venit ex Graecorum librorum compendio, in quibus scriptum fuit ῑς pro κῡς. *Δεύτερον* autem hic valet *ex contrario*, quomodo et *πάλιν* sumitur Matth. 4: 7 et Iac. 5: 18. *Perdidit* nempe per serpentes, per morbos, per Angelum, per manus Levitarum. Vide 1 Cor. 10: 5, 8, 9 et 10, Hebr. 2: 2. *Μὴ πιστεύσαντας* dicit pro *ἀπειθήσαντας*, quia qui *non obediunt* ostendunt se *non credere*, aut *non credere ut oportet*. Sic Hebr. 4: 2 ὁ λόγος [*sermo*] dicitur *μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι* [*non commistus cum fide apud eos, qui audierant*].

6. *Ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν, Angelosque, qui non servaverunt suum principium*] *Principium suum*, id est, statum in quo a principio fuerunt: *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Minutius: *Simplicitatem substantiae suae onusti et immersi vitiis perdiderunt.* Liber de Morte Mosis ait de iisdem: *Aza et Azael coelo descendentes viam suam corruperunt.* Christus de eorum Principe: *Ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν* [*In veritate non stetit*], Ioh. 8: 44. Contra de bonis Angelis Hierocles: *Μηδὲ ἐν λήθῃ ποτὲ γιγνόμενοι μήτε τῆς ἑαυτῶν οὐσίας, μήτε τῆς τοῦ πατρὸς ἀγαθότητος* [*Nec suae naturae unquam, nec patris bonitatis obliti*].

Ἀλλὰ

'Αλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, sed dereliquerunt suum domicilium] Desertis lucis supernae locis venere ad inferiora.

Εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine servavit] Id est, Lege ineluctabili vult illos in locis a luce superna remotis circa terram detineri ad tempus usque iudicii. Idem sensus et verba similia 2 Petr. 2: 4.

7. *'Ως Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, sicut Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates*] Adama et Zeboim: שכניה [*vicinae eius*] Ier. 49: 18. Et *πόλεις* dixit pro *hominibus*, ut et Graeci saepe.

Πόλις γάρ εἰσιν ἄνδρες, οὐκ ἐρημία.
[*Non solitudo, sed viri sunt civitas.*]

Τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, simili modo exfornicatae et sectantes carnem alienam] Sic 2 Petr. 2: 10, *Μάλιςα δὲ τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους* [*Magis autem eos, qui carnem concupiscentia immunditiae ducti sectantur*], ubi diximus voce *carnis*, sive, ut hic est, *carnis alienae* בשר זר, intelligi non tantum eam quae naturae legibus non convenit, sed omnem quae nostra non est, id est, extra matrimonium. Nam et illi Sodomorum vicinarumque urbium habitatores, sicut Carpocratiani, in omnem Venerem erant proiecti. Nec minus generale verbum *ἐκπορνεύεσθαι*, quomodo verti solet Hebraeum זנה. Vide et quae de voce *πορνείας* diximus ad Matth. 5: 32.

Πρόκεινται δεῖγμα, propositae sunt exemplum] *'Υπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν* [*Exemplum eorum, qui impie acturi sunt*], 2 Petr. 2: 6. Et bene *πρόκεινται*, id est, *velut ob oculos positae sunt*. Vide Hebr. 6: 18, 12: 1, 2.

Πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι, ignis aeterni poenam sustinentes] In Manuscripto *ὑπερέχουσαι* [*exhibentes*]: ut sensus sit, eas urbes incensas *instar exhibere ignis aeterni* qui impios exspectat.

8. *'Ομοίως μέντοι καὶ οὗτοι, similiter tamen et hi*] *"Ομως μέντοι* in Manuscripto, id est, *nihilominus*, quamvis tanta exempla habeant ante se.

'Ενυπνιαζόμενοι, somniantes] Esai. 56: 10 הזים vertitur *ἐνυπνιαζόμενοι*. Significat autem *stulta imaginantes*, ita ut

ut ii qui somniant. Utitur sic illa Hebraea voce Moses Maimonides in Anteloquio Ducis dubitantium. Arabibus, apud quos est saepe ר pro ז Hebraeo, هوس est *insanire.*

Σάρκα μὲν μιαίνουσι, carnem quidem maculant] Corrumpunt mares et feminas, *ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ* [*concupiscentia immunditiae*] dicto loco 2 Petr. 2: 10.

Κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι, potestatem autem contemnunt] *Κυριότητα καταφρονοῦντας*, 2 Petr. 2: 10, unde videmus *ἀθετεῖν* hic esse *contemnere*, ut 1 Thess. 4: 8. בגד modo *ἀθετεῖν* modo *καταφρονεῖν* vertitur.

Δόξας δὲ βλασφημοῦσι, dignitatibus autem maledicunt] Crescit oratio: nam *δόξας* intelligit eos qui in summis sunt honoribus, *τὰς ἐξουσίας τὰς ὑπερεχούσας* [*potestates sublimiores*]. Sic *δόξας οὐ τρέμουσι, βλασφημοῦντες* [*dignitates non metuunt, maledicentes*], 2 Petr. 2: 10. Non mirum id fecisse Carpocratianos, qui leges avitas omnes pro nihilo ducerent.

9. *Ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωϋσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν· Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος, sed vel ipse Michael Archangelus, quum cum Diabolo certaret et altercaretur de Mosis corpore, non est ausus iudicium inferre maledicum, sed dixit, Increpet te Dominus*] *Κρίσις βλασφημίας*, 2 Petr. 2: 11 *κρίσις βλάσφημος*, est, *ultio quam quis sumit maledicendo.* Negaverat in Epistola Simeon, id Angelos facere ubi cum imperiis, quanquam impiis, certandum habent; quod ibi exposuimus. Addit Iudas amplius, ne tum quidem id facere Angelos, ubi cum Diabolo certamen habent, qui et ipse quanquam impius, potestatem quandam a Deo in hunc mundum accepit; unde *κοσμοκράτωρ* [*Princeps mundi*] dicitur. Illa verba *ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος* nihil sensu differunt, sono pene nihil, ab illis quae sunt in Graeco Zach. 3: 2, *Ἐπιτιμήσαι Κύριος ἐν σοί*, יגער יהוה בך [*Increpet te Dominus*], quae verba ibi pronuntiat Angelus magnus, qui et יהוה ibidem vocatur, quod Dei partes agat adversus Diabolum. Illum, qui ibi et *Angelus* et יהוה dicitur, esse Michaelem ibi diximus, hoc argumento quod ille eo tempore quasi defensor esset Iudaeorum, Dan. 10: 13, 21, 12: 1; nunc sub Christo Christianorum Apoc. 12: 7. Quo spec-

spectat et Hermas III. 8. Sed et eadem verba Michaeli, contra Diabolum decertanti de corpore Mosis, quod Michael ex Dei imperio volebat abscondere, Deut. 34: 6, Diabolus autem in apertum proferre ut ad idololatriam populus alliceretur (quod scilicet metuendum fuisse, si id corpus apparuisset, testatur et Iosephus IV. 8), tribuerat Scriptor libri qui Hebraice dicebatur פטירת משה, Graece vero *Ἀνάληψις Μωσέως* [*Assumptio Mosis*], unde haec desumpsit Iudas, velut concesso utens. Solebant Rabbini et Angelis et magnis hominibus tribuere ea verba quae verisimiliter dicere potuerunt. Tale illud quod de Enocho habebimus; et illud quod Hebr. 12: 21 et Act. 7: 26. Similia habes in Midrasch ad Deuteronomium, in Aboth Rabbini Mathan et aliis. Librum illum *Ἀναλήψεως* nominant Origenes *περὶ ἀρχῶν* [*de Principiis*] III. 2 et Epiphanius in Synopsi. Nec dubito, quin indidem sit desumpta narratio quae est apud Clementem Strom. VI. Simile certamen inter Angelos bonos et malos de Abrahae salute et interitu commemorat Origenes Homilia in Lucam 35. In libro Hebraico, qui vocatur דברי הימים של משה [*Verba dierum Mosis*], referuntur verba quaedem Diaboli ad Mosen ante mortem eius, et ministeria quae Angeli Mosi exhibuere. Sed quae hic leguntur verba in eo libro non comparent: unde credibile fit, librum illum *Ἀναλήψεως* pridem intercidisse. *Ἀρχάγγελος* est שר ראשון [*Princeps primus*] Dan. 10: 13, ubi de eodem Michaele sermo. Vide et 1 Thess. 4: 16.

10. *Οὗτοι δὲ ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι βλασφημοῦσιν, hi autem quas res ignorant maledictis insectantur*] 2 Petr. 2: 12, *ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες*, ubi diximus Carpocratianos non intellexisse quanto usui viris probis essent Leges et Imperia. Vide etiam quae diximus ad Rom. 13.

Ὅσα δὲ φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίςανται, ἐν τούτοις φθείρονται, quaecunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur] Pleraque animantia observant sexuum discrimina; ab illis saltem discere debuerant isti. At hoc ipsum illi et actibus suis et *ἀδιαφορίας* [*indifferentiae*] dogmate pervertunt. Confer quae diximus ad 2 Petr. 2: 16, ubi est *ἄφωνον*, id quod ibi in praecedentibus et hoc loco *ἄλογον*. *Muta animantia* ea

so-

solent dicere Latini, ideo quod sermonis usu careant. φθείρονται נַשְׁחִיתוּ, id est, *semet depravant*, passivum pro verbo reciproco. Ieremias de talibus יִבְעֲרוּ *brutescunt*, 10: 8.

11. *Οὐαὶ αὐτοῖς, vae illis*] Est vox conditionem eorum deplorans. Est eadem vox Matth. 11: 21 et alibi saepe, tum in Euangeliis, tum in Apocalypsi, ut 1 Cor. 9: 16.

Ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν, quia in via Caini abierunt] Cain fratri vitam caducam ademit, illi fratribus adimunt aeternam. *Πορεύεσθαι ὁδῷ* הלך בדרך est *facta alicuius imitari*, 2 Petr. 2: 15.

Καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν, et errorem Balaami pro mercede errarunt] Id est, *eundem errorem errarunt quem Balaam, idque pro mercede*. Ἐξεχύθησαν est *errarunt, declinarunt*. Sicut Ps. 73: 2, כאין שפכה אשרי, Graece, *Παρ' ὀλίγον ἐξεχύθη τὰ διαβήματά μου* [*Pene declinarunt gressus mei*]. *Μισθοῦ* vero pro *ἀντὶ μισθοῦ*. Sic dicunt Graeci: *Ὠνησάμην πέντε δραχμῶν* [*Quinque drachmis emi*]. Heraclitus: *Χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι· ψυχῆς γὰρ ὠνεῖται* [*Irae pugnare difficile. Animo quippe venit*]. Aeschines: *Αἵματος ἡ ἀρετὴ ὠνία* [*Sanguine virtus emitur*]. Menander de adultero: *Θανάτου γάρ ἐστιν ὤνιον* [*Nam morte constat*]. Sensus huius loci est: Sicut Balaam mercedis causa incentor fuit libidinum, sic et illi. Confer 2 Petr. 2: 15 et ibi dicta.

Καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ ἀπώλοντο, et seditione Core pereunt] Est ἀόριστος [*aoristus*] pro futuro, aut pro praesenti, ut *pereunt* sumamus pro *ruunt in exitium*. Ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ, id est, ὡς τοῦ Κορέ· nam illa particula saepe apud Hebraeos subintelligitur. Ἀντιλογία hic est ea vox quae in libris Mosis transfertur מריבה, quod saepe *seditionem* significat. Illa erat seditio contra Mosen, haec contra Christum. Vide quae diximus de verbo ἀντιλέγεσθαι Luc. 2: 34, Rom. 10: 21, Hebr. 12: 3. Haec omnia denunciant Carpocratianis exitium illud in quod per Barchochebam, sectati partes eius, inciderunt.

12. *Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες*] *Dedecori sunt vestris Agapis*, id est, conviviis quae memoria Dominicae mortis claudebantur. Vide 2 Petr. 2: 13, ubi quidam Codices, ut et hic nonnulli, *ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν* [*in deceptionibus suis*], errore manifesto. Quod hic

σπιλάδες, id in Epistola Simeonis σπῖλοι, מומם Deut. 32: 5.

Συνευωχούμενοι ὑμῖν, *convivantes vobiscum*] Et hoc de illa Epistola transumptum est.

Ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, *secure semetipsos pascentes*] Ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν [*Voluptati ducentes in diem saginari*], ut in dicta Epistola legendum censuimus. Sed verba quae hic sunt respiciunt illa Ezech. 34: 8 et 10, רעים אותם, ubi in Graeco, ἐβόσκησαν ἑαυτοὺς, *se dum saginent, gregem negligunt*. Ἀφόβως hic est *secure*, מפחד Prov. 1: 33, per μετωνυμίαν [*transnominationem*], quia qui curam habet, is et metuit.

Νεφέλαι ἄνυδροι, *nubes sine aqua*] Sic πηγαὶ ἄνυδροι [*fontes sine aqua*] 2 Petr. 2: 17.

Ὑπὸ ἀνέμων παραφερόμεναι, *quae a ventis circumferuntur*] Ibi est νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι [*nebulae turbinibus exagitatae*]. Duo notat in illis, quod nihil ferrent bonae frugis, et quod inconstantes essent. Vide et Iac. 1: 6 et ibi dicta. Sunt איש הרוח [*viri venti*] Os. 9: 7.

Δένδρα φθινοπωρινὰ] Si usum vocis respicias, dicit *arbores autumnales*. Sed magis respicitur ἐτυμολογία [*origo*] vocis, ut dicat eos *similes esse arboribus, quarum fructus perit illico*. Sic salices Homero ὠλεσίκαρποι, quae Plinius XVI. 26 vertit *frugiperdas*. Ea quae isti sibi congerunt non diu sunt duratura. Similis comparatio Esai. 1: 30.

Ἄκαρπα] *Nulli bono usui*, quippe bonorum operum steriles. Vide Matth. 13: 22, Marc. 4: 19, Ephes. 5: 11, Tit. 3: 14, 2 Petr. 1: 8. Adde Matth. 21: 19.

Δὶς ἀποθανόντα, *bis mortuae*] Bis peribunt. Vide Matth. 10: 28. Neque hic bonum habebunt exitum, neque in seculo altero. Simile apud Ieremiam 51: 58, ערר *bis nudata*.

Ἐκριζωθέντα, *eradicatae*] Et hic est ἀόριςος [*aoristus*] pro futuro. Radicitus excindentur; ne nomen quidem sectae erit reliquum. Verbum ἐκριζοῦν habes Matth. 13: 29, 15: 13, Luc. 17: 6. Respondet Hebraeo נתש Ier. 1: 10 et עקר Dan. 7: 8, Soph. 2: 4. De re ipsa vide Esai. 40: 24, Prov. 12: 3, Esai. 5: 24, Ezech. 17: 9, Mal. 4: 1. Non erunt tam felices quam Nabuchodonosor, cui radix servata est, Dan. 4: 12, 20, 23.

13. *Κύματα ἄγρια θαλάσσης*] Esai. 57: 20. Adde Eph. 4: 14. Sicut *saevi fluctus mare turbant*, ita isti orbem totum. Sic Tribunos seditiosos *ventis*, populum *mari* comparat Cicero. Vox *ἀγρίου* a feris fructibus et animantibus ad omnia dura transfertur. In Glossario, *Ἄγριος*, *immanis*.

Ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν αἰσχύνας, *despumantes suas confusiones*] Egregie dictum. Nam sicut fluctus sordes ex imo maris eructant, ita illi suas cupiditates ex corde in apertum educunt. *Despumandi* voce in pari re utitur Seneca, et eum saepe imitans Hieronymus, cuius hoc est ad Oceanum: *Venter mero aestuans cito despumat in libidines*. *Αἰσχύνας* figurate dictum pro *iis quorum merito eos pudere deberet*, [Hebrew].

Ἀστέρες πλανῆται] *Stellas* vocant Hebraei eos qui Doctores sunt aut Doctorum sibi personam sumunt. Vide quae dicta ad Matth. 24: 29. Stellarum aliae dicuntur *ἀπλανεῖς*, *inerrantes* Ciceroni, et *infixae*; aliae *πλανῆται*, quae modo *errantes*, modo *vagae*, aliis *erraticae* dicuntur. His ergo Carpocratianos comparat, quia se non tenebant in una statione, id est, in doctrina semel ab Apostolo tradita. Vide supra 3 et 12.

Οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται, *quibus procella tenebrarum servata est in aeternum*] Egregia oppositio. Volunt dici *sidera*; sed *perpetuae eos tenebrae exspectant*. Sunt autem verba desumpta ex 2 Petr. 2: 17, ubi dicta vide.

14. *Προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ*, *vaticinatus est autem de his septimus ab Adamo Enoch*] Solebant, ut modo dixi, Rabbini et Angelis et viris magnis tribuere ea dicta quae dixisse poterant. Ea vero verba quae hic citantur ut Carpocratianis bene convenientia, reperiebantur in libro qui dicebatur *Ἀποκάλυψις Ἐνώχ* [*Revelatio Enochi*], quo usus est Celsus, et particulam ex eo produxit, quam habes apud Origenem contra Celsum libro V. Inde etiam sumpsit Irenaeus quod habet IV. 30. Tertullianus inde hoc hausit et in librum de Idololatria transtulit: *Antecesserat Enoch, praedicens omnia elementa, omnem mundi censum, quae coelo, quae mari, quae terra continentur, in idololatriam versuros*

Daemonas et spiritus desertorum Angelorum, ut pro Deo adversus Dominum consecrarentur. Et de Cultu feminarum I ait Enochum filio suo Mathusalae mandasse, ut notitiam eorum quae ipse haereditaria traditione audierat posteris suis traderet. Clemens Alexandrinus in Excerptis indidem citat: *Καὶ εἶδον τὰς ὕλας πάσας* [*Et vidi omnes materias*]. Ibidem paulo post ab Enocho ait traditum, *Angelos desertores fuisse, qui hominibus Magistri fuerint Astronomiae, Divinationis, aliarumque artium.* Iudaei ei libro fidem tribuebant: nam citatur in Zohar. Habuit Georgius Syncellus librum Graecum eo nomine, unde nobis partem satis magnam dedit Iosephus Scaliger in doctissimis ad Eusebium Notis; in qua et illa sunt de artibus quas homines Angelorum ministerio acceperint. Credo initio librum fuisse exiguum, sed cum tempore quemque ea quae voluit ei addidisse, ut in libris illis abstrusioribus factum est saepe. Dicit autem *προεφήτευσε τούτοις*, quia praedixit id quod illis est eventurum. Par constructio Ier. 27: 15 et alibi. Dicitur autem Enoch *septimus ab Adamo*, id est, hominum septimus si Adam primus numeretur.

Λέγων· Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος, dicens: Ecce venit Dominus] Praeteritum pro futuro. Sic Ps. 50: 3, יבא אלהינו, id est, *vindictam faciet*, interprete Chaldaeo. Pro eo Rabbini dicunt שם אתיה, מרן אתא [*Nomen, Dominus venit*].

Ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ, cum sanctis millibus suis] מרבבת קדש Deut. 33: 2, ubi LXX, *σὺν μυριάσι Καδὴς* [*cum myriadibus Cades*], ut Aquila, *ἀπὸ μυριάδων ἁγιασμοῦ* [*a myriadibus sanctificationis*]; ubi Aquila rectius credit קדש esse appellativum: at LXX recte מ verterunt per σύν. *Ἁγίους* vocari Angelos notavimus ad 1 Thess. 3: 13, ubi quae dicta nihil opus repeti. Similis Dei descriptio Dan. 7: 10.

15. *Ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, ut iudicium exerceat contra omnes*] Quod tunc Enoch aut dixit aut dicere potuit imminente Diluvio, idem Iudas ad ingentem illam internecionem quae Iudaeis contumacibus imminebat referre commode potuit. *Κρίσιν ποιεῖν* habes et Ioh. 5: 27: Hebraei dicunt עשה משפט.

Καὶ

Καὶ ἐλέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν et omnes eorum impios castiget] *Αὐτῶν* abest in Manuscripto. Ἐλέγξαι הכי idem est *castigare*.

Περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν, ὧν ἠσέβησαν, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt] Ἀσεβεῖν, פשע. Hoc ad facta pertinet.

Καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra eum] Hoc ad dicta. *Σκληρὰ, dura auditu*, Ioh. 6: 60, Gen. 42: 7, 30. Sic et Ps. 31: 19, 1 Sam. 2: 3, Prov. 18: 23, עזות. Talia verba Lamech locutus erat Enochi tempore.

Ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς, peccatores impii] In homines Deumque iniurii.

16. *Οὗτοί εἰσι γογγυσταὶ, hi sunt obtrectatores*] Hic iterum Iudas incepit suis verbis loqui. *Γογγυσταὶ* sunt qui libenter obtrectant superioribus, ut diximus 1 Cor. 10: 10, מתאוננים Num. 11: 1.

Μεμψίμοιροι] *Non contenti modicis: non cupientes intra fortunam suam esse*, ut Propertius loquitur. In Glossario, *Μεμψίμοιρος, querulus: μεμψιμοιρία, λάθριος ψόγος* [*querela, occultum vituperium*] apud Clementem Alexandrinum Paed. I. 9. Querebantur illi de imperio Romano, quo tamen nullum externum Iudaeis fuerat, aut futurum erat lenius.

Κατὰ τὰς ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι, secundum cupiditates suas ambulantes] Ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους [*in libidine immunditiae ambulantes*] vocat eosdem homines Epistola quae *Secunda Petri* dicitur. Omnia illi libidinum genera sectabantur.

Καὶ τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα, et os eorum loquitur superba] Et hoc ex eadem Epistola 2: 18. Mira iactabant de virtutibus illis qua superiores essent Mundi fabricatoribus.

Θαυμάζοντες πρόσωπα ὠφελείας χάριν, mirantes personas quaestus causa] Supple εἰσι [*sunt*]. *Θαυμάζειν πρόσωπον δυνάστου* הדר פני גדול Levit. 19: 15, est *iudicium gratificari ei qui potentior est.* Sic illi divitibus, qui in Ecclesia erant, adulabantur, vitiis eorum favendo, idque ut ex eorum largitionibus quaestum facerent. Sic et 2 Petr. 2: 14, δελεάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους, καρδίαν γεγυμνασμένην πλεο-

 νε-

...νεξίαις ἔχοντες [inescantes animos instabiles, cor peritum avaritiae habentes].

17. Ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοί, *vos autem, carissimi*] Vos qui multum ab illis distare debetis.

Μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων, *memores estote verborum, quae praedicta sunt*] Id est, *quae pridem dicta sunt*. Eadem locutio 2 Petr. 3: 2. Intellige autem non tantum quae scriptis mandata, sed et quae voce dicta per manus tradebantur.

Ὑπὸ τῶν ἀποστόλων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi*] Maxime a Petro, Paulo, Iohanne. Vel hinc videas Scriptorem hunc aliquanto posteriorem fuisse Apostolis.

18. Ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, ὅτι ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, *qui dicebant vobis, novissimo tempore*] Id est, *tandem*, באחרית הימים, quod verti solet ἐν ἐσχάταις ἡμέραις 2 Tim. 3: 1, ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων [*novissimis diebus, temporibus*] 1 Petr. 1: 20. In Manuscripto est hic, ἐπ' ἐσχάτου τοῦ χρόνου.

Ἔσονται ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν, *erunt illusores secundum cupiditates suas ambulantes impietatum*] Sumptum ex 2 Petr. 3: 3, ὅτι ἐλεύσονται ἐπὶ τοῦ ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι [*venturos novissimis diebus illusores, iuxta proprias libidines ambulantes*]. Dicuntur ἐμπαῖκται maxime quod resurrectionem irriderent. Illud τῶν ἀσεβειῶν construitur cum τὰς ἐπιθυμίας estque vice ἐπιθέτου [*agnominis*], quae *cupiditates* sunt *impietatum*, id est, plane impiae. Pro ἔσονται Manuscriptus habet ἐλεύσονται [*venient*].

19. Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποδιορίζοντες] Supple ἑαυτούς: quod addi nihil necesse est, cum soleat subaudiri apud Hebraeos tam in activo quam in passivo. Idem est quod modo dicet διακρινομένους, *qui semet a caeteris separant sive distinguunt*, quasi multo sapientiores ac peritiores essent aliis; cum magno contemtu aliorum, פרושים.

Ψυχικοί, *animales*] Non curant nisi res huius vitae, 1 Cor. 2: 14, Iac. 3: 15. Hoc nomen contra eos, qui Ecclesiae Romanae adhaerebant, Tertullianus, sed Montanizans, arripuit.

Πνεῦ-

Πνεῦμα μὴ ἔχοντες, spiritum non habentes] Iactant se miras habere inspirationes, at nullas habent.

20. *Ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοὶ, τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτοὺς, vos autem, carissimi, inaedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei*] Illa τῇ ἁγιωτάτῃ πίστει in Manuscripto postponuntur, et coniunguntur cum sequente exhortatione ad preces, quae certe fidem requirunt. Solet autem et ἐποικοδομεῖν et ἐποικοδομεῖσθαι simpliciter poni pro *dare profectum* et *proficere*, sive *assurgere*, Act. 20: 32, Col. 2: 7.

Ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσευχόμενοι, in Spiritu sancto orantes] *Dictante Spiritu sancto*, Rom. 8: 26.

21. *Ἑαυτοὺς ἐν ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ τηρήσατε, vos ipsi in dilectione Dei conservate*]. Ἀγάπη τοῦ Θεοῦ et dici potest et dicitur modo qua Deum diligimus, modo qua Deus nos diligit. Huic loco prior significatio melius convenit. *Date operam, ut vosmet conservetis in dilectione erga Deum*; quod fit tum per preces, tum per actus pios. Locutio non dissimilis Ioh. 17: 11.

Προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ζωὴν αἰώνιον, exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam] Ἔλεος חסד, *beneficium*: εἰς ζωὴν αἰώνιον, *per quod consequamur vitam aeternam*. Est quidem ea promissa; sed quod liberaliter promittitur ex suo fonte nomen *beneficii* retinet.

22. *Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, et aliorum quidem, habito delectu, misereamini*] Manuscriptus, καὶ οὓς μὲν ἐλέγχετε διακρινομένους [*et hos quidem arguite iudicatos*]. Nec aliter legit Latinus. At sensus hic videtur esse: *Reprehendite illos qui se caeteris praeferunt*. Ita enim sumitur διακρίνειν 1 Cor. 4: 7. Est autem hic passivum pro reciproco more Hebraeo, Niphal pro Hitpael.

23. *Οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, alios vero per terrorem servate*] Ἐν pro *per*: ἐν φόβῳ terrore iniecto irae Divinae. Sed non est id in Manuscripto hoc loco. Σώζειν autem hominibus tribuitur suo modo 1 Cor. 7: 16, 1 Tim. 4: 16.

Ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες, de igne rapientes] Proverbiale. Vide 1 Cor. 3: 12, Zach. 3: 12, מצל מאש. Sequitur in Manuscripto, οὓς δὲ ἐλεεῖτε ἐν φόβῳ [*aliorum*

autem miseremini per metum] Id est, iam lapsorum miseremini, metuentes ne et vobis quid simile eveniat, Rom. 11: 20.

Μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα, odientes et quae carne maculata est tunicam] Et hoc proverbiale est ei. Lev. 13: 47, 48. *Μισεῖν* hic *μετωνυμικῶς* [*per transnominationem*] est *fugere*. Sicut *μιαίνεσθαι* [*inquinari*] dicitur id quod lepra aut alio morbo contactum est, Hebr. 12: 15, sic et *σπιλοῦσθαι*, *sordescere*. Sic *vestem vulnere infectam* dicit Servius ad IV Aeneidos. Sensus est: Cavenda diligenter omnia per quae mala dogmata aut exempla Carpocratianorum possent irrepere.

24. *Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι αὐτοὺς ἀπταίστους, ei autem qui potens est eos custodire ne cadant*] In Manuscripto φυλάξαι ἡμᾶς ἀπταίστους [*nos custodire ne cadamus*]. At Latinus legit *ὑμᾶς* [*vos*] non male, quomodo est Rom. 16: 25, quem locum ob oculos habuisse videtur Iudas. Ibi est *στηρίξαι* [*sustinere*] quae hic *φυλάξαι ἀπταίστους*. Qui aliquem *sustinet*, is eum *custodit ne cadat*. Voce *ἀπταίστου* utuntur Xenophon et Plutarchus. Hebraeis *ἄπταιστος* לא נפל. *Στηρίζειν* et *φυλάσσειν ἀπὸ τοῦ πονηροῦ* [*custodire a malo*] coniungit Paulus 2 Thess. 3: 3. De Deo agi ostendunt sequentia.

Καὶ στῆσαι κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ ἀμώμους ἐν ἀγαλλιάσει, et constituere coram Maiestate ipsius immaculatos cum exsultatione] Sic *παραστῆναι ὑμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους* [*exhibere vos sanctos et immaculatos*] habes Col. 1: 22. Et in Manuscripto pro *ἀμώμους* est *ἀμέμπτους* [*inculpatos*], ut 1 Thess. 3: 13. *Κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ*, quasi dicas, *coram Maiestate ipsius*. Sic et *δύναμις τοῦ Θεοῦ* [*virtus Dei*] pro *Deo* Luc. 22: 69. *Ἐν ἀγαλλιάσει* בששון *cum summo gaudio*, nempe tunc cum pii intrabunt in Regnum Dei.

25. *Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, soli sapienti Deo*] Sic et 1 Tim. 1: 17. Sic dicitur quia solus sapientiam a se habet.

Σωτῆρι ἡμῶν, Servatori nostro] Hoc nomen non semper Christo, sed interdum et Deo datur, tanquam causae principi salutis nostrae, ut 1 Tim. 2: 3, Tit. 1: 3, 3: 4.

Sed

Sed Manuscriptus adiicit *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ Κυρίου* [*per Iesum Christum Dominum*], quae et Latinus legit.

Δόξα καὶ μεγαλωσύνη, κράτος καὶ ἐξουσία, gloria et magnificentia, imperium et potestas] In Manuscripto legitur, δόξα, μεγαλοσύνη, κράτος καὶ ἐξουσία, הוד והדר כבוד ועז. Habes *δόξαν* et *κράτος* in simili exclamatione 1 Petr. 4: 11 et 5: 11. Addidit Iudas *ἐξουσίαν* ממשל, agnoscens in Deo non *potentiam* tantum, sed et *ius imperandi*, et *μεγαλοσύνην* גדלה, quam vocem habemus et Hebr. 1: 3, 8: 1.

Καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας, et nunc et in omnia secula] In Mannscripto *πρὸ παντὸς τοῦ αἰῶνος καὶ νῦν* [*ante omne seculum et nunc*] id est, Sicut ea habuit ante omne tempus, sic et nunc habet, et habebit semper. Sic legit et Latinus.

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

ANNOTATIONES

AD

APOCALYPSIN.

Cur de huius libri auctoritate et auctore addubitatum sit, causas esse arbitror, quod diu in paucorum fuerit manibus, non additus Codicibus in vulgus datis, ne accenderentur Imperantium in Christianos odia ex his quae de Roma hic praedicuntur. Deinde, quod quae hic dicuntur de resurrectione, de mille annis, de Gogo et Magogo, ea sono congruunt cum Iudaicis libris, et quanquam hic sensu posita alio, attamen a Cerintho et Christianis plus aequo Iudaizantibus in sensum plane Iudaicum rapiebantur; ut et illud de Hierosolymis ex coelo delapsis. At vero Apostoli Iohannis esse hunc librum credidere illi quibus merito creditur, Iustinus Contra Tryphonem, Irenaeus IV. 37, 50, V. 30, Tertullianus Adversus Marcionem IV et aliis multis in locis: quibus consentiunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, et post eos alii multi. Adiiciam de hac re Dionysii Alexandrini locum: *Ἐγὼ δὲ ἀθετῆσαι μὲν οὐκ ἂν τολμήσαιμι τὸ βιβλίον, πολλῶν αὐτὸ διὰ σπουδῆς ἐχόντων ἀδελφῶν. Μείζονα δὲ τῆς ἐμαυτοῦ φρονήσεως τὴν ὑπόληψιν τὴν περὶ αὐτοῦ λαμβάνων, κεκρυμμένην εἶναί τινα καὶ θαυμασιωτέραν τὴν καθ᾽ ἕκαστον ἐκδοχὴν ὑπολαμβάνω. Καὶ γὰρ*

εἰ

εἰ μὴ συνίημι, ἀλλ' ὑπονοῶ γε νοῦν τινα βαθύτερον ἐγκεῖσθαι τοῖς ῥήμασιν· οὐκ ἰδίῳ ταῦτα μετρῶν καὶ κρίνων λογισμῷ· πίστει δὲ πλεῖον νέμων, ὑψηλότερα ἢ ὑπ' ἐμοῦ καταληφθῆναι νενόμικα. [*Ego repudiare eum librum non ausim, quem tam multi fratres in pretio habent, denique ita de eo sentio, ut eum mei ingenii aciem putem excedere et debere omnia quae in eo leguntur, arcaniore quodam ac diviniore sensu accipi, quam prae se ferant. Nam quanquam non assequor, at auspicor tamen profundiorem sensum in verbis latere. Nec ego haec meo ingenio aut metior aut iudico, sed fide ductus sublimiora haec esse credo, quam ut ea ego capiam*]. Credo autem ab Iohanne Presbytero Apostoli discipulo custoditum huno librum: inde factum, ut eius esse opus a quibusdam per errorem crederetur. Quod autem in quibusdam libris inscribitur Ἰωάννου Θεολόγου [*Iohannis Theologi*], non aliunde factum est, quam quod post Origenem Christiani, quem titulum Orpheo dant Platonici, meliori iure dederunt Iohanni. Id verum esse, apparet ex ipso Origene, Athanasio, Chrysostomo, et Cyrillo utroque.

CAPUT I.

1. Ἀποκάλυψις, *Apocalypsis*] גלה ἀποκαλύπτεσθαι [*revelari*] saepe est apud Danielem de iis rebus quarum cognitio Divino munere habetur. Inde ἀποκάλυψις, quo nomine dicebatur liber ille Enochi, de quo diximus ad Iudam. Apud Esaiam 25: 7 בלע הלוט [*ademit operimentum*] est circumlocutio ἀποκαλύψεως. Graeci verterunt Παράδος ταῦτα πάντα τοῖς ἔθνεσιν [*Trade haec omnia Gentibus*]. Utitur voce ἀποκαλύψεως hoc sensu Paulus, ut 1 Cor. 14: 26, 2 Cor. 12: 1, 7, Gal. 2: 2.

Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Iesu Christi*] Id est, *facta per Iesum Christum*.

Ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, *quam dedit illi Deus*] Sicut enim potestas, ita et cognitio talium in Christo est a Deo Patre, Ioh. 7: 16, 14: 10, infra 5: 7. Sic Esaias de filiis suis rerum futurarum praenuntiis, אשר נתן לי יהוה [*quos dedit mihi Dominus*] 8: 18.

Δεῖ-

Δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ] Pro *εἰς τὸ δεῖξαι*, *ut ipse Christus servis suis*, id est Christianorum praecipuis, *ista patefaceret*, ex promisso quod est Ioh. 16: 12. Par loquendi genus, Luc. 1: 72, Ioh. 6: 62 et alibi.

Ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, quae cito fieri oporteat] Alia citius; serissima, uno aut altero loco exceptis qui obiter adduntur caeteris, intra annos supra quingentos. Parum enim hoc ad tempus quo stetit mundus. Sic Agg. 2: 6 *adhuc modicum* esse diximus *annos quingentos*. *Ἃ δεῖ γενέσθαι*, די להוא מה, Dan. 2: 28.

Καὶ ἐσήμανεν] Copula pro pronomine relativo: *quae significavit*. Hebraei dicerent אשר.

Ἀποστείλας διὰ τοῦ ἀγγέλου αὐτοῦ, mittens per Angelum suum] Modo per hunc, modo per illum Angelum, quem miserat. Est autem constructio non dissimilis Matth. 2: 16 et 14: 10. Disce hinc etiam, cum Deus aut Christus dicitur apparuisse, id intelligi debere per Angelum Dei aut Christi nomine agentem et ipsius attributa repraesentantem. Vide quae diximus in commentario ad Decalogum et ad Act: 18: 9. Vide infra 15.

Τῷ δούλῳ αὐτοῦ Ἰωάννῃ, servo suo Iohanni] Non dicit *Apostolo:* quia qui Divinis visis illustrantur, eos maxime decet animi submissio. Sic et Esaias *servum Dei* se vocat 49: 5 et Daniel 9: 17. Nomen autem suum et ponere et repetere aliquoties solent Prophetae, ut qui ipsos viros bonos credunt, etiam dictis eorum adhibeant fidem.

2. *Ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*] Quia *Iohannes* יוחנן nomen erat multis commune, ideo propius se designat, et se eum esse dicit *qui verbum Dei*, id est, Euangelii praecepta, *annuntiavit* populis compluribus. *Μαρτυρεῖν* plerumque dativum regit; at hic accusativum, quia ponitur pro *κηρύσσειν* sive *ἀναγγέλλειν*. Vide Ioh. 21: 24 et infra 22: 16, 20.

Καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, et testimonium Iesu Christi] *Ἐμαρτύρησε μαρτυρίαν* locutio et Hebraica et Graeca. Sic 2 Reg. 17: 15, *Μαρτύρια αὐτοῦ ὅσα διεμαρτύρατο* [*Testimonia eius, quae contestatus est*]. Est autem hoc loco *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Nam per *μαρτυρίαν* intelliguntur res ipsae de quibus fertur testimonium, ea quae fecit Christus, ut ostendunt sequentia.

Ὅσα

Ὅσα εἶδε, καὶ ἅτινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα, quaecunque vidit, tum ea quae sunt, tum ea quae posthac futura sunt] Manuscripti optimi nihil habent amplius quam ὅσα εἶδε, nec aliter legit Latinus. Caetera ex commate infra 19 huc irrepsere. Explicat quid intelligat μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, nempe ea quae ipse viderat Christi miracula, mortem, vitam redditam, evectionem in coelum. Vide 1 Ioh. 1: 1—3.

3. *Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων, beatus qui legit*] Sic Dan. 12: 12, μακάριος ὁ ὑπομένων [*beatus qui exspectat*]. Christianis ubique vexatis magnum solatium adferre poterant praesignificatae Dei ultiones in Iudaeos et Romanos. Vide infra 13: 10.

Καὶ οἱ ἀκούοντες τοὺς λόγους τῆς προφητείας, et qui audiunt verba vaticinii] Id est, ταύτης προφητείας [*huius vaticinii*], quomodo accepit Latinus. Vide quae diximus Rom. 11: 29. Addit hoc quia liber hic non statim ad omnes erat perventurus; sed qui eum nacti erant, aliis ea quae legerant bona fide erant recitaturi.

Καὶ τηροῦντες τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα] *Memori animo retinentes haec scripta*, ut nempe cum eventibus compararentur: unde magis et magis in fide roborantur Christiani. Τηρεῖν hic quod συντηρεῖν Luc. 2: 19, διατηρεῖν ibidem 51.

Ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς, tempus enim prope adest] Quorundam; ut de bellis civilibus Romanorum, de Hierosolymorum excidio. Frequens apud Prophetas קרוב יום [*prope est dies*], ut Deut. 32: 35, Esai. 13: 6, Ier. 48: 16, Ioel. 1: 15, Abd. 15, Soph. 1: 7, 14. Non vult sibi obiici Iohannes, quod Ezechieli obiectum fuerat 12: 27. De voce καιρὸς vide Act. 1: 7.

4. *Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις ταῖς ἐν Ἀσίᾳ, Iohannes septem Ecclesiis, quae sunt in Asia*] Praecipuis Ecclesiis in Asia proprie sic dicta, ubi fuerat Regnum Gog. Ad eas specialiter scribit, quia dum poterat, eas praesens rexerat. Sed sub earum nomine tacite comprehendit et alias Ecclesias, quia earum status et qualitates ad septem quasi genera possunt revocari, quorum exemplum praebent illae Asiaticae.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη, gratia vobis et pax] Eodem modo

do

do Paulus Ecclesias salutare solet, ut 1 Cor: 1: 3, 2 Cor. 1: 2, Gal. 1: 3, Eph. 1: 2 et alibi.

Ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est] Noluit hos articulos et participia declinare, ut eo magis Dei immutabilitatem ostenderet; quomodo Proclus dicit *μετὰ τοῦ ἓν* [*cum illo Unum*] ad Timaeum, ut diximus ad Marc. 6: 40. Quia vero *εἰμὶ* non habet participium praeteritum, ideo ad praeteriti significationem coactus fuit uti voce modi indicativi. Sic et infra 4: 8, 11: 17. *Ἐρχόμενος* autem significat idem quod Latine *futurus*, ut et infra 4: 8 et Ioh. 16: 13, Act. 18: 21 et alibi. Hebraei sic usurpant הבא. Sic et 1 Thess. 1: 10, *ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης* [*ab ira ventura*], idem quod *ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς* [*ab ira futura*], Matth. 3: 7, Luc. 3: 7. Vide et Hebr. 10: 37.

Καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων ἃ ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ, et a septem Spiritibus qui coram throno eius sunt] In Manuscripto *πνευμάτων τῶν ἐνώπιον*. *Septem Spiritus* et hic et infra 5: 6 et 8: 2 esse Angelos multi putarunt, quia receptum est apud Hebraeos septem esse maximos Angelos qui Deo adstent, nempe quomodo septem Principes adstabant Regi Persarum; quae aula quia erat magnificentissima, ideo ad eius formam Dei aulam formant Hebraei. Vide Tob. 12: 15, Matth. 18: 10, et utrobique a nobis dicta. Adde Hermam II. 9, Clementem Strom. VI. Sed recte omnia qui expendet, et conferet locum qui infra est 5: 6, ubi itidem Spiritus dicuntur *oculi Dei*, per quos oculos diximus ad Zach. 4: 10, significari multiformem Dei providentiam, eo potius feretur ut hic existimet denotari septem illa velut membra Divinae providentiae quae nominantur infra 5: 12 et 7: 12. Et sic erit *ἓν διὰ δυοῖν* [*unum per duo*]. Optatur enim *pax a Deo et septem Spiritibus*, id est, a Deo per septem hos modos operante. Firmat hanc interpretationem quod infra capite 5 distinguuntur *Spiritus* et *Angeli*.

5. *Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ*] Non a Deo tantum Patre per illos quos diximus modos operante, sed et *a Iesu Christo* optat Ecclesiis prospera omnia. Sic et Paulus Rom. 1: 7, 1 Cor. 1: 3 et alibi.

Ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, qui est testis fidelis] Etiam hic nomi-

minativos usurpavit ἀκλιτῶς [indeclinabiliter], ut sicut Dei immutabilitatem significaverat, ita et Christi in testimonio suo et regno immutabilitatem significaret. Vide Hebr. 13: 8 et 2 Cor. 1: 20. Dicitur autem Christus ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς, quia in omnibus quae Dei nomine ad nos pertulit, et quorum multa a Christo generaliter dicta in hoc libro specialiter explicantur, dignissimus est cui credatur. Vide Esai. 55: 4, Ioh. 3: 3, 8: 38, 18: 37, et de voce πιςὸς 1 Tim. 1: 15. Idem titulus Deo ipsi tribuitur Ps. 89: 37.

Ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, primogenitus mortuorum] Id est, *Qui mortuorum primus ad vitam resuscitatus est immortalem.* Vide 1 Cor. 15: 20, Col. 1: 18 et ibi dicta. Resurrectio est nativitas quaedam, Matth. 19: 28, Act. 13: 33.

Καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, et princeps Regum terrae] Matth. 28: 18, infra 19: 6. Hoc vult: Nolite, quominus Christi praecepta et exemplum sequamini, timere Mundi huius Reges. Christi enim tanta est potentia, ut ubi volet eos sit destructurus, aut sibi subiecturus. Daniel Deo eundem titulum dederat 4: 17.

Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, qui dilexit nos]. Novus incipit sensus, et connectuntur hi dativi cum eo quod sequitur αὐτῷ ἡ δόξα. Vere autem Christo convenit hic titulus, ut discere est Ioh. 13: 34, 15: 9. In Manuscripto, τῷ ἀγαπῶντι [*qui diligit*], ut indicetur perpetua dilectio.

Καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, et lavit nos a peccatis nostris sanguine suo] *Sanguine suo*, id est, morte tolerata, certos nos reddidit veritatis eorum quae docuerat, quae talia sunt ut nihil sit aptius ad purgandos a vitiis animos. Confer Esai. 4: 4, Eph. 5: 26, Rom. 3: 25, 5: 9, Eph. 1: 7, 2: 3, Col. 1: 14, Hebr. 9: 14, 10: 19, 29. Humidae naturae, sub qua est et sanguis, proprium est *lavare*. Id vero per egregiam ἀλληγορίαν [*allegoriam*] ad animam transfertur. Dicitur autem Christus *suo sanguine nos lavisse*, quia et ipse omnia praestitit quae ad id requirebantur, et apparet secutum in plurimis effectum. In Manuscripto λύσαντι ἡμᾶς ἐκ τῶν ἁμαρτιῶν [*qui solvit nos ex peccatis*]. Meminit utriusque lectionis Arethas.

6.

6. *Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ, et fecit nos Regnum et Sacerdotes Deo et Patri suo*] Hic iterum locutio qualis supra *ἐσήμανεν*· est enim copula cum verbo loco participii: recta enim locutio fuerat *ποιήσαντι*. Deinde *βασιλείαν* pro *βασιλεῖς* [*reges*], sicut *ἱεράτευμα* [*sacerdotium*] pro *ἱερεῖς* 1 Petr. 2: 5, 9. Sic et infra 5: 10. Latinus, *fecisti nos Deo nostro Regnum et Sacerdotes*. Et illud *καὶ* ante *πατρὶ* est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum*] ut 2 Cor. 1: 3, 11: 31, Eph. 1. 2, Col. 1: 3, 2: 2, 3: 17, 1 Thess. 1: 3, 2 Thess. 2: 16, Iac. 1: 27, 3: 9. De re ipsa diximus ad dictum Petri locum. *Reges* sunt Christiani ob victorias de carne, mundo, Diabolo; *Sacerdotes*, quia Deo offerunt corpus purum, preces sanctas, opera pietatis et misericordiae. Rectius igitur nos usurpabimus dictum illud Stoicorum, *Μόνος ὁ σοφὸς ἱερεύς* [*Solus sapiens Sacerdos*]; de quo egregia habet, quanquam non accedentia ad *τὸ τέλειον* [*perfectionem*], Hierocles ad illud Aurei carminis,

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα —

[*Primum immortales* —].

Iustinus Colloquio cum Tryphone: *Διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ πρωτοτόκου αὐτοῦ υἱοῦ τὰ ῥυπαρὰ ἱμάτια, τουτέστι τὰς ἁμαρτίας, ἀπημφιεσμένοι, πυρωθέντες διὰ τοῦ λόγου τῆς κλήσεως αὐτοῦ, ἀρχιερατικὸν τὸ ἀληθινὸν γένος ἐσμὲν τοῦ Θεοῦ, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς μαρτυρεῖ, εἰπὼν, ὅτι ἐν παντὶ τόπῳ ἐν τοῖς ἔθνεσι θυσίας εὐαρέστους αὐτῷ καὶ καθαρὰς προσφέρομεν* [*Per nomen primogeniti eius Filii, sordida veste deposita, id est, deposito peccato, per verbum vocationis eius tanquam per ignem explorati, verum Sacerdotale Dei genus sumus, sicut et ipse Deus testatur, dicens, nos ei omni in loco inter Gentes sacrificia accepta et pura offerre*]. Marcus Antoninus libro III: *Ὁ γάρ τοι ἀνὴρ ὁ τοιοῦτος, οὐκ ἔτι ὑπερτιθέμενος τὸ ὡς ἐν ἀρίστοις ἤδη εἶναι, ἱερεύς τις καὶ ὑπουργὸς Θεῶν* [*Huiusmodi sane vir, qui virtutis studium usque adeo non differt, ut iam esse optimus, quam evadere aliquando malit, minister et velut Sacerdos Deorum*], etc. Etiam Paraphrastes Chaldaeus *Sacerdotem* vocat. In Manuscripto hic, *καὶ ἐποίησεν ἡμῖν βασιλείαν τῷ Θεῷ* [*et fecit nobis regnum Deo*].

Αὐ-

Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν, ipsi gloria et imperium in sempiternum. Amen] Eadem verba 1 Petr. 4: 11. Est autem hoc *Amen* et affirmantis et approbantis.

7. *Ἰδοὺ ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν, ecce venit cum nubibus*] Aderit cum magna tempestate adversus incredulos Iudaeos et Romanos. Eximie quidem et *κατὰ κυριολεξίαν* [*secundum proprietatem loquendi*] in ultimo adventu Christus *in nubibus aderit:* sed et omnis alia ultio, quam Deus de inimicis suis sumit, sic figurate describitur; ut Esai. 19: 1, Ezech. 1: 4, Ps. 104: 3, Dan. 7: 13, nempe quia ex nubibus sunt tonitrua, fulmina, grandines. Quae autem Deo tribuuntur in Vetere Testamento, eadem in Novo, et in vaticiniis de Novo, tribui solent Christo, ut Ioel. 3: 13, hic infra 14: 15.

Καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμός, et videbit eum omnis oculus] Ex Esai. 40: 5. Id est, sentient omnes eius vim. Hebraei omnes sensus visionis nomine exprimunt, ut Exod. 20: 18, Ier. 2: 31 et alibi.

Καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, et qui eum pupugerunt] Qui ipsum et Ecclesiam eius omnibus modis vexarunt. Vide Act. 9: 5. Desumpta verba ex Zach. 12: 10. Vide quae ibi diximus. Talia dicta varie usurpantur, quia aut erant proverbialia, antequam Prophetae ea ponerent, aut ex Prophetarum scriptis facta sunt proverbialia.

Καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, et plangent se propter eum omnes tribus terrae] *Ἐπ' αὐτόν*, id est, propter mala ipsi et Ecclesiae eius illata: *ἐπὶ* pro *propter*. Hebraei dicerent עליו. Sic *ἐπὶ τί quamobrem* apud Aristophanem. *Πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς*, id est, Iudaei domi ac foris: deinde etiam populus Romanus et provinciae Romanae. Et hoc ex eodem Zachariae loco sumptum est, sed ea quam dixi libertate. Vox *φυλαὶ* saepe de *populis* usurpatur, ut Gen. 28: 14, Ps. 72: 17, ubi in Hebraeo גוים.

Ναί, Ἀμήν, etiam, Amen] Approbat Iohannes futura Dei iudicia. Idem est *ναὶ* et *ἀμήν*, sicut *ἀββᾶ* et *πατήρ* [*pater*]. Sed placuit uti utroque sermone, quia haec tangunt et Iudaeos et Gentes. Vide 2 Cor. 1: 20 et infra 22: 20.

8. *Ἐγώ εἰμι τὸ Ἄ καὶ τὸ Ὦ, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ Κύριος ὁ Θεός, ego sum A et Ω, principium et finis, dicit Dominus Deus*] In Manuscripto *Ἄλφα καὶ τὸ Ὦ* [*Alpha et Ω*], non male. Nam *Ἄλφα* eo sensu totum pronuntiari solebat. Sic *Alpha penulatorum* apud Martialem. *Ω* autem non aliter quam *Ω* pronuntiabatur. Ausonius:

Et suprema notis adscribitur Argolicis Ω.

Neque enim addi solebat *μέγα* [*magnum*], ut nec *μικρὸν* [*parvum*] ad *ο*, nec *ψιλὸν* [*tenue*] ad *ε* vel *υ*. Est autem locutio a Rabbinis desumpta, qui dicunt מאלף ועד תו [*ab Aleph usque ad Thau*] *ab initio ad finem*, ut Ialkuth ad 2 Sam., Isaac Benarima ad Lev. 26, et contracte א״ת, *principium et finis*, in libro Zohar, in Porta lucis, in Portis iustitiae, Bahir et alii. Iohannes eam locutionem aptavit ad Alphabetum Graecum, quia ipse Graece scribebat. Quid autem hac locutione velit, ex sequentibus facile intelligetur, nempe *Deum eundem et esse semper et fuisse*, ac proinde certa eius promissa: quod olim significatum per יהוה et אשר אהיה [*Iehova, id est, qui est*]. Vide quae dicta ad Exod. 3: 15 et 6: 5. Et adde Esai. 41: 4, 44: 6, 48: 12. Plato: *Ὁ μὲν δὴ Θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων* [*Deus profecto, ut est vetus verbum, principium finemque et medium rerum complectens*].

Ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui est et qui erat et qui venturus est] Supra 1: 4.

Ὁ παντοκράτωρ, omnipotens] Non sine causa et hoc additum. Nam hominibus evenit ut promissa non impleant aut per inconstantiam aut per impotentiam: quare utrumque a Deo removendum fuit. Solet autem per *παντοκράτωρ* verti Hebraeum אלהי צבאות [*Deus exercituum*].

9. *Ἐγὼ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς ὑμῶν, ego Iohannes frater vester*] Eiusdem fidei. *Ego Iohannes*, nempe ille iam designatus.

Καὶ κοινωνὸς ἐν τῇ θλίψει καὶ βασιλείᾳ καὶ ὑπομονῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, et particeps adversorum et regni et patientiae per Christum Iesum] Graeci non videntur legisse *καὶ ὑπομονῇ*. Potest tamen id ferri, si *βασιλείαν* inter-

pre-

preteris *ius ad regnum;* nempe ut participem se dicat Iohannes adversorum, sed cum certa spe regni futuri, quae causa sit cur illa adversa magno animo perferantur. *Κοινωνὸς* est חבר. *Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* est *per Christum, dante Christo.*

Ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, fui in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei] In Manuscripto *ἐγὼ* hic repetitur ante *ἐγενόμην*. In *Patmo* scriptam Apocalypsin tradit Dorotheus, Tyri Episcopus; *Ephesi* scriptam, Eusebius. Utrumque verum est distinctis partibus. Priora in Patmo visa et perscripta, posteriora Ephesi, ut infra dicemus. Fuisse autem Iohannem in Patmo Claudii iussu, et ibi visis illustratum, tradidit Epiphanius in Alogis, non dubium quin Veteres secutus. Et id verum puto. Nam et alii ante excisa Hierosolyma scribi hunc librum coepisse argumentis non malis colligunt. Proconsul Asiae cum intelligeret Ephesi novam exsistere sectam Iudaeorum, cuius princeps esset Iohannes, atque inde turbas oriri, quales illae, quae describuntur Act. 19 scripsit de eo, ut credibile est, ad Claudium peregrinis religionibus inimicum. Cuius iussu Iohannes, quasi seditiosus, deportatus est in insulam, quae frequens poena eo tempore, L. *Rei capitalis* § *Constat* L. *relegati*, D. De poenis: maxime in causa seditionis, L. *Capitalium* § *solent quidem.* D. tit. De poenis; Paulus Sententiarum V tit. XXII § 1. Inter seditiosos autem habiti et illi qui superstitione nova hominum animos commoverent, L. *Si quis aliquid*, tit. De poenis. Electae autem ad hoc plerumque insulae exiguae et prope desertae, qualis Seriphus et Gyaros apud Iuvenalem et Tacitum, Amorgus, Cercina, Pandateria. Talis et Patmos in Aegaeo. Apud Tacitum XV Annalium habes: *Claudio Quieto, Iuliae Agrippae, Blotio Catalino, Petronio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum, Aegaei maris insulae permittuntur.* Firmat hanc de deportatione Iohannis per Claudium facta sententiam, quod Iohannes infra Imperatores Romanos a Claudio numerare incipit, sicut tempora Ezechiel a sua deportatione numerat. Non obstat his quae diximus id quod ab aliis traditum est, a Domitiano lo-

Iohanni irrogatum Patmi exsilium. Nam vetera contra Christianos edicta sustulit Vespasianus, ut ex Tertulliano discimus, restituit autem Domitianus. Quare qui Vespasiani tempore domum ab exsilio redierant, ii iterum in idem exsilium missi sunt a Domitiano. Ea autem visorum pars quae Iohanni in urbe Ephesi obtigit pertinet ad Vespasiani tempora, ut et infra patescet. Dicit autem Iohannes *se in Patmo fuisse διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριςοῦ*, quibus partibus etiam supra Euangelium descripserat comm. 2. Habet enim Euangelium sua praecepta cum promissis; habet et historiam rerum quae praeceptis auctoritatem adstruit. Haec autem doctrina, ut pote nova, nec Paganis minus quam Iudaeis invisa, in seditionis crimen rapiebatur, ut iam diximus, et apparet Act. 17: 6, 21: 38. Magna autem Christianorum consolatio in hoc erat, quod Iohanni terris excluso coelum patuit.

10. *Ἐγενόμην ἐν πνεύματι, fui in spiritu*] Id est, *cum Dei Spiritu*. Sic et qui a Daemonibus possidentur dicuntur esse *ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ* [*in spiritu immundo*] Marc. 1: 23, 5: 2. Idem dicit quod Ezechiel verbis aliis, ותהי עליו יד־יהוה [*Fuit super eum manus Domini*]. Non ergo quae iam narrabit vidit corporis sensibus, sed intra animum, ut Petrus Act. 10: 10.

Ἐν τῇ Κυριακῇ ἡμέρᾳ, Dominica die] Ita Christiani vocarunt eam diem quae Iudaeis dicitur *μία σαββάτων* [*prima sabbatorum*], ob resurrectionem Domini quae ea die contigerat. Qua die conventus Christianos solitos fieri et Pauli Epistolae nos docent, ut Iustinus Apologetico secundo, ubi Graecorum more *diem* eum *solis* nominat. Nomen *Κυριακῆς ἡμέρας* habes in Ignatii Epistola ad Trallianos et ad Magnesios, et in Constitutionibus Clementis aliquoties, item in Irenaei loco quem servavit nobis Scriptor Responsionum ad Orthodoxos. *Inter Dominica solemnia*, Tertullianus De Anima. Sic olim festi dies יומי ליהוה [*dies Domini*].

11. *Καὶ ἤκουσα φωνὴν ὀπίσω μου ὡς σάλπιγγος, et audivi post me vocem tanquam tubae*] Illud *ὀπίσω μου* respicit locum Esai. 30: 21. Magis improvisa sunt quae a tergo obveniunt. Illud autem *ὡς σάλπιγγος* respicit Ps. 47: 5

et

et Zach. 9: 14. Intelligit autem vocem valde sonoram: nam quicquid sonorum est tubae comparatur, Esai. 18: 3, 58: 1.

Ὃ βλέπεις γράψον εἰς βιβλίον, quod vides, scribe in libro] Id est, *Quod iam videbis et audies.* Est enim praesens pro futuro proximo; et *videre* pro quovis sensu.

Καὶ πέμψον ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις, et mitte septem Ecclesiis] Nempe huius visi descriptionem: neque enim ad caetera huius libri hoc pertinet. Diversa visa diversis temporibus Iohanni obtigere, ut et Prophetis aliis. *Septenario* numero multum utitur Apocalypsis, quia Hebraeis rerum summam denotat.

Εἰς Ἔφεσον, καὶ εἰς Σμύρναν, καὶ εἰς Πέργαμον, καὶ εἰς Θυάτειρα, καὶ εἰς Σάρδεις, καὶ εἰς Φιλαδέλφειαν, καὶ εἰς Λαοδίκειαν, Epheso, et Smyrnae, et Pergamo, et Thyatirae, et Sardis, et Philadelphiae, et Laodiceae] Solent Prophetae alludere ad urbium nomina, ut Mich. 1: 14, 15. Haec nomina omnia Christianos sui officii pulchre admonent. Ἔφεσος monet accendi eos debere desiderio rerum aeternarum: *ἔφεσις* enim est *desiderium*. *Σμύρνα*, ut sint incorrupti, qualis est *myrrha*; qua de re diximus ad Matth. 2: 11. *Pergamum*, ut sublima cogitent. *Sublimia* enim omnia dicta Asiaticis *πέργαμα* notat Hesychius, et Suidas, et Servius ad secundum Aeneidos. *Thyatira, θύειν ἀτειρέα*, id est, in honorem Dei *interficere indomitos affectus*. *Σάρδεις*, bene impressa animo tenere Christi praecepta, sicut inter gemmas omnes signa optime imprimit *Sarda*. *Φιλαδέλφεια* ad *amorem fraternum*, *Λαοδίκεια* ad *iustitiam erga populus omnes* demonstrandam excitat. Sunt autem hae urbes nobilissimae Ioniae, Lydiae, Aeolidos, Cariae, ut ex Stephano, Plinio, Ptolomaeo apparet.

12. *Καὶ ἐκεῖ, et illic*] Id est, *tum*, adverbium loci pro adverbio temporis. Sed hoc *ἐκεῖ* abest in libris multis.

Ἐπέστρεψα βλέπειν τὴν φωνὴν, ἥτις ἐλάλει μετ' ἐμοῦ; respexi, ut viderem vocem, quae loquebatur mecum] In Manuscripto *λαλεῖ* [*loquitur*], quasi in re praesenti. Est et hic *μετωνυμία* [*transnominatio*]. Nam *vocem* nominat cum ipsum qui loquebatur intelligi vellet. Similis locutio

Matth. 3: 3. Recte autem *respexisse se* dixit, quia a tergo vox sonabat, ut iam audivimus.

Καὶ ἐπιστρέψας εἶδον ἑπτὰ λυχνίας χρυσᾶς, et respiciens vidi septem candelabra aurea] מנורת זהב. Sicut in Templo unum erat candelabrum cum septem lucernis, Num. 8: 2, Zach. 4: 2; ita nunc in signum multiplicatae gratiae *septem candelabra* septenas habentia lucernas. Per has significantur primo septem Ecclesiae Asiaticae, deinde per eas etiam aliae eis similes, in id factae, ut mundo praeluceant. Vide Phil. 2: 15, Ioh. 5: 35, Matth. 5: 16. Septenarius numerus, ut Philo explicat libro de Haerede rerum Divinarum, de candelabro Templi agens, paritatem significat; aurum vero, immunitatem ab omni rubigine: quo spectat et quod infra est 21: 18, 21. Describuntur hic Ecclesiae quales esse debent.

13. *Καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου, et in medio septem candelabrorum similem filio hominis*] Angelum in Christi figura, qui Christus tali nota describitur μυστικῶς [*arcano sensu*] apud Danielem 7: 13, 10: 5. Vide tum ibi, tum ad Matth. 8: 20 dicta. Par locutio infra 14: 14. In Manuscripto legitur, *καὶ ἐν μέσῳ τῶν λυχνιῶν ὁμοίωμα υἱοῦ ἀνθρώπου* [*et in medio candelabrorum similitudinem Filii hominis*]. Dicitur autem Christus *versari in medio candelabrorum*, quia adest Ecclesiis: sicut et de Deo ἐμπεριπατεῖν [*inambulare*] usurpat Moses Lev. 26: 11, et Paulus 2 Cor. 6: 6, et *esse in medio* Esaias 12: 6. Rem ipsam habes Matth. 18: 20 et 28: 20.

Ἐνδεδυμένον ποδήρη, vestitum podere] Sicut et Angeli describuntur Ezech. 9: 2, Dan. 10: 5. Utrobique in Hebraeo est בדים, quod in Ezechiele LXX transferunt ποδήρη· in Daniele vero Theodotion retinuit vocem Hebraeam: alii Interpretes ponunt ἐξαίρετα [*eximia*], alii βύσσινα [*byssina*]. Est ea vestis Sacerdotalis, Exod. 28: 42, Lev. 6: 10, 16: 4, 23, 32. Datur autem Angelis ut itidem Dei ministris, quales sunt sacerdotes; sicut vicissim Sacerdoti datur *Angeli* nomen apud Malachiam. Christo autem hic datur poderes ut Summo Sacerdoti; qui ei titulus optimo iure tribuitur saepe in Epistola ad Hebraeos. De podere vide Iosephum et Hieronymum libello de Vestibus Sacerdotalibus. Est idem nomen et apud

Apu-

Apuleium. Quod hic ποδήρης, infra λίνον λαμπρὸν [*linum candidum*] 15: 6. *Byssus* lini splendidissimum genus: de quo videri potest Plinius XIX. 1.

Καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μασοῖς ζώνην χρυσῆν, et praecinctum ad mamillas balteo aureo] Erat hoc Regum balteos gestare aureos, Iob. 12: 18, quo alludit Esaias 11: 5 et Ps. 18: 32, 39. Idem tribuitur Michaeli ut Angelorum Principi Dan. 10: 5, ubi Theodotion, καὶ ἡ ὀσφὺς αὐτοῦ περιεζωσμένη ἐν χρυσίῳ Ὠφάζ [*et lumbus eius praecinctus auro Ophaz*]. Tribuitur autem ut linea vestis, ita et aureus balteus etiam Angelis, infra 15: 6. Christo autem merito idem tribuitur ut regnanti super Angelos ipsos, Eph. 1: 20, 21.

14. *Ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες, λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιὼν, caput autem eius et capilli erant candidi tanquam lana alba tanquam nix*] Quod Deo apud Danielem 7: 9, idem hic tribuitur Christo. Significantur autem, ut ad Danielem diximus, iudicia pura a turbidis affectibus. Vide et Matth. 28: 3. *Lanae* simul et *nivis* comparationem habet Esaias 1: 18.

Καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρὸς, et oculi eius tanquam flamma ignis] Hoc Deo tribuitur apud Ezechielem 1: 27, Michaeli apud Danielem 10: 6, Christo iterum infra 19: 12. Ignis omnia penetrat: sic Christus omnia etiam intima pervidet Hebr. 4: 13. Ideo nulla Ecclesiarum vitia dissimulat.

15. *Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, et pedes eius similes aurichalco*] Et hoc Michaeli tribuitur Dan. 10: 6, ubi in Graeco, τὰ σκέλη ὡς ὅρασις χαλκοῦ ςίλβοντος [*crura quasi species aeris candentis*], et Cherubinis Ezech. 1: 7, ubi LXX, ὡς ἀςράπτων χαλκός [*quasi aes candens*]. Significari diximus per haec actionum probitatem. Nam per *pedes* significantur actiones, ut diximus ad Ioh. 13: 10. Sunt autem multa eadem in viso Danielis et in hoc viso Iohannis, quia sicut ibi praedicantur adversa et prospera populi Iudaici, ita hic populi Christiani. *Χαλκολίβανον et vitro et lapide fieri* ait Suidas. At Latinus hic vertit *aurichalcum*, quod aeris genus esse praestantissimum Plinius nos docet, et Scholiastes ad Clypeum Hesiodi, et Servius. Vulgus ob similem auro fulgorem *aurichalcum* dixit, ut apud Festum est.

Videtur χαλκολίβανος vox esse hybrida ex Graeco χαλκὸς et Syriaco לבן, quod est ςίλβειν vel ἐξαςράπτειν [*refulgere*]. Pari de causa infra Angelo dantur *pedes quasi columnae igneae*.

Ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι, *sicut in fornace purgati*] Sic Prov. 10: 20 כסף נבור vertitur ἄργυρος πεπυρωμένος [*argentum igne purgatum*] Etiam צרף vertitur πυροῦσθαι multis in locis, et de argento dicitur Ps. 66: 10, Zach. 13: 9. Κάμινος autem hic id quod alibi χωνευτήριον [*fornax*]. Significatur ergo aes et sua natura praestans et praeterea igne purgatum.

Καὶ ἡ φωνὴ αὐτοῦ ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν, *et vox illius tanquam vox aquarum multarum*] Sic de Cherubinis Ezech. 1: 24 et 43: 2. Vide et infra 19: 6 et Esai. 17: 12, Ier. 50: 42. Sicut tubae ita maris clangentis ingens est sonus. Sic Euangelium longe lateque auditur.

16. Καὶ ἔχων, *et habens*] Supple ἦν [*erat*]. At in Manuscripto deest ἔχων.

Ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ χειρὶ ἀςέρας ἑπτὰ, *in dextra manu stellas septem*] *Stellae* sunt Doctores, ut diximus ad Matth. 24: 29. Docere autem in Ecclesia Christiana praecipue est Episcoporum, quos his figurari discemus infra 20. Sic et Apostoli per *stellas* figurantur infra 12: 1. Stellae non dissimiles gemmis: unde et Poetis quae gemmata sunt *stellata* dicuntur, ut apud Ovidium est Metamorph. VIII:

— *Gemmae nitidos vertuntur in ignes.*

Id est, *in stellas*. Gemmae autem *in manu dextra* ferri solebant, Ier. 22: 24, Agg. 2: 24, Sirach. 43: 13. Per id significatur bonos Episcopos in magno apud Christum esse pretio et ab eo sollicite custodiri.

Καὶ ἐκ τοῦ ςόματος αὐτοῦ ῥομφαία δίςομος ὀξεῖα ἐκπορευομένη, *et de ore eius gladius utraque parte acutus exiens*] Rursus subaudi ἦν [*erat*]. Sermo Euangelicus ex Christi ore proficiscens intima penetrat, neque actiones tantum sed et cogitata bona malaque discernit. Vide quae dicta ad Hebr. 4: 12, Eph. 6: 17 et infra 2: 12, 16. Alibi *gladius* ultionem significat: sed quod dixi convenientius est iis quae sequentur ad Ecclesias pertinentia. Μάχαιραν δίςομον *ensem bis acutum* vertit Tertullianus Adversus Iudaeos, et tertio Adversus Marcionem. Vide et infra 19: 15.

Καὶ

Καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος φαίνει ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ] *Tota facies eius ita splendebat sicut sol cum splendet maxime.* Id signum maiestatis, ut Matth. 17: 2. Adde Abac. 3: 4. Angelo idem tribuitur infra 10: 1. Magna autem piorum consolatio, quod et ipsi, suo tamen gradu, tales erunt, Matth. 13: 43.

17. *Καὶ ὅτε εἶδον αὐτὸν, ἔπεσον πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ ὡς νεκρὸς, et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*] Prae metu, ut Ios. 5: 15 et Dan. 7: 17 et 10: 8, 9, ubi Iacchiadem vide. Idem Apostolis evenit, Matth. 17: 6.

Καὶ ἐπέθηκε τὴν δεξιὰν αὐτοῦ χεῖρα ἐπ' ἐμὲ, λέγων· Μὴ φοβοῦ, et posuit dextram super me, dicens, Ne timeas] Gestu simul et voce me erexit, ut Danielem Angelus, 8: 18, 10: 10, 11. In Manuscripto, *ἔθηκε τὴν δεξιὰν αὐτοῦ ἐπ' ἐμέ.*

Ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ego sum primus et ultimus] *Πρῶτος*, id est, *summus dignitate*, cum potestate multo maiore quam ante quisquam. De hoc significatu vocis *πρῶτος* vide quae dicta ad Ioh. 1: 15. *Ἔσχατος*, id est, *contemptissimus hominum*, Esai. 53: 3, nimirum captus, irrisus, verberatus, flagris caesus, addictus supplicio et quidem servili.

18. *Καὶ ὁ ζῶν, et vivus*] Id est, *ζωοποιῶν* [*vivificans*]; quo sensu *ζῶν* ponitur et Ioh. 6: 51 et Act. 7: 38. Christus in terris agens vitam attulerat mortuis, valetudinem (quae et ipsa Hebraeis *vita* dicitur) aegrotis.

Καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, et fui mortuus] *Et ipse tamen mortem revera subii.* Hoc ideo dicitur, ut sciatur is esse qui misereri aliorum possit, Hebr. 4: 15. Id vero maxime pertinebat ad demendum Iohanni metum illum ex Christi maiestate susceptum.

Καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et ecce sum vivens in sempiternum] Ita vivo ut tibi et aliis vitam et temporariam et aeternam praestare possim, Ioh. 10: 28.

Ἀμήν] Videtur esse interlocutio Iohannis; et post eam continuari sermo Christi. Personae loquentes interdum subticentur. Vide circa finem huius libri.

Καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου, et habeo claves mortis et inferni] Quod de Deo dicitur, *Vivificat*,

 et

et mortificat; deducit ad inferos, et reducit, 1 Sam. 2: 6, et *Dei sunt exitus mortis*, Ps. 68: 20, id Christus sibi quoque iure vindicat. Potest claustra Mortis et claudere et aperire. *Clavis* imperium potestatemque significat, ut infra 3: 7, 9: 1, 20: 1. In Orphicis habes:

Ὅσσοι νερθερίων βερέθρων κλῇδας ἔχουσι.

[*Regni infernalis claves quicunque gubernant.*]

In iisdem Hymnis et alibi *claves* saepe pro *potestate*. Θάνατος est *mors*, ᾅδης *status post mortem*. Vide Matth. 16: 10, 1 Cor. 15: 55, infra 6: 8, 20: 13, 14. Hoc vult Christus: Non morieris, nisi ubi ego voluero; et Ecclesiam meam liberabo ubi voluero. Et tituli autem et ornamenta Christi mox in memoriam reducentur Ecclesiis, pro cuiusque merito.

19. Γράψον οὖν ἃ εἶδες] *Primum hoc ipsum visum scribe*, scripturus deinde et alia. Οὖν [*ergo*], id est, quia me tam potentem vides.

Καὶ ἃ εἰσι] *Statum praesentem* Ecclesiarum per Asiam, sub quibus intelliguntur et aliae. Hoc scribetur capite secundo et tertio.

Καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι] *Quae futura sunt*, et scribentur capite 4 ac deinceps.

20. Τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων ὧν εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου, καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας τὰς χρυσᾶς, *mysterium septem stellarum quas vidisti in dextra mea et septem candelabra aurea*] Supple *etiam hoc scribe*. Et μυστήριον vocat μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] *id quod per mysticas figuras significatur*, ut Dan. 2: 27, Ephes. 5: 32, sic et infra 17: 7. Τὰς ἑπτὰ λυχνίας breviter pro τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν [*mysterium septem candelabrorum*]. In Manuscripto legitur, οὓς εἶδες ἐν τῇ δεξιᾷ μου.

Οἱ ἑπτὰ ἀστέρες, ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσὶ, *septem stellae Angeli sunt septem Ecclesiarum*] Diximus ad Mal. 2: 17, post Davidem Kimchium, summos Sacerdotes dictos *Angelos* Hebraeis, quia et Dei mandata ad populum et preces populi ad Deum deferrent Angelorum instar. Ostendimus etiam hoc loquendi genus ab Hebraeis venisse ad Aegyptios, qui et ipsi τὸν ἀρχιερέα [*summum Sacerdotem*] dixere ἄγγελον. Summis Sacerdotibus Templi respondent in Ecclesia Christiana Principes Presbyteri,

οἱ

οἱ προεςῶτες [*Praesides*] apud Iustinum, qui per excellentiam dicti ἐπίσκοποι [*Episcopi*]. Pari modo Sacerdotibus et Levitis respondent Presbyteri et Diaconi, ut intelligi potest ex vaticinio Esaiae 66: 21. Non sunt quidem omnes functiones eaedem, sed satis est τοῦ ἀναλόγου [*proportionis*] propter quod nominum fiat communicatio. Hi ἄγγελοι istarum Ecclesiarum ab ipso Iohanne erant constituti, et illis alii deinceps Episcopi suo ordine successerunt, ut Tertullianus nos docet de Praescriptionibus haereticorum, et Adversus Marcionem IV, et ante eum Irenaeus III. 3. Hic iterum οἱ ἑπτὰ ἀςέρες positum pro τὸ μυςήριον τῶν ἑπτὰ ἀςέρων [*mysterium septem stellarum*]. Similis locutio Gen. 41: 26, Ezech. 5: 5, Dan. 4: 21, 7: 17, 23, 8: 20, 21, Luc. 8: 12. Causam cur *stellae* Episcopos significant, diximus supra 16.

Καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι ἃς εἶδες, ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσι, et candelabra septem, quae vidisti, septem sunt Ecclesiae] Vide supra 12. In Manuscripto deest ἃς εἶδες, ut et in Latino.

CAPUT II.

1. *Τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας ἐν Ἐφέσῳ γράψον, Angelo Ephesinae Ecclesiae scribe*] Hunc quidam putant fuisse Timotheum. Ego alium aliquem gente Iudaeum. Vide Act. 18: 25.

Τάδε λέγει ὁ κρατῶν τοὺς ἑπτὰ ἀςέρας ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, haec dicit qui septem stellas dextra tenet] Saepe repetentur in sequentibus verba ex cap. 1, quia in eo est quaedam εἰσαγωγὴ [*introductio*] ad omnia sequentia. Et singula aptantur suis locis. Quod Christus hoc loco dicit, hoc est: Sunt Episcopi apud me pretiosi et diligenter custoditi ut gemmae in manu. Ideo diligenter attendere sibi debent ut puritatem suam servent. Nam gemma corrupta facile abiicitur. Quae similitudo aptatur Iechoniae Ier. 22: 24.

Ὁ περιπατῶν ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν χρυσῶν, qui ambulat in mediis septem candelabris aureis] *Candelabra sunt Ecclesiae; inter eas ambulo*, nempe ut videam an

an bene luceant; si non satis lucent, ut emungantur; si ne sic quidem lucent, ut velut inutiles a loco suo amoveantur. Hic sensus nobis indicatur infra 5.

2. *Οἶδα τὰ ἔργα σου, novi opera tua*] Sunt quidam viri *boni*, quidam *satis boni*, ut ista distinguit Cicero in Epistolis. Episcopus iste ex posteriori erat genere, ut sequentia indicant. Laudantur hic *opera* eius, id est, pleraque *κατὰ τὴν ἐπικράτειαν* [*ex parte potiore*]. Quomodo Deus *speculatur et bonos et malos* Prov. 15: 3 et est רוחות תכן [*ponderator spirituum*] Prov. 16: 2, ita et Christus.

Καὶ τὸν κόπον καὶ τὴν ὑπομονήν σου, et laborem et patientiam tuam] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] pro *τὴν ἐν τῷ κόπῳ ὑπομονὴν, laborum et quidem gravium*, quales Episcopis incumbere solent, *patientiam*. Multum est tale onus perferre.

Καὶ ὅτι οὐ δύνῃ βαστάσαι τοὺς κακοὺς, et quod non potes sustinere malos] Es *μισοπόνηρος* [*malorum osor*]. Laudabile enim hoc. Vide Plutarchum *περὶ ἀοργησίας* [*de irae defectu*]. In Manuscripto deest *καὶ*, ita ut illud *ὅτι* sit explicatio constantiae. *Non posse* quis dicitur quod ab ingenio eius abhorret, Matth. 12: 34, Ioh. 8: 43, 12: 39.

Καὶ ἐπείρασας τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους εἶναι καὶ οὐκ εἰσὶ, et explorasti eos qui se dicunt Apostolos esse nec sunt] Iterum hic *καὶ* more Hebraeo est vice relativi. Potes et sic vertere; *Qui dicunt se Apostolos esse, cum non sint*. In Manuscripto deest *εἶναι*. *Dicebant se per* Christi revelationem *factos Apostolos*: quod vere dicebat de se Paulus, *illi falso*. Hoc *explorare* non erat cuiusvis. Optima eos dignoscendi ratio haec erat, si pecunias, quas contemnere se dicebant, clam appeterent, et divitum peccata dissimularent. Tales sunt qui describuntur 2 Cor. 11: 13 et seqq.

Καὶ εὗρες αὐτοὺς ψευδεῖς] *Deprehendisti eorum fallacias*.

3. *Καὶ ἐβάστασας καὶ ὑπομονὴν ἔχεις διὰ τὸ ὄνομά μου, et sustinuisti et patientiam habes propter nomen meum*] Id est, *Βαστάζων διὰ τὸ ὄνομά μου ὑπομονὴν ἔχεις* [*sustinens propter nomen meum patientiam habes*]. In Manuscripto est alius ordo verborum, quem sequitur codex

La-

Latinus, *καὶ ὑπομονὴν ἔχεις καὶ ἐβάςασας*. Est *ὑπομονὴ* in laboribus, est et in adversis: de quo hic agitur. *Διὰ τὸ ὄνομά μου mea de causa*, sicut Matth. 10: 22, *διὰ τὸ ὄνομά μου* idem est quod *ἕνεκεν ἐμοῦ*, Matth. 5: 11. *Βαςάζειν* נשא 2 Reg. 18: 14, de omni re dicitur quae nobis gravis est; quales sunt calamitates.

Καὶ οὐκ ἐκοπίασας, et non laborasti] לא יגעת. Vide Esai. 16: 2, 47: 15: Habet sic et Manuscriptus ille; non, ut alii libri, *κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας* [*laborasti et non defecisti*].

4. *'Αλλ' ἔχω κατὰ σοῦ, sed habeo adversum te*] Habeo tamen aliquid quod de te querar. De hac locutione vide Matth. 5: 23.

Ὅτι τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας, quod dilectionem tuam primam reliquisti] Multum remisisti de prima illa cura circa pauperes. Ea cura semper quidem Episcopos spectavit, sed maxime eos onerabat in novis Ecclesiis, ubi nondum erant Diaconi. Illud *ἀφῆκας* hic non omnimodam *ἀγάπην* significat, sed *τὴν πρώτην*, id est, illam adeo ferventem. Solet etiam acribus animis cum tempore lassitudo quaedam obrepere. Quare et ab aliis per monita, et a semetipsis per preces et attentas cogitationes velut e somno excitandi sunt. *Πρώτην*, id est, *προτέραν* [*priorem*], ut Ioh. 1: 15, ubi dicta vide.

5. *Μνημόνευε οὖν πόθεν ἐκπέπτωκας, memor esto itaque unde excideris*] Cogita e quanto honoris gradu decideris. Sic *μνημονεύειν* habemus 2 Tim. 2: 8. Et Hebraeis saepe ita sumitur זכר. In Manuscripto, *πόθεν πέπτωκας*, נפלת.

Καὶ μετανόησον καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον, et age poenitentiam et prima opera fac] Id est, *Μετανόησον πρὸς τὸ ποιῆσαι τὰ ἔργα τὰ πρῶτα* [*Age poenitentiam, ut prima opera facias*].

Εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι ταχύ, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς, alioquin, venio tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris] Efficiam ut plebs tua alio diffugiat, nempe ad ea loca ubi maior habetur cura pauperum. Ἔρχομαι ταχὺ καὶ κινήσω nihil aliud est quam *ταχὺ κινήσω*. Sic *ἐλθὼν πρόσφερε* [*veniens offer*] Matth. 5: 24, *ἐλθὼν θεραπεύσω* [*veniens curabo*] Matth. 8: 7. Sic *πορεύου καὶ*

ποίει

ποίει [*vade et fac*] Luc. 10: 37, *πορευθέντες μάθετε* [*euntes discite*] Matth. 9: 13.

6. *Ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν, sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum*] Mira arte reprehensionem mitigavit et antepositis et subiunctis laudationibus. Eodem artificio Paulus utitur 1 Cor. 1 et 11. *Nicolaitas* nomen habuisse ab uno primorum Diaconorum *Nicolao* satis inter Veteres constat. Sed an mala illa dogmata ab ipso fluxerint, an vero falso sub eius nomine fuerint venditata, non item. Mihi Veterum testimonia conferenti media placet sententia, quae haec est; Nicolaum accusatum *ζηλοτυπίας* [*aemulationis*], quod uxorem pulchram habens, usitata illa inter Christianos utriusque sexus pacis oscula non satis ferret, in contrarium cucurrisse, et exemplo Laconum ac Catonis uxoris suae usuram permisisse aliis, plane quasi in eo quod marito et uxore volentibus fieret non peccaretur. Sed hac aperta semel contra Euangelicam castitatem fenestra, postea, ut solent non stare ubi incipiunt mala, tota fore admissas libidines. Qui vero eo usque disciplinam contempserant, eos non mirum est immolatitias carnes sibi permisisse sine ullo discrimine.

Ἃ κἀγὼ μισῶ, quae et ego odi] Nempe ut Euangelio contraria. In Manuscripto abest *ἃ* sensu salvo.

7. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, qui habet aurem, audiat*] Formula attentionem excitantis, Matth. 11: 15, 13: 9, 43, Marc. 4: 9, 23, 7: 16, Luc. 8: 8, 14: 35. Infra 17: 29, 13: 9. Hoc est velut סלה in Psalmis.

Τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, quid Spiritus dicat Ecclesiis] *Τὸ πνεῦμα*, id est, *hoc Divinum visum:* de qua vocis huius acceptione vide 1 Cor. 12: 3, 10, 1 Ioh. 4: 1—3. Sic apud Hermam, *Ille Spiritus Filius Dei est*, id est, visum illud. *Λέγει*, id est, *iubet dici Ecclesiis*, nempe Ephesinae et aliis quae sub Ephesini Episcopi cura erant.

Τῷ νικῶντι, vincenti] Ei qui neque inedia neque incommodis aliis patitur se a Christianismo abduci.

Δώσω φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ μου, dabo edere de arbore vitae, quae est in medio paradisi Dei mei] Est oppositio similis

isti

isti Matth. 5: 6, *Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται* [*Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*]. *Ξύλον* LXX ponunt pro *arbore* עץ. Per *fructum arboris vitae* intelligendus hic Spiritus Sanctus, qui vitae et quidem immortalis nos certos facit. Lex Hebraeis *cibus animae, arbor vitae*, Prov. 3: 18, quia vitam dat felicem in terris. At multo iustius Christus, vitae aeternae auctor, *ἄρτος τῆς ζωῆς* [*panis vitae*] Ioh. 6: 35, 41, 48, 50, 51, 58. *Τὸ δένδρον τῆς ζωῆς* [*arbor vitae*] Philoni de Mundi Opificio explicatur *ἡ θεοσέβεια* [*pietas*]· in Allegoriis *ὁ τῆς τελείας ἀρετῆς χαρακτήρ* [*perfectae virtutis criterium*]. Hunc locum ad Eucharistiam non male referunt Veterum quidam, quia per eam, ut oportet sumptam, Spiritus Sanctus introducitur et augetur. In Manuscripto est *ἐν τῷ παραδείσῳ*. Illud *Θεοῦ μου* habes et infra 3: 12. Sic et Ioh. 20: 17.

8. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Smyrnae Ecclesiae scribe*] Et hic puto non Polycarpum designari, sed aliquem eo priorem. In Manuscripto *τῷ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίας* [*qui est Smyrnae Ecclesiae*].

Τάδε λέγει ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, haec dicit primus et novissimus] Is qui cum summae esset dignitatis summam ignominiam pertulit, supra 1: 17, 18. Hoc eo pertinet, ne Smyrnae Episcopus ignominiam defugiat. In Manuscripto *ὁ πρωτότοκος καὶ ὁ ἔσχατος* [*primogenitus et novissimus*].

Ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν, qui fuit mortuus et vivit] Hoc eo pertinet ne idem Episcopus mortis metu ab officio abduceretur, sed certus esset, sicut Christus revixit, sic et se revicturum. Vide indicatum iam locum supra 1: 17, 18.

9. *Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi opera tua*] Diligentiam in obeundo munere.

Καὶ τὴν θλίψιν, et calamitatem] Metus perpetuos. In Manuscripto tantum est, *οἶδα σου τὴν θλίψιν*, ut in Latino.

Καὶ τὴν πτωχείαν, et paupertatem] Aegre habebat ille Episcopus unde viveret, ideo quod Smyrnae qui essent Christiani essent pauperes. Vide simile 1 Cor. 1: 20.

De

De voce πτωχῶν diximus ad Matth. 5: 3. Auctores nostri summam inopiam sic exprimunt. Sic ἐπτώχευσε [*egenus factus est*] de Christo 2 Cor. 8: 9. Sic πτωχεία 2 Cor. 8: 2, 9.

Ἀλλὰ πλούσιος εἶ, sed dives es] Hoc per παρένθεσιν [*interpositionem*] legendum, quasi dicat, *cum tamen dives sis. Dives* nempe pietate et αὐταρκείᾳ [*animo sua sorte contento*] 1 Tim. 6: 6, 18, Matth. 6: 20, Iac. 2: 5. Simile ἀντίθετον [*oppositum*] 2 Cor. 6: 10, 8: 2.

Καὶ τὴν βλασφημίαν τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτούς, et blasphemiam eorum qui se dicunt Iudaeos esse] *Βλασφημίαν maledicta gravissima.* Sic βλασφημεῖν Matth. 27: 39, Marc. 15: 29, Act. 13: 45, 17: 6 et alibi. *Iudaeos* illos dicit nomine, non re, alludens ad originem vocis, plane ut Paulus Rom. 2: 28. Quomodo vere Iudaei sint qui Deum in Christo patefactum non agnoscunt?

Καὶ οὐκ εἰσίν, ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ, et non sunt, sed synagoga Satanae] Vocant se συναγωγὴν τοῦ Κυρίου עדת יהוה [*synagogam Domini*] Num. 31: 16, sed re ipsa sunt *Satanae synagoga*, quia eum imitantur tum calumniando bonos tum eorum vitae insidiando. Pari de causa eos *ex Diabolo patre esse* dixit Christus Ioh. 8: 44.

10. *Μηδὲν φοβοῦ ἃ μέλλεις πάσχειν, nihil eorum timeas, quae passurus es*] *Non metue, etiamsi maiora ingruant.* Sum enim is quem me esse dixi supra 8.

Ἰδοὺ δὴ μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν ὁ Διάβολος εἰς φυλακήν, ecce missurus est Diabolus ex vobis in carcerem] Praevisa tela minus feriunt. Ideo persecutiones graviores videbis ferme omnes olim praedictas Ecclesiis. Dicit autem Diabolum facturum quod facturi erant Pagani Magistratus Diabolo instigante, Eph. 2: 2. Noli hoc referre ad tempora M. Aurelii, Veri et Antonini. Propiora enim tempora respiciuntur, sed quorum historia, ut multae aliae, ad nos non pervenit. Ἐξ ὑμῶν, supple τινὰς [*aliquos*], de qua locutione diximus ad Matth. 23: 34.

Ἵνα πειρασθῆτε, ut tentemini] Ut magis quam antehac periculum fiat constantiae vestrae. Vide Iac. 1: 2.

Καὶ ἕξετε θλίψιν ἡμερῶν δέκα, et habebitis vexationem dierum decem] Non quamlibet θλίψιν, sed istam, nempe captivitatis plurimorum. Clarius id explicat Manuscriptus, ubi

ubi est *καὶ ἕξητε θλῖψιν*, id est, *ut habeatis angustias*. Et *decem dies* intellige proprie. Est enim consolatio ex brevitate temporis. *Dies* etiam apud Prophetas dies sunt, non anni, ut quidam somniant. Apertum est quod dico ex Daniele, qui cum praedixisset rem duraturam dies bis mille trecentos, 8: 14, ait *visionem* hanc esse *veram*, 8: 26, id est, simpliciter non figurate intelligendam, ut docet collatio loci Dan. 2: 45. Nihil adferunt quod ad rem sit qui contra sentiunt. Nam vox *ἑβδομάδος* [*hebdomadis*] generalis est, et tam de annis quam de diebus rebusque aliis accipi potest: quomodo autem accipienda sit, docere nos debet loci cuiusque materia. Num. 14: 33 vero non annis datur *dierum* nomen, sed per totidem annos pertrahitur mora in locis desertis, quot dies exploratores isti in exploranda terra male insumpserant. Apud Ezechielem 4: 6 iubetur Propheta *per quadraginta dies incumbere lateri suo*, ut intelligat Dei patientiam, qui per annos tum quadraginta pessimos mores populi pertulisset. Christiani autem isti Smyrnaei post *decem dies* liberati sunt à carcere, Magistratibus meliora de ipsorum vita edoctis, aut aliis acceptis a Roma literis. *Decem dies* tempus exiguum, Num. 11: 19, satis tamen ad experimentum capiendum, Dan. 1: 12.

Γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου] *Persta ad finem usque vitae.* Idem monitum quod Matth. 10: 22, 24: 13, Marc. 13: 13.

Καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, et dabo tibi coronam vitae] Dabo tibi honorem regium in vita illa aeterna. Eadem locutio Iac. 1: 12, ubi dicta vide, et Esai. 62: 3 et Ps. 21: 3.

11. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, qui habet aurem, audiat*] Vide supra 7.

Τί τὸ πνεῦμα λέγει, quid Spiritus dicat] Vide ibidem.

Ταῖς ἐκκλησίαις, Ecclesiis] Nempe Smyrnae et aliis eiusdem ἐπισκοπῆς [*episcopatus*].

Ὁ νικῶν, qui vicerit] Qui nec paupertate nec carcere nec graviorum metu vinci se patietur. Vide supra 7.

Οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου, ei non nocebitur a morte secunda] Quia qui iniuriam patiuntur, iis nocetur, ideo Chaldaicum חבל, Esdr. 4: 13, Dan. 6: 2, et Graecum *ἀδικεῖν*, sumitur pro *nocere* per *μετάληψιν* [*trans-*

[*transsumptionem*]. *Mortis secundae* mentionem habes infra 20: 6, 14, apud Chaldaeum Paraphrastem Deut. 33: 6, Esai. 22: 14, ubi Kimchi exponit, מיתת הנפש בעולם הבא [*mortem animae in futuro seculo*].

12. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Περγάμῳ ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Pergami Ecclesiae scribe*] Haec est Pergamus, regia Attalidarum.

Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον τὴν ὀξεῖαν, haec dicit, qui habet gladium utraque parte acutum] Qui omnium etiam intimorum in homine exactissimam facit dissectionem et omnia rimatur. Vide supra 1: 16 et ibi dicta.

13. *Οἶδα τὰ ἔργα σου, novi opera tua*] Bona opera plurima. In Manuscripto est, *οἶδα ποῦ κατοικεῖς* [*novi ubi habitas*], quomodo legit et Latinus.

Καὶ ποῦ κατοικεῖς, ὅπου ὁ θρόνος τοῦ Σατανᾶ, et ubi habitas, ubi sedes est Satanae] *Habitas* in ea urbe *ubi Satanas regnat* in idolo Aesculapii. Vide Papinium in Coma Earini, et Aristidem de puteo Aesculapii. Quare recte hic Arethas: *Θρόνον δὲ τοῦ Σατανᾶ Πέργαμον καλεῖ, ὡς κατείδωλον οὖσαν ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν* [*Sedem autem Satanae Pergamum vocat, quod idolorum ibi quam in universa Asia cultus maior*].

Καὶ κρατεῖς τὸ ὄνομά μου, et retines nomen meum] Id est, Quanquam in praecipua Paganicae superstitionis sede habitas, tamen *retinuisti professionem Christianam*. Magnum est inter malos bonum se praestare, 2 Petr. 2: 7, Phil. 2: 15. *Ὄνομα Christi* est professio doctrinae a Christo traditae, ut Act. 21: 13 et alibi. *Κρατεῖν* vero *retinere, non sinere elabi*, ut infra 2: 25, & 11.

Καὶ οὐκ ἠρνήσω τὴν πίστιν μου ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου ὁ πιστὸς, ὃς ἀπεκτάνθη παρ' ὑμῖν, ὅπου ὁ Σατανᾶς κατοικεῖ, nec negasti fidem meam diebus illis, quibus Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat] In Manuscripto est, *ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου, ὁ πιστός μου, ὃς* [*diebus Antipas testis meus, fidelis meus, qui*], etc. Nec aliter legit Latinus. Est autem *ἐλλειπτική* [*defectiva*] constructio, simul cum traiectione, qualis,

Urbem quam statuo vestra est,

pro

pro *Urbs*, *quam urbem statuo, vestra est.* Ita hic sensus est, ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀντίπα, ὃς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου, ὁ πιστός μου, ἀπεκτάνθη [*diebus Antipae, qui Antipas testis meus, fidelis meus, occisus est*]. Quod ex seris Graecorum Menologiis dicitur hic Antipas passus sub Domitiano, non magis fidem meretur quam quod dicitur in bovem coniectus aeneum: quale supplicium ignotum est Romanis legibus, quae et Pergami valebant. Quare pro vero haberi debet, Antipam hunc fuisse interfectum a plebe commota per Sacerdotes Aesculapii: qualis mortis pericula saepe adiit Paulus. Multum erat tam saeva morte non fuisse territum. Ἀρνεῖσθαι πίστιν est aut verbis, aut factis *negare se esse Christianum*, quod ἀρνεῖσθαι τὸ ὄνομα infra 3: 8. Cur Satanas Pergami potius quam alibi *habitare* dicatur, iam diximus.

14. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, *sed habeo adversus te pauca*] Vide supra 5.

Ὅτι ἔχεις ἐκεῖ τοὺς κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαὰμ, ὃς ἐδίδαξε τὸν Βαλὰκ, *quod habes illic tenentes doctrinam Balaami, qui docebat Balacum*] Regem Madianitarum, Num. 22 et seqq. Id vero quod narratur Num. 25, factum esse ex Balaami consilio, ex traditione semper apud Hebraeos constitit, ut diximus tum ad illum Mosis locum et Mich. 6: 5, tum ad 2 Petr. 2: 15 et Iud. 11. Et colligi id ipsum potest ex alio loco, Num. 31: 14.

Βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, *mittere offendiculum filiis Israelis*] Id est, *perniciem struere Israelitis, Deum ipsis faciendo iratum.* Sic σκάνδαλον sumitur Ios. 23: 13, 1 Sam. 18: 21, Ps. 69: 22, 106: 36. Ἐνώπιον cum genitivo hic tantum valet quantum dativus. Sic לפני saepe apud Hebraeos. In Manuscripto est, ὃς ἐδίδαξε τῷ Βάλακ βασιλεῖ σκάνδαλον [*qui docebat Balacum regem ponere offendiculum*], id est, docuit Madianitas in usum et ad preces Balaci Regis.

Φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι, *edere immolata et fornicari*] Non tantum Israelitae illi ederant de immolatis, sed et Diis Madianitarum cultum exhibuerant. Verum satis hic habuit Christus id dicere quod illi Israelitae cum Nicolaitis habebant commune.

15. *Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*] Debueras adversus eos uti gladio Christi, sicut Angelus ille gladium habens Balaamo restiterat, Num. 22: 22, 23.

16. *Ὁμοίως μετανόησον, similiter poenitentiam age*] Illud ὁμοίως in Manuscripto pertinet ad praecedens comma, ut sit πλεονασμὸς [*abundans sermo*] in οὕτως et ὁμοίως. Sic ὁμοίως καὶ ὡς Luc. 17: 28. Et quia πλεονασμὸς iste quosdam offendebat, eo factum est ut in quibusdam hic Codicibus ὁμοίως mutaretur in ὃ μισῶ [*quod odi*]. Illud autem μετανόησον hoc loco significat: Noli posthac tam remissus esse. Utere acribus remediis ut in gravi periculo. In Manuscripto amplius est, μετανόησον οὖν [*poenitentiam ergo age*].

Εἰ δὲ μή] *Ni id facis.*

Ἔρχομαί σοι ταχὺ, veniam tibi cito] Eadem locutio quae supra 5.

Καὶ πολεμήσω μετ' αὐτῶν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ στόματός μου, et pugnabo cum illis gladio oris mei] Prophetas suscitabo in Ecclesia qui id faciant quod Episcopus negligit, et fortiter se opponant Nicolaitis et plebem ab eis abstrahant. Dicitur Christus facere quod per Prophetas facit, sicut Deus dicitur *pugnasse*, pugnantibus Israelitis, Exod. 14: 14, 25, Deut. 1: 30, 3: 22, Ios. 10: 42, 23: 3, 2 Par. 20: 15. Allusio est ad historiam veterem. Nam et Balaam et eius consilium secuti Israelitae gladio periere, Num. 26: 5, 31: 8.

17. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*] Quid visum hoc dici velit Pergamenae Ecclesiae et eius filiabus. Vide supra 7: 11.

Τῷ νικῶντι, vincenti] Strenue se opponenti Nicolaitis.

Δώσω αὐτῷ φαγεῖν, dabo illi edere] Nam solebant victores epulo excipi, Gen. 14: 18. In Manuscripto non est φαγεῖν, sed δώσω αὐτῷ τὸ μάννα [*dabo illi manna*], quomodo legit Latinus.

Ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, de manna abscondito] Id est, τοῦ νοητοῦ [*intelligibili*]. Vide quae de similibus locutionibus diximus ad Matth. 26: 29, Luc. 22: 16.

Sic

Sic ὁ ἐν κρυπτῷ Rom. 2: 29, ὁ κρυπτὸς ἄνθρωπος [*qui absconditus est homo*] 1 Petr. 3: 4. Est autem μάννα τὸ νοητὸν cognitio exactior non tantum praeceptorum Dei sed et dispensationum eius. Vide quae dicta ad Ioh. 6: 33. Ea res magnam in se habet dulcedinem quae per mannae dulcedinem adumbrata est.

Καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, et dabo illi calculum candidum] Iis qui in sacris Graecorum certaminibus vicerant, dabantur εἰσελαστικὰ, id est, *frumentationes*, aut *reditus* quidam. Docent id nos Vitruvius Praefatione libri IX. Plinius Epistola ad Traianum 119 et seqq., Iustinus ad Zenam. De ea re, cum a certamine abibant, accipiebant tesseram cum inscriptione quantitatis eius quod accepturi erant. Et hoc est quod hic vult dicere Arethas. Et *tesserae* hic comparatur Spiritus Sanctus, quem qui habet certus est perpetuae opimitatis.

Καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, et in calculo nomen novum scriptum] Nomen Filii Dei, in sensu Euangelico. *Nominis novi* appellatio desumpta est ex Esai. 62: 2, 65: 15, ut est in Graeco.

Ὃ οὐδεὶς ἔγνω εἰ μὴ ὁ λαμβάνων, quod nemo scit, nisi qui accipit] Id nomen quanti sit, nemo scit, nisi qui id experitur, Gal. 4: 6, Ioh. 1: 12. Vide quantum differat haec tessera ab illis εἰσελαστικοῖς. In illis quivis legit quid valeant; haec quantum valeat novit is demum qui eam habet.

18. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Θυατείροις ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Thyatirae Ecclesiae scribe*] Non fuit hic Carpus, sed aliquis eo vetustior. Quod autem ii qui Apocalypsi contradicebant in argumentum afferebant, non fuisse cum Iohannes haec scriberet Ecclesiam Thyatirae, ad id respondeo, fuisse Ecclesiam, sed ex Iudaeis, non ex Gentibus, ut Thessalonicae ante Pauli adventum. Est autem Thyatira urbs modo Mysiae, modo Lydiae attributa.

Τάδε λέγει ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὡς φλόγα πυρὸς, haec dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis] Id est, Qui est perspicacissimus. Supra 1: 14. Αὐτοῦ deest in Manuscripto, ut in Latino.

Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, et pedes similes

 au-

aurichalco] Cuius actiones omnes sunt et purae et splendidae.

19. *Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi opera tua*] Facta laudabilia.

Καὶ τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίςιν, et dilectionem et fidem] Egregiam bigam, Gal. 5: 6, Eph. 6: 23, 1 Thess. 3: 6, 1 Tim. 1: 14, 6: 11, 2 Tim. 1: 13, 2: 22.

Καὶ τὴν διακονίαν, et ministerium] Benefacta in pauperes. Ita vox ista sumitur 2 Cor. 9: 1, 12, 13.

Καὶ τὴν ὑπομονήν σου, et patientiam tuam] In adversis ferendis constantiam.

Καὶ τὰ ἔργα σου τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων, et opera tua novissima plura prioribus] Magna laus Episcopi, non modo non fatiscere sub longo labore ac malis, sed in dies proficere in melius.

20. *Ἀλλ' ἔχω κατά σου, sed habeo adversus te*] Ut supra 4: 14.

Ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκά σου τὴν Ἰεζαβὴλ, quod dimittis mulierem tuam Iezabel] Sic et Manuscriptus, et ita legerunt Veteres omnes, qui hanc feminam fuisse putant Episcopi uxorem, dictam *Iezabel* ideo, quod rerum malarum esset magistra, et in Ecclesia primi viri uxor, sicut vetus illa Iezabel regis uxor fuit Achabi, 1 Reg. 16: 31. Scriptum autem hic per incuriam ἀφεῖς pro ἀφῇς [*dimittas*]. Et ὅτι est εἰδικὸν [*speciale*], ut Matth. 26: 54, 1 Cor. 11: 17, 23, 2 Cor. 1: 14 et alibi. Sensus enim est: *Volo ut dimittas illam uxorem.* Id enim ἀφιέναι, ut videre est 1 Cor. 7: 11—13. At vero ἀφεῖς in indicativo Graece non dicitur.

Ἡ λέγει ἑαυτὴν προφῆτιν, quae se dicit prophetam] Sicut illis temporibus erant quaedam feminae vere instructae prophetiae dono, Act. 21: 9, ita erant quae falso id sibi arrogarent; quales postea illis in locis Priscilla, Maximilla, Quintilla. In Manuscripto ἡ λέγουσα αὐτὴν [*se dicens*], ut rectus sit pro obliquo: quod Iohanni perquam familiare.

Καὶ διδάσκει καὶ πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους, et docet et seducit servos meos] Id est, Ἡ διδάσκουσα πλανᾷ [*quae docens seducit*]. *Docet* nimirum quasi Prophetico spiritu: nam alioqui *feminis docere non permittebatur*. Vide quae dicta 1 Cor. 14: 35.

Πορ-

Πορνεῦσαι καὶ φαγεῖν εἰδωλόθυτα, fornicari et edere de immolatis] Utrumque contra decretum Apostolicum Act. 15: 29, ubi dicta vide.

21. *Καὶ ἔδωκα αὐτῇ χρόνον ἵνα μετανοήσῃ, et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret*] Non statim illam ex hac vita eripui, sicut merebatur, etiam secundum Mosis Legem, cum ad malas doctrinas suam etiam impudicitiam adiungeret, suspicante forte sed non plane id sciente Episcopo. Facile a scortatione ad adulteria veniri ait Dion Prusaeensis. Non stant ista ubi incipiunt.

Καὶ οὐ θέλει μετανοῆσαι ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς, nec vult poenitentiam agere fornicationis suae] *Πορνεία* saepe ita generaliter sumitur ut et *μοιχείαν* [*adulterium*] comprehendat, ut et Matth. 5: 32, 19: 9. Et ita hic sumendum tum res ostendit, tum verba sequentia in Manuscripto; *καὶ οὐκ ἠθέλησεν* [*nec voluit*].

22. *Ἰδοὺ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην, ecce mitto eam in lectum*] Non in lectum amoris, sed in lectum in quo cubant aegroti: de quo vide 2 Sam. 13: 5, 6, 2 Reg. 1: 4, 1 Macc. 6: 8. In Manuscripto *εἰς φυλακήν* [*in carcerem*]; quod irrepsit per errorem ex eo quod supra est 10.

Καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ' αὐτῆς εἰς θλῖψιν μεγάλην, et qui moechantur cum ea in vexationem maximam] Et hoc simpliciter intelligo. Moechabatur illa cum multis suarum sententiarum hominibus: quibus Deus mala gravia minatur. Confer Ezech. 13: 18 et seqq., et ibi a nobis dicta.

Ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῆς] *Nisi abstineant ab adulteriis cum ea.*

23. *Καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ*] Adulterinam *eius sobolem*, ne ad hereditatem sibi non debitam perveniat, *interficiam peste*. Nam ea *κατ' ἐξοχὴν* [*per excellentiam*] dicitur *θάνατος* [*mors*], ut Matth. 24: 7.

Καὶ γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, et scient omnes Ecclesiae] Quae sunt in Lydia, Mysia et locis vicinis.

Ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας, me esse qui scrutem renes et corda] Eadem locutio 7: 10, Ier. 11: 20, 17: 10, 20: 12. Per *renes* intelliguntur desideria, ut et Ps. 139: 13, Ier. 12: 2, Prov. 23: 16. Per *cor* cogitata, 1 Sam. 16: 7, 1 Reg. 8: 39, 1 Par. 28: 9, 2 Par. 6: 30, 1 Ioh. 3: 20. Hoc vult Christus: Quomodo adulteria quam-

quamvis maxime tecta me laterent, qui et primas cupiditates et deliberationes eo tendentes introspicio?

Kαὶ δώσω ὑμῖν ἑκάϛῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν, et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra] Hic sermo pertinet ad Thyatirenses qui se a falsa Prophetide decipi siverunt. Iubetur Episcopus haec illis dicere; bonis vero ea quae sequuntur.

24. *Ὑμῖν δὲ λέγω τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν Θυατείροις, vobis autem dico caeteris qui Thyatirae estis*] Sic et Manuscriptus, non *καὶ τοῖς λοιποῖς*, et bene. Duo enim Thyatirensium designat genera Christus.

Ὅσοι οὐκ ἔχουσι τὴν διδαχὴν ταύτην, quicunque non habent doctrinam hanc] istius Pseudoprophetidos. Hic dixit *ἔχειν* quod supra *κρατεῖν, adhaerere doctrinae.* Est hic verbum tertiae personae pro verbo secundae personae: quod frequens apud Hebraeos post pronomen relativum.

Οἵτινες οὐκ ἔγνωσαν τὰ βαθέα τοῦ Σατανᾶ, ὡς λέγουσιν, qui non cognoverunt altitudines Satanae, quas dicunt] Illud *ὡς λέγουσιν* referendum ad *τὰ βαθέα.* Ipsi vocabant *τὰ βαθέα τῆς γνώσεως*, עמקות חכמה [*altitudines scientiae*], putantes se perspicere quod non perspicerent alii, *ἀδιάφορα* [*in rebus mediis*] esse scortari et vesci immolatitiis. At Christus dicit esse *τὰ βαθέα τοῦ Σατανᾶ solertia Satanae consilia;* quibus opponuntur *τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ* [*profunda Dei*], 1 Cor. 2: 10, Rom. 11: 33. Simile loquendi genus, ubi in sermone alieno ponuntur verba rei non personae isti congruentia, habes Esai. 31: 9 et 44: 19.

Οὐ βαλῶ ἐφ' ὑμᾶς ἄλλο βάρος, non aliud vobis imponam onus] Iactant illi se rerum multarum cognitione: eam a vobis non exigo. *Βάλλειν βάρος ἐπί τινας* idem quod *ἐπιτίθεσθαι βάρος, exigere aliquid ut ad salutem necessarium*, Act. 15: 28.

25. *Πλήν*] *Tantum.* Sic *πλὴν* sumitur Luc. 11: 41, 12: 31, Act. 20: 23. Respondet Hebraeo אך.

Ὃ ἔχετε] Dogma Euangelicum *quod bene percepistis.*

Κρατήσατε] *Retinete* sine ulla mutatione.

Ἄχρις οὗ ἂν ἥκω, donec veniam] Ad iudicium; quod quia incerta die promissum est, semper a Christianis exspectari debet. In Manuscripto, *ἕως οὗ*, quomodo Matth. 1: 25 et alibi saepe.

26. *Καὶ ὁ νικῶν, et qui vicet*] Qui ista mala dogmata spernet. Repetitur semper illud ὁ νικῶν, sed intelligendum pro re quaque subiecta.

Καὶ ὁ τηρῶν ἄχρι τέλους τὰ ἔργα μου, et qui custodiet usque in finem opera mea] Est μετωνυμία [*transnominatio*]. Nam ἔργα dicuntur *praecepta de operibus*. Hoc ipsum dicitur τηρεῖν τὰς ἐντολὰς [*custodire mandata*] infra 12: 17, 14: 12, τηρεῖν τὸ λόγον [*servare verbum*] vel τοὺς λόγους [*verba*] 3: 8, 10, 22: 7, 9. Est et hic Hebraismus: nam Graecä constructio fuerat τῷ νικῶντι καὶ τηροῦντι, omisso illo αὐτῷ quod sequitur. Ἄχρι τέλους, עד קץ, *ad finem vitae: ἄχρι θανάτου*, supra 10.

Δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπὶ τῶν ἐθνῶν, dabo illi potestatem super Gentes] Eveham illum in gradum Presbyteri, ut iudicet de iis qui non Christiane sed ἐθνικῶς [*more Gentium*] vivunt. Vide Matth. 18: 17.

27. *Καὶ ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, et pascet eas virga ferrea*] Est ex Senibus LXX, Ps. 2: 9, ubi non legerunt ut Masorethae תרעם [*conteres eos*], sed תרעם [*pasces eos*], a רעה, non a רעע, sensu eodem recidente. Nam quia pastores regunt pecus, ideo regimen qualecunque per μετάληψιν [*transsumptionem*] exprimitur *pascendi* vocabulo, etiamsi in malum tendat eorum qui reguntur. Apparet id Mich. 5: 5. *Virga ferrea* non aliud est quam gladius, ut ad Psalmum secundum ex Davide Kimchi diximus. Figurate autem per gladium hic intelligitur Verbum Dei, cuius pars est et excommunicatio. Sic et infra 12: 5 et 19: 15.

Ὡς τὰ σκεύη τὰ κεραμικὰ συντριβήσεται, tanquam vasa fictilia confringentur] Est futurum pro quovis tempore, more Hebraeo. Ita eos tractabit, quomodo vasa fictilia frangi solent, sine spe restitutionis, Ier. 19: 10, 11. Argilla dum in manu est figuli fingitur et refingitur facile, Ier. 18: non idem in fictili fracto. Verba sunt ex Ps. 2: 9, ubi in Graeco, ὡς σκεῦος κεραμέως συντρίψεις αὐτοὺς [*tanquam vas figuli confringes eos*]. Res ipsa alludit ad id quod praedictum Iehu 2 Reg. 9: 6. Significantur autem exclusio perpetua a communione, quae poena idololatras et adulteros primis temporibus sequebatur.

Ὡς κἀγὼ εἴληφα παρὰ τοῦ πατρός μου] Illi a me iudican-

candi potestatem accipient, *sicut ego a Patre accepi.* Illud ὡς aliquam similitudinem non paritatem significat, ut καθὼς Luc. 22: 29.

28. *Καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀςέρα τὸν πρωϊνόν*] Est μετωνυμία [*transnominatio*]. Vult enim dicere, *Dabo et fulgorem*, non qualiscunque stellae, sed *Luciferi*, qui caeteras stellas multum vincit. Homerus:

Οἷος δ' ἀςὴρ εἶσι μετ' ἀςράσι νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἕσπερος, ὃς κάλλιςος ἐν οὐρανῷ ἵςαται ἀςήρ.
[*Emicat in reliquis noctu velut Hesperus astris,*
Astrum, quo in coelo non est formosius ullum.]

Virgilius:

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum coelo tenebrasque resolvit.

Ἀςέρα τὸν πρωϊνὸν [*stellam matutinam*] locutio Rabbinorum, dicunt enim כוכב חבוקר.

29. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*] Nempe Thyatirae et viciniis eius.

CAPUT III.

1. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Ecclesiae Sardis scribe*]. Sardes, *Croesi regia* Horatio, opulentissima olim urbs.

Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ, haec dicit qui habet septem spiritus Dei] Qui in potestate sua habet septem illos Divinae providentiae modos, de quibus supra 1: 4. et infra 5: 6., et per eos hominum salutem procurat.

Καὶ τοὺς ἑπτὰ ἀςέρας, et septem stellas] Qui Episcopos omnes officium facientes charissimos habet ac plusquam alios curat, et officium non facientes abiicere potest.

Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi opera tua] Quaedam facis speciosa.

Ὅτι τὸ ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, quod nomen habes, te vivere] Qui intima tua non norunt te pro bene Christiano habent. *Vivere* hic est secundum Christum vivere.

Καὶ

Καὶ νεκρὸς εἶ, et mortuus es] Voluntaris in peccato homines latente, ac tali quod te a meo favore et vita aeterna excludat. Tales *mortui* dicuntur Eph. 2: 1, 1 Tim. 5: 6. Vide quae dicta ad Matth. 8: 22.

2. *Γίνου γρηγορῶν, esto vigilans*] Attende tibi; cave ab omnibus criminibus: non enim sufficit ab aliquibus esse immunem. Vide Matth. 24: 42.

Καὶ στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ ἔμελλες ἀποβαλεῖν, et confirma caetera, quae futurum erat ut amitteres] In Manuscripto, στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ ἔμελλεν ἀποθανεῖν [*confirma caetera, quae moritura erant*], quomodo legit Latinus. Virtutes mutuo gaudent comitatu. Quod si una desit, facile pereunt caeterae, Deo homines obdurante et trahente in malos sensus.

Omne in praecipiti vitium stetit.

Hoc ergo vult: Vide ne unum crimen negligendo plane fias flagitiosus, atque eo difficilior tibi reddatur poenitentia.

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amne.

Reliquias bonae mentis serva, expellendo venenum quod eas paulatim solet interficere.

Οὐ γὰρ εὗρόν σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ μου, non enim inveni tua opera plena coram Deo meo] Varius es. Quaedam bene agis, alia male. Deus autem non amat nisi in solidum suos, Matth. 6: 24. *Opera* hic intellige τὴν ὁμάδα [*universitatem*] eorum operum quae in Euangelio exiguntur. Christianus in sua militia, ita ut in armata Caesar, *nil debet actum putare dum quid agendum superest.* Vide Iac. 2: 10 et ibi dicta. Christus Patrem etiam supra *Deum suum* dixit 2: 7 et dicit infra 12. *Coram Deo*, id est, Deo teste ac iudice.

3. *Μνημόνευε οὖν πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας, memor sis ergo quo modo acceperis et audieris*] Id est, ἀκούων εἴληφας [*audiens acceperis*]. Etiam atque etiam cogita qualem doctrinam ab Apostolis acceperis. Pari sensu μνημόνευε habuimus et supra 2: 5. *Λαμβάνειν* aut παραλαμβάνειν לקח aut קבל de doctrina dici solet, 2 Ioh. 4, 1 Cor. 11: 23, 15: 1, 3, Gal. 1: 9, Phil. 4: 9, Col. 2: 6, 1 Thess. 2: 13, 4: 1, 2 Thess. 3: 6.

Καὶ

Kaì τήρει, et observa] Observa ista, non quaedam, sed omnia. Sic τηρεῖν habemus Ioh. 14: 15, 21, 23, 24, 15: 10, 20, 1 Tim. 6: 14, 1 Ioh. 2: 3—5, 3: 22, 24, 5: 2, 3.

Kaì μετανόησον] *Poenitentiam age* de illis quorum tibi es conscius.

Ἐὰν οὖν μὴ γρηγορήσῃς ἥξω ἐπί σε ὡς κλέπτης, καὶ οὐ μὴ γνῷς ποίαν ὥραν ἥξω ἐπὶ σε, quodsi non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora ad te veniam] *Venire* Christus dicitur et cum ad iudicium universale veniet, et tunc cum quemque ex hac vita abducit. Vide Ioh. 21: 22. At sicut *furis* comparatio ultimo iudicio aptatur, Matth. 24: 43, 1 Thess. 5: 2, ita et morti improvisae, ut hic, et aliis iudiciis improvisis, ut infra 16: 15. Apposite autem ad rem hoc dicitur, quia peccatores plerumque eo sibi blandiantur quod putent satis sibi temporis fore ad poenitentiam. *Ἐπὶ σε* hic deest in Manuscripto. *Ποίαν ὥραν* pro *κατὰ ποίαν ὥραν*· alioqui diceretur *ποίᾳ ὥρᾳ*, ut Matth. 24: 42. Custodes in Templo etiam nocte vigilabant.

4. *Ἀλλ' ὀλίγα ἔχεις ὀνόματα ἐν Σάρδεσιν, ἃ οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, sed habes pauca Sardis nomina, quae non polluerunt vestes suas*] Excitat Episcopum exemplis de plebe propositis. *Ὀνόματα* sunt *personae*, ut Act. 1: 15 et infra 11: 13. *Vestis* animi est conscientia. Ea *polluitur* criminibus, pura servatur per innocentiam et sanctitatem. *Μολυσμὸς* est quicquid sanctitati repugnat, 2 Cor. 7: 1, *μιάσματα* 2 Petr. 2: 20, *σπῖλος* Iac. 1: 27.

Kaì περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς, et ambulabunt mecum in albis] Non idem est *vestis pura* et *λευκὴ* [*alba*]. Nam *λευκὰ ἱμάτια* hoc loco et infra 3: 18, 4: 4, sunt *vestes coruscantes*, ut discimus Matth. 17: 2 et Luc. 9: 29 et Ioh. 20: 12, et sic sume *στολὰς λευκὰς* [*stolas albas*] infra 6: 11, 7: 9, 13. Quos Rex maximo in honore habet, eos et sibi comites vult esse et magnifice vestiri. Tales illi erant Christo in hac ipsa vita.

Ὅτι ἄξιοί εἰσι, quia digni sunt] Vox illa *digni* congruentiam quandam significat inter actus et honorem actibus redditum, etiamsi honor superet actus, ut Luc. 7: 4.

5.

5. *Ὁ νικῶν, qui vicerit*] Id est, Non illi tantum Sardiani, sed et quotquot pari modo voluptatis ac terroris tentamenta superaverint.

Οὗτος περιβαλεῖται ἱματίοις λευκοῖς, induetur vestibus albis] Erit apud me in honore quali Iosephus apud Pharaonem, Gen. 41: 41, 42.

Καὶ οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς, nec delebo nomen eius de libro vitae] Id est, Ius habebit ad vitam aeternam, et ipse id intra se sentiet. Similitudo sumpta a more civitatum apud quas cives inscribebantur albo; et ex eo eradebantur si facti essent ἄτιμοι [*ignominiosi*]. Vide Luc. 10: 20, infra 13: 8, 17: 8, 20: 12, 15, 21: 27. Est autem hic λιτότης [*extenuatio*]. Nam οὐ μὴ ἐξαλείψω dicitur pro *diligenter asservabo*. Ἐξαλείφειν est מחה. Vide Act. 3: 19, Col. 2: 14 et Exod. 32: 32, 33, addito loco Luc. 9: 25, 12: 8, 9.

6. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*] Nempe Sardianae et in Lydia aliis. Quae dico Episcopo, dico et auditoribus.

7. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Φιλαδελφείᾳ ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Philadelphiae Ecclesiae scribe*] Urbs est Mysiae condita ab Attalo, cui cognomen erat *Philadelpho*.

Τάδε λέγει ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, haec dicit Sanctus et Verus]: *Sanctus* Christus dicitur etiam Act. 3: 14, hic autem additur, ὁ ἀληθινός, id est, *eximie sanctus*. *Verum* enim saepe dicitur id quod in unoquoque genere eminet, Ier. 2: 21, Ioh. 1: 9, 4: 23, 6: 32, 15: 1, 1 Thess. 1: 9, 1 Petr. 5: 12, 1 Ioh. 2: 8. Hoc ideo dicit ut Episcopi ipsius sanctitatem, quantum fieri potest, imitentur. In Manuscripto mutato ordine, ὁ ἀληθινός, ὁ ἅγιος.

Ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβίδ, qui habet clavem Davidis] Id est, Qui non tantum *Mortis* et *Inferni* ius habet, ut supra 1: 18, sed plenissimum imperium in domo Dei, quemadmodum Eliacimus in domo Ezechiae qui erat ex Davidis posteris. Is Eliacimus fuit, ut Constantinopolitani loquebantur, κουροπαλάτης [*curator palatii*] Ezechiae, cuius functionis insigne erat clavis figura intexta epomidi. Vide Esai. 22: 22.

Ὁ

Ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει αὐτὴν, qui aperit nec quisquam claudet eam] *Αὐτὴν* non est in Manuscripto. Est autem locutio plane Hebraea, pro qua Graeci dicerent, *οὗ ἀνοίγοντος οὐδεὶς κλείει* [*quo aperiente nemo claudit*]. Nemo in palatio ei audet contradicere aut contra eius iussa facere. Esai. 22: 22, quo hic locus respicit, legitur: *Καὶ ἀνοίξει, καὶ οὐκ ἔςαι ὁ ἀποκλείων· καὶ κλείσει, καὶ οὐκ ἔςαι ὁ ἀνοίγων* [*Et aperiet, neque erit qui claudat; et claudet, neque erit qui aperiat*].

Εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει αὐτὴν, nisi qui aperit, et nemo claudet eam] Melius in Manuscripto, *κλείων καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει* [*qui claudit et nemo aperit*], ut in Esaia, id est, *κλείοντος οὐδεὶς ἀνοίγει* [*claudente nemo aperit*]. Omnia ei parent. Latinus haec et praecedentia legit ita ut sunt in Manuscripto.

8. *Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi opera tua*] Laborem tuum in propagando Euangelio.

Ἰδοὺ δέδωκα ἐνώπιόν σου θύραν ἀνεῳγμένην, ecce dedi coram te ianuam apertam] *Ἐνώπιόν σου* pro *σοι*, ut et supra 2: 14. *Ianuam* intellige occasionem libere annunciandi Euangelii, ut 1 Cor. 16: 9, 2 Cor. 2: 12, Col. 4: 3, ubi dicta vide. Et bene hoc convenit cum dictis supra, *Ego aperui, et quis claudet?*

Ἣν οὐδεὶς δύναται κλεῖσαι αὐτὴν, quam nemo potest claudere] Rursum Hebraismus. Sensus: Nemo illam libertatem praedicandi impedire poterit.

Ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν, quia modicam habes virtutem] Hoc ideo feci quia nunc *modicam* habes Ecclesiam, quae hic vocatur *δύναμις*, id est, *exercitus*, צבא, ut Matth. 22: 29, 30, ad exemplum Danielis, apud quem populus Iudaicus vocatur צבא השמים, *δύναμις τοῦ οὐρανοῦ* [*virtus coeli*], 8: 10.

Καὶ ἐτήρησάς μου τὸν λόγον] Id est, *Et tamen perstitisti in observandis praeceptis meis*. Vide supra 3.

Καὶ οὐκ ἠρνήσω τὸ ὄνομά μου, nec negasti nomen meum] Non dissimulasti te esse Christianum. לא כפרת.

9. *Ἰδοὺ, δίδωμι ἐκ τῆς συναγωγῆς τοῦ Σατανᾶ, τῶν λεγομένων ἑαυτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ ψεύδονται, ecce dabo de Synagoga Satanae, qui dicunt se Iudaeos esse, nec sunt, sed mentiuntur*] Interpreta-

tare ut supra v. 9, et hic quoque subaudi *τινας* [*aliquos*].

'Ιδοὺ ποιήσω αὐτοὺς, ecce faciam illos] Post multa verba interposita solet repeti aut vox quae praecessit, aut alia similis. Ita hic *ἰδοὺ ποιήσω* idem est quod *ἰδοὺ δίδωμι*· nam Hebraei נתן [*dedit*] sic usurpant pro שם vel שת [*disposuit*]. Vide Gen. 3: 2, collato 1: 17, Ezech. 34: 26, collato Ps. 21: 7.

"Ινα ἥξωσι, ut veniant] *Πλεονασμὸς* [*abundans sermo*], de quo diximus supra 2: 5, 18. Deinde *ποιήσω ἵνα ἥξωσι*, *faciam venire*. Sic Luc. 5: 35, *ποιῆσαι νηστεύειν*, in Syriaco., *facere ut ieiunent*.

Καὶ προσκυνήσωσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σου, et adorent ad pedes tuos] Id est, Christiani fiant, et tum tibi ut Episcopo honorem exhibeant, constituti in locis inferioribus. Vide Act. 22: 3. *Προσκυνεῖν* proprie quidem *manus osculari*, sed per *κατάχρησιν* [*abusionem*] *qualecunque honoris signum exhibere*. Ad pedes autem prosterni maxima submissio, 1 Sam. 25: 24, Luc. 4: 7, addito Matth. 4: 9, infra 22: 9.

Καὶ γνῶσιν ὅτι ἐγὼ ἠγάπησά σε, et sciant, me te dilexisse] *Tunc agnoscent quanti te fecerim*, qui te tanquam instrumento electo uti voluerim ad eorum conversionem.

10. *"Οτι ἐτήρησας τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου*] *Quia* in multis adversis *observasti praeceptum meum patientiae*, id est, de patientia. Duplex genitivus, alter causae efficientis, alter materiae. Praeceptum hoc est Luc. 21: 19 et alibi. In Manuscripto est *καὶ ἐτήρησας*, et sic legit Latinus. *Τηρεῖν λόγον praeceptum observare*, locutio frequens in Euangelio Iohannis. *Patientia Christi* dicitur ea quam Christus praecepit, etiam 2 Thess. 3: 5.

Κἀγώ σε τηρήσω ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ τῆς μελλούσης ἔρχεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, πειράσαι τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, et ego servabo te ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum ad tentandos habitantes in terra] *Πειράσαι* pro *εἰς τὸ πειράσαι*. Deinde *οἰκουμένη* et *γῆ* sgnificant hic terras imperii Romani, ut Luc. 2: 1. *Tentatio* de qua hic agitur est persecutio sub Nerone, de qua et infra 12. Servabo te ab illa saevitia intactum, ut mihi diu sis usui, quandoquidem idoneum

te

te reperi. Ὥρα est quodvis tempus, etiam satis longum, Ioh. 5: 25 et 1 Ioh. 2: 18. Et μετωνυμία [*transnominatio*] est in voce πειρασμοῦ, quia omnis gravis persecutio adfert tentationem. Par locutio ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι [*e tentatione eripere*] 2 Petr. 2: 9, quod ibi explicatur Lothi exemplo.

11. *Ἔρχομαι ταχὺ, venio cito*] Brevi immittam in Ecclesias illam persecutionem.

Κράτει ὃ ἔχεις, retine quod habes] Retine tunc fidem et professionem. Servabo te in vita: tu vide ne metu deficias. Nemo eousque profecit, ut non cavere sibi debeat, 1 Cor. 9: 27.

Ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου, ne quis aucupet coronam tuam] Ne tu honorem perseverantiae amittas, aliis eum accipientibus. Vehementius urit iactura dignitatis, si non tantum nos ea excidamus, sed et alterum videamus ea potiri. Iob. 34: 24, Matth. 25: 28.

12. *Ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στύλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου, qui vicet, faciam illum columnam in templo Dei mei*] Quae ad Episcopum dixerat, ad alios quoque extendit, ut et supra semper. Et est Hebraismus, ὁ νικῶν ποιήσω αὐτὸν pro quo Graeci dicerent, τὸν νικῶντα ποιήσω [*victorem faciam*]. Cum *columnam* dicit, respicit duas illas columnas quae erant in fronte Templi Salomonis, et ob firmitatem vocabantur *Iakin* et *Booz*, 1 Reg. 7: 15, 21 et 2 Par. 3: 15—17. Cur autem hac similitudine utatur iam explicabit.

Καὶ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι, et foras non amplius egredietur] Id est, *Non iterum cogetur effugere*, ut sub Nerone. Perpetuo manebit in Ecclesia Sardiana [Philadelphensi], sicut columnae illae manebant in Templo.

Καὶ γράψω ἐπ' αὐτοῦ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ μου, et scribam super eum nomen Dei mei] Persequitur translationem. Nam in columnis fiebant inscriptiones quales sunt quae in Psalmis dicuntur מכתב [*inscriptio*]: ita enim legere Graeci Ps. 16 et alibi, ubi nunc libri Hebraici habent מכתם [*absconditum*], vertunt Graeci στηλογραφία [*columnae inscriptio*]. *Nomen Dei* quod ait, scriptum iri in columna est nomen יהוה, quod significat Deum impleturum promissa, ut intelligi potest Exod. 6: 3, et iis quae dicta hic supra 1: 4 et 8. Sensus est, eos qui in persecutione Neroniana con-

constantes fuerint visuros spiritu Prophetico, quomodo Deus secundum sua promissa triumphaturus sit de Iudaeis et Romanis: quod praecipuum et Apocalypseos argumentum.

Καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ Θεοῦ μου τῆς καινῆς Ἱερουσαλὴμ, ἡ καταβαίνει ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ μου, et nomen civitatis Dei mei novae Hierosolymae, quae ex coelo descendit a Deo meo] Hoc nomen est ἐκκλησία καθολικὴ [*Ecclesia Catholica*], nempe libera et florens sub Imperatoribus Christianis. Ea *ex coelo descendit*, id est, Dei beneficio admirabili procurata est. Vide Ioh. 5: 33, 38, 41, 42, 50, 51, 58, et ibi dicta confer cum eis quae habebimus infra 21. Verbum *descendendi* significat id quod hic describitur in terris fore. In Manuscripto est ἡ καταβαίνουσα, quod satis redolet locutionem Iohannis, qui rectis uti solet pro obliquis.

Καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινὸν, et nomen meum novum] Hoc novum nomen Christi est, *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΚΑΙ ΚΥΡΙΟΣ ΚΥΡΙΩΝ* [*REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM*], ut videra est infra 19: 6. Vide et supra 2: 17.

13. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*] Ecclesiae Philadelphiae et aliis in alia parte Mysiae.

14. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ ἐκκλησίας γράψον, et Angelo Laodiceae Ecclesiae scribe*] Urbs est Lydiae ad Lycum amnem, ubi ante Pauli eo adventum Ecclesia aliqua erat ex Iudaeis dispersis.

Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, haec dicit Amen] Ex adverbio fecit nomen, sicut Latini dicunt *clarum, mane, cras illud, cras hesternum*. Esai. 65: 16 Deus vocatur אלהי אמן [*Deus Amen*]. Significat autem Christus se eum esse per quem omnia promissa implentur: quod Paulus dixit 2 Cor. 1: 20, *omnia promissa in Christo esse Amen*.

Ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, testis fidelis et verus] Supra 1: 5. Id ideo hic repetit, ut promissorum de vita aeterna certitudo languidos excitet.

Ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, principium creationis Dei] *Novae creationis*, de qua agitur 2 Cor. 5: 17,

Gal. 6: 15. Vide et Col. 1: 18 et Iac. 1: 18. Hoc ideo dicit ut Laodicenus Episcopus a Christo sibi exemplum sumat, qui vere est ראשית דרכי אל [*institutorum Dei principium*].

15. *Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi opera tua*] Describit id hominum genus qui Christianorum coetus adeunt et eis se aggregant, sed vitam non instituunt ad normam Euangelii: quales et Paulus describit 2 Tim. 3: 5 et 7. Vide et Matth. 7: 22 et Hebr. 10: 29. Non longe hinc abibat ille ad quem Epictetus apud Arrianum IV. 7: Ἐμπέπηγας ἤδη τὸ ἐν τῇ ῥίζῃ κάτω, τὰ δ᾽ ἄνω οὐ μακρὸν ἔτι ἀνθεῖ [*Coaluit sane terrae radix, at quae supra sunt florem fere non ferunt*].

Ὅτι οὔτε ψυχρὸς εἶ, οὔτε ζεστὸς, neque frigidum te esse neque fervidum] *Frigidi* sunt qui nullam habent Euangelii notitiam, ac proinde nec ullos motus Christianos. *Fervidi*, qui praediti sunt Christiana dilectione, quae igni comparatur, ut amor omnis. In Glossario, ζεστὸς, *fervidus, fervens*. Vide Cant. 8: 7 et ibi dicta.

Ὄφελον ψυχρὸς εἴης ἢ ζεστὸς, utinam aut frigidus esses aut fervidus] Hoc ideo quia levius est verum ignorare, quam cognito non uti, Luc. 12: 28, 2 Petr. 2: 21, ubi dicta vide. Adde quod sanitatis maior spes *ἐν ἀκολάστῳ* [*in intemperante*], quam *ἐν ἀκρατεῖ* [*in incontinente*] ut ostendit Aristoteles. *Ὄφελον* אחלי. Utuntur Dioscorides, Galenus, alii.

16. *Οὕτως ὅτι χλιαρὸς εἶ, igitur quia tepidus es*] Οὕτως hic valet על כן *igitur*. In Glossario, *χλιαρὸν, tepidum*. Utuntur Aristoteles, Galenus et alii. *Χλιαρὸς* חם. Hos διψύχους vocat Hermas III. 8.

Καὶ οὔτε ζεστὸς, οὔτε ψυχρὸς, et nec fervidus nec frigidus] Clarius explicat quid sit *χλιαρός*.

Μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου, te evomam ex ore meo] Prosequitur comparationem. Tepida sunt *ἐμετικά* [*vomitoria*]. Celsus I. 2: *Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tanquam tepidam ante debet assumere*. Significat autem Christus tales homines sibi esse molestos, sicut illa quae nauseam movent. *Evomit* Christus quos admonere desinit. Par translatio cum quis dicitur *rem aliquam concoquere non posse*.

17. Ὅτι λέγεις, Πλούσιός εἰμι, καὶ πεπλούτηκα, καὶ οὐδενὸς χρείαν ἔχω, *quia dicis, dives sum, et locupletatus, et nullius rei indigeo*] Est gradatio. Multum est *divitem esse*; plus vero cum dives sit, adhuc *locupletari*; maximum vero, *nullius plane rei indigere*. Tales sibi videntur qui fidem qualemcunque in se sentiunt, et Christianismum profitentur; et haec cum habeant, putant sibi nihil deesse ad salutem. Vide Iac. 2: 26. Talium figura Israelitae Decem tribuum, qui et ipsi se *divites* dicebant, Hos. 12: 8.

Καὶ οὐκ οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος καὶ ὁ ἐλεεινὸς, et nescis, quam sis miser et miserabilis] Eum qui felicem se putabat ostendit ita esse infelicem, ut omnium misericordiam commovere debeat, idque in summo gradu, quod indicat appositus articulus. *Ταλαίπωρος* שדוד Iud. 5: 27.

Καὶ πτωχός] *Egens* rerum ad salutem necessariarum.

Καὶ τυφλὸς, et caecus] Non videns quam sis miser. *Τυφλὸν* dixit *κατ' αὔξησιν* [*per augmentum*] pro *lippiente*, ut infra apparebit.

Καὶ γυμνὸς, et nudus] Carens iustitia, quae vestitus est Christianorum, infra 19: 18.

18. *Συμβουλεύω σοι, suadeo tibi*] Poterat imperare, sed mavult suadentis personam sumere, quia id quod dicturus est isti Episcopo et eius similibus est utilissimum.

Ἀγοράσαι χρυσίον παρ' ἐμοῦ, emere a me aurum] *Emere* est comparare cum aliquo labore, ut Prov. 3: 14, 23: 23. *Aurum* hic est affectus permanens, per quem diligitur Deus et proximus. Is comparatur edomatione carnis et precibus assiduis. Vide Matth. 13: 45.

Πεπυρωμένον ἐκ πυρός] *Probatum igne*. Nam ἐκ ut מ Hebraeum saepe nota est instrumenti. *Πυροῦν* est *probare*, *excoquere*. Aurum optimum est quod *igne perpurgatum* est. Vide supra 1: 15.

Ἵνα πλουτήσῃς, ut locuples fias] Ut maiora in dies dona accipias, non in opinione, sed in re, 1 Tim. 6: 17, Tit. 3: 6, 1 Cor. 4: 8, 2 Cor. 8: 9.

Καὶ ἱμάτια λευκὰ, ἵνα περιβάλῃ] Compares tibi etiam *splendidas vestes, quibus amiciaris*, id est, opera ex dilectione procedentia.

Μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου, ne appareat

 pu-

pudor nuditatis tuae] ערוה, quod modo *αἰσχύνη* modo *γύμνωσις* vertitur. Est ergo hoc dictum sicut *terra luti*, bis idem. *Pudenda* autem per figuratam locutionem significant peccata. Ea in homine emendato non amplius apparent: non meminit eorum Deus.

Καὶ κολλούριον ἔγχριζον ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς σου, ἵνα βλέπῃς, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas] *Κολλούριον* scribit et Anatolius. Alii volunt *κολούριον* scribi, *παρὰ τὸ κολούειν τὸ ῥεῖν, quod fluxum sistat*; alii *κολλύριον*, quod fiat ad formam panis cuiusdam. *Collyriorum* adversus oculi morbos descriptiones habes aliquas libro sexto Celsi, ubi et *inungere* dicit quod hic *ἐγχρίειν*. Manuscriptus hic, *ἐγχρῖσαι τοὺς ὀφθαλμοὺς* [*ad oculos inungendos*], id est, impetra a Deo clarum conspectum mysteriorum Dei et rerum futurarum.

19. *Ἐγὼ ὅσους ἐὰν φιλῶ, ego quos amo*] Id est, quos non plane ob diuturna peccata abiicere et obdurare constitui. Dicitur enim hic *φιλῶ* non absolute sed comparate, ut alibi *μισεῖν* [*odio habere*]. Vide 2 Cor. 2: 24, Gal. 6: 11.

Ἐλέγχω καὶ παιδεύω] *Reprehendo* verbis, *castigo* verberibus. Sic verbum *ἐλέγχειν* habes Ioh. 8: 46, 1 Tim. 5: 20, *παιδεύειν* vero 1 Cor. 11: 32, 1 Tim. 1: 20, Hebr. 12: 7. Sumpta verba ex Prov. 3: 12.

Ζήλωσον οὖν] *Incalesce*, tu tepide. Nam ardens amor *ζῆλος* dicitur, קנא Num. 11: 29, Ps. 69: 9 et alibi. In Manuscripto, *ζήλευε οὖν*.

Καὶ μετανόησον] Ex amore in me *vitam corrige*. Vides hic alternas circa conversionem actiones Christi et hominum.

20. *Ἰδοὺ, ἕστηκα ἐπὶ τὴν θύραν, καὶ κρούω, ecce sto ad ostium et pulso*] Redit ad ostium, sed alio sensu, sicut pastoris similitudo varie usurpatur Ioh. 10. At dicat aliquis, cur pulsat qui clavem habet? Dicam, quia pessulus erat obditus ostio, qui amoveri debebat. Is pessulus est peccandi consuetudo.

Ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου, si quis audierit vocem meam] Nam solent qui pulsant simul clamare, *Aperi*, ut in Comoediis. Et *clamor* hic et *pulsatio* significant cogitata a Deo iniecta ad monendam peccatoris conscientiam. Id Deus aliquamdiu facit, non semper. Multos enim sui contumaces obdurat.

Καὶ

Καὶ ἀνοίξῃ τὴν θύραν, et aperuerit ianuam] Si salutaria monita admittat.

Καὶ εἰσελεύσομαι πρὸς αὐτὸν, et intrabo ad illum] Καὶ hic παρέλκει [*abundat*], more Hebraeo, et abest in Codicibus quibusdam: neque legit Latinus. *Intrat* Christus ubi Spiritum suum reddit.

Καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ, et coenabo cum illo et ipse mecum] Magnus honos Regem habere convivam. Per convivium autem intelligitur gaudium tum Christi ob conversum peccatorem, tum peccatoris conversi ob Christum in se habitantem. Solent enim magnae laetitiae exprimi conviviorum similitudine, Luc. 12: 37, 15: 23.

21. *Ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ, qui vicerit, dabo ei*] Eadem locutio quae supra 12. *Qui vicerit*, nempe peccati consuetudinem.

Καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, sedere mecum in solio meo] Id est, In solio quod ego ipsi dabo. Vide supra 2: 26 et ibi dicta, et Ioh. 17: 24.

Ὡς κἀγὼ ἐνίκησα, sicut et ego vici] Tentationes omnes. De hac victoria mystica praedictio Esai. 63.

Καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ, et sedi cum Patre meo in solio eius] Id est, In eo solio quod Pater mihi dedit, Ps. 110, Dan. 7: 9, 14, Matth. 22: 44, infra 22: 1.

22. *Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*] Nempe Laodicenae, et aliis ei proximis.

CAPUT IV.

Post absolutum visum, monita salutaria continens ad septem Episcopos et Ecclesias, sub quorum exemplo alii quoque Episcopi et Ecclesiae intelliguntur, sequuntur visa alia, quae diversis temporibus Apostolo obtigere, et postea in unum volumen redacta sunt: quod et in prophetiis aliis evenit, saepe etiam non annotato temporis discrimine, sed dato intelligi ex iis quae loco quoque continentur. Pertinent autem haec visa ad res Iudaeorum,

usque ad finem capitis undecimi: inde ad res Romanorum, usque ad finem capitis vicesimi: deinde ad statum florentissimum Ecclesiae Christianae, ad finem usque. Sicut autem Prophetae veteres non tangunt res Assyrias, Babylonicas, Aegyptias, nisi quatenus connexae sunt cum rebus Iudaicis, id est, ad praedicenda mala quae Iudaei ab illis erant perpessuri; et rursum poenas quas ab illis gentibus sumpturus erat Deus, ut et praemunirentur pii adversus mala praevisa, et in ipsis malis solatium acciperent ex praevisa ultione; ita et hic Apostolus praedicit primum iniurias Iudaeorum et Romanorum in Christianos, deinde severa Dei iudicia adversus Iudaeos, et porro adversus Romanos idololatras, ut intelligerent Christiani, neque sibi mala evenire nisi singulari Dei dispositu, neque in ipsis malis se a Deo negligi, qui et certa tempora illis malis praefinierit, et acerbissima supplicia sumpturus sit ad vindicandum Martyrum sanguinem. Sicut autem et Esaias 6 et Ezechiel 8, praesignificaturi Dei iudicia, Divinam Maiestatem et Angelicum famulatum vident in Templo Hierosolymitano apparentem; ita et Iohannes in Patmo videt *ἐν ἐκστάσει* [*in mentis alienatione*] Dei et Christi Maiestatem, et Angelicum famulatum relucentem in ipso coelo, et eo assumi praesides Ecclesiae Hierosolymitanae, ut cum ipso futura contemplentur; norintque non tantum a Deo se summe curari, verum et unam se facere cum Angelis Dei ac Christi familiam, et cives coelestis patriae se esse spe ac iure, Phil. 3: 20, Eph. 2: 6, Hebr. 12: 22.

1. *Μετὰ ταῦτα εἶδον, post haec vidi*] Alio tempore, quod peculiariter notari nihil erat opus. *Εἶδον* חזה הוית Dan. 4: 10.

Καὶ ἰδοὺ θύρα ἀνεῳγμένη ἐν τῷ οὐρανῷ, et ecce ianuam apertam in coelo] Id significat Deum Iohanni mira ac coelestia patefacturum. Vide Matth. 3: 16 et ibi dicta. Per hanc ianuam Iohannes *ἐν ἐκστάσει* [*in mentis alienatione*] in coelum admittitur, sicut Ezechiel absens in Templum. Simile vide 2 Cor. 12: 2.

Καὶ ἡ φωνὴ ἡ πρώτη ἣν ἤκουσα ὡς σάλπιγγος λαλούσης μετ' ἐμοῦ, et vox prima quam audieram tanquam tubae loquentis mecum] Vox illa sonora quam in primo viso audi-

dic-

dieram, supra 1: 10, 12, id est, vox Christi plena Imperii.

Λέγουσα, dicens] Supple ἦν [*erat*], quales particulae saepe in hoc libro subaudiuntur.

Ἀνάβα ὧδε, adscende huc] Tanquam per scalam Iacobi. In Manuscripto, ἀνάβαθι.

Καὶ δείξω σοι ἃ δεῖ γενέσθαι μετὰ ταῦτα, et ostendam tibi quae oportet fieri post haec] Nempe de Iudaeis. In Manuscripto, ὅσα δεῖ [*quaecunque oportet*].

2. *Καὶ εὐθέως ἐγενόμην ἐν πνεύματι, et statim fui in spiritu*] Non corpore in coelum adscendit, sed ἐν πνεύματι [*visione*], quae Spiritus dicitur etiam supra 1: 10.

Καὶ ἰδοὺ θρόνος ἔκειτο ἐν τῷ οὐρανῷ, et ecce solium positum erat in coelo] Dei Patris, ut apparet infra 5, 5: 7. Sic et Esai. 6: 1. Deum in solio videt, nempe paratum ad iudicia exercenda. Adde Dan. 7: 9, ubi *posita* quod hic ἔκειτο. Solet enim κεῖσθαι idem valere quod *poni*, ut 1 Tim. 1: 9, 1 Thess. 3: 3. Alludunt omnia ad vetus Tabernaculum. *Solium* hoc respondet Adyto.

3. *Καὶ ἐπὶ τοῦ θρόνου καθήμενος, et in solio sedens*] Deus Pater Regis specie. Ideo solium illud vocatur Hebraeis כסא כבוד, θρόνος δόξης [*sedes maiestatis*], *solium Regale*. In Manuscripto brevius καὶ ὁ καθήμενος. Nec aliter Latinus.

Ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίῳ, similis erat adspectu lapidi iaspidi et sardio] Ἴασπιν vocant Graeci Interpretes Exod. 28: 18, 39: 11, gemmam quae Hebraeis יהלם, ita dictam quod *ictibus resistat*. Qualem iaspidem videtur et Virgilius ponere in capulo ensis quem dat Aeneae. Per hoc significatur invicta Dei potentia. Iidem Graeci Exod. 28: 17, 39: 10, Ezech. 28: 13 σάρδιον ponunt ubi in Hebraeo אדם a *rubore*. Id significat vim Dei activam, qualis in igne est.

Καὶ ἶρις κυκλόθεν τοῦ θρόνου, et iris erat circa solium] Ex Ezech. 1: 28, ubi diximus per *iridem* Dei foedus significari ex historia quae est Gen. 9: 12. Et in Ezechiele quidem significatur foedus factum cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo; at hic foedus Euangelicum. Est autem iris *circa solium*, quia Deus in iudiciis semper foederis sui meminit.

Ὁμοία ὁράσει σμαραγδίνῳ, *similis visu smaragdo*] Inter varios iridis colores praecipuus est viror. Viror autem smaragdi suavissimus. *Nullius coloris adspectus iucundior*, ait Plinius in smaragdi laudibus. Per id significatur benignissimum esse foedus Euangelicum. Manuscripti multi, etiam ille vetustissimus, habent ὅμοιος, Attice. Σμαραγδίνῳ [*smaragdino*], supple λίθῳ [*lapidi*].

4. Καὶ κυκλόθεν τοῦ θρόνου θρόνοι εἴκοσι καὶ τέσσαρες· καὶ ἐπὶ τοὺς θρόνους εἶδον τοὺς εἰκοσιτέσσαρας πρεσβυτέρους καθημένους, *et circa solium solia viginti quatuor; et in hisce soliis vidi viginti quatuor Presbyteros sedentes*] Articulus ostendit certos Presbyteros intelligi, nempe Ecclesiae Hierosolymitanae, qui tum erant XXIV, ad instar totidem praecipuorum sacerdotum qui in Templo fuerant tempore Salomonis, 1 Par. 24: 4, Iosephus VII. 11. Horum Presbyterorum, numero non expresso, mentio Act. 15: 2, 4, 6, 23, 16: 4. *Sedent* autem Presbyteri *circa Dei solium*, quia Dei vice in Ecclesia iudicant. Sic Clemens Alexandrinus accepit Strom. VI. Et nota in Veteri Testamento apud solium *stare Angelos*, in Novo *sedere Presbyteros*. In Manuscripto tantum est, εἶδον πρεσβυτέρους καθημένους.

Περιβεβλημένους ἐν ἱματίοις λευκοῖς, *circumamictos vestimentis albis*] Cum summa dignitate. Vide supra 1: 13, 3: 4, 18. Illud ἐν abest in Manuscripto, non male.

Καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν στεφάνους χρυσοῦς, *et in capitibus eorum coronas aureas*] Regia insignia. Vide supra 2: 10 et ibi dicta, et Ps. 8: 5. Etiam Hebraei iustis dant coronas in altero seculo.

5. Καὶ ἐκ τοῦ θρόνου ἐκπορεύονται ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταί, *et de solio procedebant fulgura et voces et tonitrua*] In plurimis Manuscriptis ordo hic est, καὶ βρονταὶ καὶ φωναί. *Fulgura* et *tonitrua* significant minas Dei contra impios. Vide infra 8: 5, 10: 3, 4, 11: 19, 14: 2, 16: 18, 19: 6. *Voces* sunt in ipsis *tonitrubus*, infra 10: 3, id est, non generaliter tantum minatur, sed et speciales poenas praedicit.

Καὶ ἑπτὰ λαμπάδες πυρὸς καιόμεναι, *et septem candelabra ardentia*] Allusio ad candelabrum Templi septem habens lucernas. Per *candelabrum* autem significatur

Ec-

Ecclesia Hierosolymitana, ut aliae Ecclesiae supra 1: 20.

Αἵ εἰσιν ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ, quae sunt septem Spiritus Dei] Septem lucernae in candelabro significant multos modos Divinae Providentiae, per quos Ecclesia Hierosolymitana gubernatur, sicut mundus gubernatur per septem planetas. *Εἰσιν* [*sunt*], nempe in mysterio. In Manuscripto, ἅ ἐςι τὰ ἑπτὰ, non mala constructione.

6. *Καὶ ἐνώπιον τοῦ θρόνου ὡς θάλασσα ὑαλίνη, ὁμοία κρυςάλλῳ, et ante solium, tanquam mare vitreum, simile crystallo*] In Tabernaculo et Templo fuerat *mare*, id est, labrum ingens, Exod. 30: 18, 1 Reg. 7: 23, 2 Par. 4: 2. Significatur autem per hoc *mare*, id est, labrum aqua plenum, plebs Hierosolymitana. *Aqua* enim sunt *populi*, infra 17: 15, *mare*, multitudo, Abac. 2: 14. Dicitur autem *mare vitreum*, id est, aquae quae erant in labro; Sicut *pontus vitreus* Horatio: quia Deus et actiones et cogitata populi perspicit: quo sensu *mare vitreum* habemus et infra 15: 2. Sed hoc *mare* ita *vitreum* ut *crystallum referret*, propter summam puritatem plebis Hierosolymitanae eius quae Christo nomen dederat: quae puritas describitur Act. 2 et 4. Crystalli proprius candor. Ezech. 1: 22 כעין הקרח vertitur ὡς ὅρασις κρυςάλλου [*quasi adspectus crystalli*].

Καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου, καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου, et in medio solio, et circa solium] Id est: De quatuor Animalibus unum erat in gradibus qui ante solium (vide 1 Reg. 10: 19), duo a lateribus, unum retro, ac sic propiores erant solio quam Presbyteri. Gradus sumuntur ut pars solii.

Τέσσαρα ζῶα, quatuor Animalia] In Tabernaculo, in Templo Salomonis et in Viso Ezechielis duae sunt figurae pares, compositae ex quaternorum Animantium formis; hic vero, ut sequentia nos docent, quatuor formae Animantium distinctae. Quare id? Quia omnia in Novo Testamento distinctius quam in Vetere nascuntur. *Quatuor Animalia* hoc loco sunt quatuor Apostoli aut Apostolici viri qui tunc erant Hierosolymis velut vexilliferi castrorum Christi.

Γέμοντα ὀφθαλμῶν ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν, plena oculis ante et retro] Ex Ezechiele, ubi per vocem עינים, id est,

est, ὀφθαλμοὺς, diximus significari colores. Illi autem colores hic significant multiformia Dei dona, per quae Apostoli norant et praesentia et futura, Matth. 13: 52.

7. *Καὶ τὸ ζῶον τὸ πρῶτον ὅμοιον λέοντι, et Animal primum simile leoni*] Non dubito quin hic sit Petrus, ob principatum collocatus in fronte solii, fervens animo, et in hoc leoni similis.

Καὶ τὸ δεύτερον ζῶον ὅμοιον μόσχῳ, et secundum Animal simile vitulo] שור, quod *bovem* significat, μόσχον vertunt Graeci Interpretes plurimis in locis. *Bos* patientiam significat: per quam designari puto Iacobum fratrem Domini.

Καὶ τὸ τρίτον ζῶον ἔχον τὸ πρόσωπον ὡς ἄνθρωπος, et tertium Animal habens faciem uti homo] Bonitate Homo antecedit animantia caetera. Puto autem designari Matthaeum, qui diu dicitur mansisse in Iudaea. In Manuscripto, ὡς ἀνθρώπου [*quasi hominis*], quomodo et Latinus. Πρόσωπον, ut פני apud Ezechielem, est omne id *quod in conspectum cadit*, non *facies sola*.

Καὶ τὸ τέταρτον ζῶον ὅμοιον ἀετῷ πετωμένῳ, et quartum Animal simile aquilae volanti] Celeritatem ministerii significat: quod certe Paulo proprium, qui saepius Hierosolymis fuit, Act. 9: 26, Gal. 1: 18, 2: 1, Act. 15: 2, 21: 17. Et bene πετωμένῳ, quia semper erat in cursu.

8. *Καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα, ἓν καθ᾽ ἓν αὐτῶν ἔχον ἀνὰ πτέρυγας ἕξ, et quatuor Animalia, singula eorum habent alas senas*] Episcopi Angelis aequantur; Apostoli autem Seraphinis, Angelorum summis: nam desumptum hoc ex Esai. 6: 2. *Faciem* coram Deo *tegunt* Apostoli per ταπεινοφροσύνην [*humilitatem*] in animo et per corporis δουλαγωγίαν [*redactionem in servitutem*], in qua sunt ieiunia. *Pedes*, id est, ea quorum pudere debet, peccata scilicet, *tegunt* per cor contritum et vitam emendatam. *Volant* autem per fidem et dilectionem. Ecce *alas sex*, sane egregias. His remigiis ad solium Dei itur.

Κυκλόθεν καὶ ἔσωθεν γέμουσιν ὀφθαλμῶν, extra et intus plena sunt oculis] *Κυκλόθεν* istud omnino huc pertinet, non ad praecedentia. *Alae* enim *sex* quae tegunt faciem et pudenda, et quibus volatur, non possunt esse *in circuitu*. Sed κυκλόθεν καὶ ἔσωθεν valet *extra et intus*. Dona illa multiformia Apostolis data et in animo erant

et

et foris apparebant. Sic 1 Reg. 7: 36, ἔσωθεν, κυκλόθεν, id est, ἔσωθεν καὶ κυκλόθεν, sive ἔξωθεν.

Καὶ ἀνάπαυσιν οὐκ ἔχουσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, et requiem non habent die ac nocte] Hoc Paulus explicat Act. 20: 31. Quantum natura sinebat, nullum tempus vacare patiebantur a laboribus pro Dei laude. Sumptum ex Esai. 62: 6.

Λέγοντα, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus, sanctus, sanctus, sanctus, sanctus, sanctus, sanctus] In plurimis Manuscriptis ter tantum legitur ἅγιος, ut apud Esaiam. Et Hebraeorum mos est ter vocem repetere in rebus quas vehementer inculcatas volunt, Ier. 22: 29, Ezech. 21: 27.

Ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, Deus omnipotens] צבאות יהוה. Vide supra 1: 8.

Ὁ ἦν, καὶ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui erat, et qui est, et qui venturus est] Qui promittit, ac promissa praestat, et praestabit. Vide supra 1: 4.

9. *Καὶ ὅταν δώσει τὰ ζῶα δόξαν καὶ τιμὴν καὶ εὐχαριστίαν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et cum dant illa Animalia gloriam et honorem et gratias sedenti in solio, viventi in secula seculorum*] Magnifica Dei descriptio. Sic et infra 5: 14. *Gloria* Deo datur ob potentiam, *honos* ob proprietates, *gratiae* ob benefacta. *Εὐχαριστία* est תודה, pro quo *benedictionem* hic posuit Latinus interpres: de qua vocum permutatione vide quae diximus ad Matth. 26: 26. *Δώσει* et mox *πεσοῦνται* sunt futura pro quovis tempore, more Hebraeo.

10. *Πεσοῦνται οἱ εἴκοσι καὶ τέσσαρες πρεσβύτεροι ἐνώπιον τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ προσκυνήσουσι τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, procidunt viginti quatuor Presbyteri ante sedentem in solio, et adorant viventem in secula seculorum*] Apostolos Presbyteri Hierosolymitani fideliter subsequuntur. *Procidere in terram* et *προσκυνεῖν*, quod hoc loco est *pedes osculari*, summa sunt honoris signa. Vide Esai. 49: 23.

Καὶ βάλλουσι τοὺς στεφάνους αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, et mittunt coronas suas ante solium] Nimirum sic testantes se quicquid habent iuris ad Regnum, a Deo accepisse. Sic *Tiridates apud effigiem Caesaris posuit insigne Regium*, apud Tacitum Annalium XV.

11.

11. *Λέγοντες, Ἄξιος εἶ, ὁ Κύριος καὶ ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ ἅγιος, λαβεῖν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δύναμιν, dicentes, Dignus es, Domine et Deus noster sancte, qui accipias gloriam et honorem et virtutem*] Ὁ ἅγιος abest in Manuscripto, ut et in Latino. Per δύναμιν intelligitur hic μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] *potentiae confessio*: quomodo et Hebraei עז usurpant. Confer quod infra 11: 17.

Ὅτι σὺ ἔκτισας τὰ πάντα, καὶ διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ καὶ ἐκτίσθησαν, *quia tu creasti omnia, et per voluntatem tuam sunt et creata sunt*] Idem est quod Ecclesia Hierosolymitana Apostolis praeeuntibus dicit Act. 4: 24, ex Neh. 9: 6. Frustra Iudaei nos odio habent, cum non alium Deum colamus quam mundi partiumque eius Opificem, quem et suum Deum dicunt Iudaei. In Manuscripto est διὰ θέλημα τί σου, errore unius literae pro διὰ θέλημα τό σου. *Erant* iam homines, *quia tu volueras*; et *conditi sunt*, id est, iterum conditi, per Christum. Vide supra 3: 14. Solent nostri Scriptores etiam cum de hominibus loquuntur neutro genere uti. Vide Eph. 1: 10, Ioh. 12: 32, ut est in Latino et in Graecis exemplaribus quibusdam. Impletur hic quod praedixerat Esaias 24: 23, fore ut Deus glorificaretur in Ierusalem in conspectu servorum suorum.

CAPUT V.

1. *Καὶ εἶδον ἐπὶ τὴν δεξιὰν τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου βιβλίον, et vidi ad dexteram sedentis in solio librum*] Mos enim est libros quos magni facimus nobiscum ferre. Et *ad dexteram ponere* est velle exsequi.

Γεγραμμένον ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτὰ, scriptum intus, et extra signatum sigillis septem] Ita hoc distinguendum ut scripsimus: non enim dicit *librum intus et extra scriptum*, sed *intus scriptum, extra signatum*. Quod autem dicit *septem signis librum fuisse signatum*, est πρόληψις [*anticipatio*]. Vidit enim librum cum uno sigillo; sed eo aperto didicit sex esse partes signatas. Erant enim septem volumina, singula

gula signata, ita ut primo involutum esset secundum (nam paginae Hebraeae erant volumina מגלות) secundo tertium, atque ita deinceps.

2. *Καὶ εἶδον ἄγγελον ἰσχυρὸν, et vidi Angelum fortem*] In Veteri Testamento Deus omnia per Angelos exsequitur; in Novo per Christum maxima, minora per Angelos. Quo autem maior res agitur, eo maior Angelus ministrat. Ἰσχυρὸς, אל, quod cognomen magnis Angelis datur. Vide infra 10: 1, 18: 21. Magni illi erant Angeli: sed sunt quaedam Christo reservata.

Κηρύσσοντα φωνῇ μεγάλῃ, praedicantem voce magna] Ἐβόα ἐν ἰσχύϊ [*clamabat valide*], Dan. 3: 4, קרא בחיל. In Manuscripto ἐν φωνῇ μεγάλῃ, locutione Hebraea.

Τίς ἄξιος ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ, quis est dignus aperire librum et solvere signacula eius] Id est, Ἀνοῖξαι λυσάμενον [*aperire solutum*]; non poterat enim aperiri liber aut libri partes nisi sigillo quoque reserato. Similia in συνδέτοις [*colligatis*] habes alibi, ut Col. 2: 5, collato loco Act. 11: 23.

3. *Καὶ οὐδεὶς ἠδύνατο ἐν τῷ οὐρανῷ, οὐδ' ἐπὶ τῆς γῆς, οὐδὲ ὑποκάτω τῆς γῆς, ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, οὐδὲ βλέπειν αὐτὸ, et nemo poterat neque in coelo, neque in terra, neque subter terram aperire librum, neque introspicere illum*] Nulla res vivens. Ὑποκάτω τῆς γῆς, id est, in mari, ut et infra 13. Itaque Exod. 20 post בימים [*in mari*] additur מתחת לארץ [*sub terra*]. Vide quae ex Hebraeorum sententia diximus Ps. 24: 2. Rursus ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, οὐδὲ βλέπειν, pro ἀνοιξάμενον βλέπειν [*apertum introspicere*]; non possunt enim introspici paginae obsignatae nisi ruptis sigillis, Esai. 29: 11.

4. *Καὶ ἐγὼ ἔκλαιον πολὺ, ὅτι οὐδεὶς ἄξιος εὑρέθη ἀνοῖξαι καὶ ἀναγνῶναι τὸ βιβλίον, οὔτε βλέπειν αὐτὸ, et ego multum flebam, quod nemo dignus esset aperire et legere librum, nec introspicere eum*] Est gradatio, *nec aperire quis poterat, nec legere, imo nec introspicere saltem.* Didicerat Iohannes apud Hebraeos decreta Dei *obsignata* dici, quae certo erant futura, si non in singulis hominibus, certe in generibus hominum. Significantur autem hic decreta Dei pertinentia ad Iudaeos, quae Christus summatim praedixit Matth. 24, Luc. 21; hic vero multo explicatius.

5.

5. *Καὶ εἷς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων λέγει μοι, et unus de Presbyteris dicit mihi*] Vide quantus honos Presbyterorum. Danielem desiderantem res futuras cognoscere docet Angelus; Iohannem Presbyter. Sensus est, Alicui ex Presbyteris Hierosolymitanis a Deo patefactum fore ut Christus per Iohannem Ecclesiae Hierosolymitanae cognita faceret omnia quae ad ipsam pertinerent.

Μὴ κλαῖε] *Noli ita dolere*: habebis quod optas.

Ἰδοὺ ἐνίκησεν ὁ λέων ὁ ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, ecce vicit leo de tribu Iudae] *Ἐνίκησεν* est *obtinuit* id quod tu desperatum putabas. Illud ὁ λέων ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα ostendit sublimiore sensu in Christo, qui ex tribu erat Iudae, ut genealogiae docent, et Scriptor ad Hebr. 7: 13, 14, impletum vaticinium Iacobi Gen. 49: 9, cui addi potest et illud Num. 24: 17. Et propter illa verba Iacobi leo semper fuit in vexillo Iudae. Est autem hic ἔμφασις [*efficax sermo*]. Qui ut agnus apparet revera est leo.

Ἡ ῥίζα Δαβίδ, radix Davidis] *Μετωνυμία* [*transnominatio*]. Vult enim dicere *surculum ex radice Davidis*, quod de Ezechia dictum Esai. 11: 1. Est autem eadem *μετωνυμία* Os. 14: 6, et in dicto capite Esaiae comm. 10, quem locum Christo aptat Paulus Rom. 15: 12. Adde Esai. 53: 2, 1 Macc. 1: 10. Eximie autem hic titulus in Christum competit, in quo omnia rerum bonarum vaticinia vetera in sensu multo excellentiore implentur. Olim enunciabantur temporalia, latebant aeterna. Sic et infra 22: 16.

Ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς ἑπτὰ σφραγῖδας αὐτοῦ, aperire librum et solvere septem sigilla eius] Est hic σύλληψις [*complexio*]. Nam ἀνοῖξαι proprie de paginis dicitur, de sigillis λῦσαι, ut supra. Sensus est, *ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον λύσας τὰς σφραγῖδας* [*aperire librum solvens sigilla*]. Daniel, Christi figura, legit quod alii legere non valebant, Dan. 5: 8 et seqq.

6. *Καὶ ἰδοὺ, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν τεσσάρων ζώων καὶ ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων, et ecce, in medio solii et quatuor Animalium et in medio Presbyterorum*] Illud καὶ post ἰδοὺ hic παρέλκει [*abundat*], more Hebraeo. Christus autem *agni* specie apparet hic *medio loco inter Apostolos et Presbyteros*, nimirum ut his et illis sit exemplo.

Ἀρ-

Ἀρνίον ἑστηκὸς, agnus stans] *Vivens.* Hoc ad resurrectionem pertinet.

Ὡς ἐσφαγμένον] *Ut qui mactatus fuerat*, id est, cruore manans et vulnera ostentans. *Σφάττειν* et *σφαγίζειν* verba propria victimis, Gen. 22: 10, Exod. 12: 6, 29: 11, 16, 20 et alibi saepe, infra 13: 8.

Ἔχον κέρατα ἑπτὰ, habens cornua septem] Ingentes vires ad domandos hostes, Ps. 75: 5, 10 et alibi. Sic infra Reges, qui imperium Romanum sustentabant, vocantur imperii Romani *cornua.* Res mira, agnus cornutus, et quidem septicornis. Post summam patientiam summae vires.

Καὶ ὀφθαλμοὺς ἑπτὰ, et oculos septem] Putem et hic per *ὀφθαλμοὺς* more Hebraeo intelligi colores, ut supra 4: 8.

Ἅ εἰσι, qui sunt] Nempe in mysterio, ut supra 4: 5. In Manuscripto *οἵ εἰσιν.* Utravis constructio bona est.

Ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ, ἀποςελλόμενα εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, septem spiritus Dei, missi in omnem terram] Quot modis Deus semper usus est in gubernando Universo, totidem modis Christus utitur in gubernanda, tuenda, vindicanda Ecclesia.

7. *Καὶ ἦλθε, καὶ εἴληφε, et venit, et accepit*] *Πλεονασμὸς* [*sermo exuberans*], de quo supra 2: 5 et alibi. *Εἴληφεν* in Manuscripto, quia vocalis sequitur.

Ἐκ τῆς δεξιᾶς τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου βιβλίον, de dextera sedentis in solio librum] Ipsi enim omnia Dei consilia patent, et ius habet ea patefaciendi quibus vult.

8. *Καὶ ὅτε ἔλαβε τὸ βιβλίον, et cum accepisset librum*] Nempe ut reseraret: quod sequitur 6: 1.

Τὰ τέσσαρα ζῶα, quatuor animalia] Apostoli alii, qui non minore quam Iohannes desiderio flagrabant noscendi quae Iudaeis erant eventura.

Καὶ οἱ εἴκοσι τέσσαρες πρεσβύτεροι, et viginti quatuor Presbyteri] Imitatores Apostolorum, ut supra 4: 9, 10.

Ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, ceciderunt coram Agno] Proximum honorem ei honori, quem Deo exhibuerant 4: 10, Christo exhibuere.

Ἔχοντες ἕκαςος κιθάρας, habentes singuli citharas] Instrumenta laudis, Ps. 33: 2, 49: 4, 57: 8, 71: 22, 92: 3, 98: 5, 108: 2, 147: 7, 150: 3, Sir. 39: 20. Intelligitur Verbi praedicatio. In Manuscripto *ἕκαςος κιθάραν.*

Καὶ

Καὶ φιάλας χρυσᾶς γεμούσας θυμιαμάτων, et phialas aureas plenas odoramentorum] Et hoc de Templo sumptum. Multa ibi erant phialarum genera, ad liba, ad sanguinem, ad vinum: de quibus quaedam diximus ad Zach. 9: 15, 14: 20. Hic autem intelliguntur *paterae*, in quibus erat thus et suffimenta alia: quas apud Latinos *acerras* dici putat Cornutus. Vide quae dicta ad 2 Par. 4: 22.

Αἵ εἰσιν αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων, quae sunt orationes sanctorum] Egregia comparatio, et desumpta ex Ps. 141: 2. Sicut suffimenta Templi adscendebant coelum versus, et bene olebant (vide Exod. 30: 34), ita preces piorum ad Deum eunt, Act. 10: 4, 31, Sir. 35: 20, eique gratae sunt. Vide infra 8: 3, 4, 18: 13. Philo de Sacrificantibus per *suffitum* ait significari τὸ καθαρώτατον τοῦ θύοντος, πνεῦμα λογικὸν [*id quod in immolante est purissimum, spiritum rationalem*]. Clemens Strom. VI: Βωμὸν δὲ ἀληθῶς ἅγιον τὴν δικαίαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς θυμίαμα τὴν ὁσίαν εὐχὴν λέγουσιν ἡμῖν ἀπιστήσουσιν [*Aram autem vere sanctam esse iustam animam, et qui ab ea emittitur suffitum sanctam orationem dicentibus nobis non credent*]. Origenes contra Celsum VIII: Βωμοὶ μὲν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγεμονικὸν, ἀφ' οὗ ἀναπέμπεται ἀληθῶς καὶ νοητῶς εὐώδη θυμιάματα, προσευχαὶ ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς [*Pro aris nobis sunt mens sua cuique iustorum, ex qua sursum feruntur vere atque intelligibiliter suave olentes suffitus, preces e pura conscientia*].

9. *Καὶ ᾄδουσιν ᾠδὴν καινὴν, et cantant canticum novum*] Ait Pindarus *cantionum novas magis probari*. Vide Ps. 33: 3, 40: 4, 96: 1, 149: 1, Esai. 42: 10. Eiusdem Pindari illud: Ψυχαὶ δ' εὐσεβῶν ἐν οὐρανοῖς ναίουσαι μολπαῖς μάκαροι μέγα ἀείδουσ' ἐν ὕμνοις [*Coelo degentes beatae piorum animae magna voce hymnos canunt*].

Λέγοντες, Ἄξιος εἶ λαβεῖν τὸ βιβλίον, καὶ ἀνοῖξαι τὰς σφραγίδας αὐτοῦ, dicentes, Dignus es qui accipias librum et aperias sigilla eius] Dignus qui noris et patefacias Dei arcana, qui ad Dei honorem tanta passus es, tanta fecisti.

Ὅτι ἐσφάγης, quoniam interfectus es] Plus intelligitur quam dicitur. Nam ex eo quod *interfectus* dicitur, intelligendum est quod semet morti obtulit ut Deo serviret et hominibus prodesset.

Καὶ

Καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς, et redemisti nos Deo] Id est, εἰς τὸ λατρεύειν Θεῷ [*ut serviamus Deo*], Luc. 1: 74. *Nos* cum dicit, Christianos intelligit omnium locorum et temporum, quos Christus a peccatis liberavit, magno impendio, vitae scilicet suae, Rom. 3: 24, 1 Cor. 1: 30, 6: 20, 7: 23, 1 Petr. 1: 18, 2 Petr. 2: 1, Gal. 4: 5 et alibi. Sic et infra 14: 4.

Ἐν τῷ αἵματί σου, sanguine tuo] In Manuscripto, ἐν τῷ αἵματι· quomodo δι' αἵματος 1 Ioh. 5: 6.

Ἐκ πάσης φυλῆς καὶ γλώσσης καὶ λαοῦ καὶ ἔθνους, ex omni tribu et lingua et populo et natione] *Ex omnibus tribubus* Israelis, *et* ex tot *linguarum* hominibus, sive illi moratiores sunt, qui λαοὶ [*populi*] dici solent, ut Graeci et Itali, sive barbari, quibus eximie competit ἐθνῶν [*nationum*] nomen: λαοί, φυλαί, γλῶσσαι est apud Danielem 3: 4.

10. *Καὶ ἐποίησας αὐτοὺς, et fecisti eos*] Transit sermo a prima plurali ad tertiam; non male, quia et de se loquuntur, et de aliis.

Βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς, Reges et Sacerdotes] Etiam in hac vita sensu aliquo, supra 1: 6. Manuscriptus βασιλείαν [*regnum*], abstractum pro concreto, more Hebraeo: quomodo ἱεράτευμα [*Sacerdotium*] 1 Petr. 2: 5, 9. Et ita hic legit Latinus.

Καὶ βασιλεύουσιν ἐπὶ τῆς γῆς, et regnabunt super terram] Id est, ἵνα βασιλεύωσιν ἐπὶ τῆς γῆς [*ut regnent super terram*]. Alii Manuscripti habent, ut et Latinus legit, καὶ βασιλεύσομεν ἐπὶ τῆς γῆς [*et regnabimus super terram*], pro ἵνα βασιλεύωμεν [*ut regnemus*], ut proprie de Apostolis et Presbyteris sermo sit, quibus datum est regimen Ecclesiarum. Vide supra 2: 27 et 4: 4. Et hoc Regnum in terris coeleste est: nam *quod ligant in terris, ligatum est in coelo*, Matth. 18: 18.

11. *Καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ἀγγέλων πολλῶν κύκλῳ τοῦ θρόνου, καὶ τῶν ζώων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, et audivi vocem Angelorum multorum circa solium, et Animalium et Presbyterorum*] Notatur consensio inter Angelos et Ecclesiam. Et *Angeli* ponuntur in extimo ambitu, ut qui non Deo tantum sed et Ecclesiae inserviant, Hebr. 1: 14. Sic et infra 7: 11.

Καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν μυριάδες μυριάδων καὶ χιλιάδες χιλιάδων, et erat numerus eorum millies centena millia, et decies centena millia] Dan. 7: 10, אלף אלפים ישמשונה ורבו רבון קדמוהי יקומון, *Χιλιὰς χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μυριὰς μυριάδες περιειστήκασιν αὐτῷ* [*Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei*]. Et nostra haec lectio est et apud Aretham. Confer Deut. 33: 2, Ps. 68: 17, Hebr. 12: 22.

12. *Λέγοντες φωνῇ μεγάλῃ, dicentium voce magna*] Approbant ea quae Apostoli et Presbyteri praedicant. *Λέγοντες* recte refertur ad *μυριάδες*, nempe *κατὰ τὸ σημαινόμενον* [*secundum id quod significatur*].

Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγισμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν καὶ πλοῦτον καὶ σοφίαν καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν, dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divitias et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem] Septem laudum nomina respondentia septem Spiritibus. In Latino legitur *Divinitatem*, ubi ab Interprete scriptum fuit *divitias*, *πλοῦτον*. Significatur autem confessio liberalitatis Christi. Par numerus infra 7: 12, ubi pro *πλοῦτον* habemus *εὐχαριστίαν* [*gratiarum actionem*]. *Δύναμις* גבורה, *ἰσχὺς* חכח, *τὸ κράτος* תחו.

13. *Καὶ πᾶν κτίσμα ὅ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ, et omnem creaturam quae in coelo est*] *In coelo*, nempe infimo, medio et summo, ut distinguunt Hebraei.

Καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἅ ἐστι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς, πάντας ἤκουσα λέγοντας, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in iis, omnes audivi dicentes]. Est *προσωποποιία* [*personae fictio*], qua sermo attribuitur inanimis aut mutis rebus, ut ostendantur illa omnia parere, non Deo tantum, sed et Christo, et eius gloriae inservire, Phil. 2: 9, 10, Hebr. 1: 6. Similia vide Deut. 32: 1, Esai. 1: 2, Abac. 3: 10, Ps. 19: 1 et alibi. In Manuscripto est, *πάντα ἤκουσα λέγοντα* [*omnia audivi dicentia*]. Illud *καὶ* ante verba *ἐπὶ τῆς θαλάσσης* sumo *ἐξηγητικῶς* [*explicative*], nempe ut praecedens locutio Hebraea per Graecam notiorem explicetur, sicut *Ἀββᾶ* explicatur per *πατήρ* [*pater*]. Vide quae supra 3. Illud autem *τὰ ἐν αὐτοῖς* ita sumo, ut

nt significentur ea quae in animantibus rebusque sunt intima, et oculos hominum effugiunt, argumento loci Ps. 103: 1, ubi in Graeco *πάντα τὰ ἐντός μου* [*omnia quae intra me sunt*]. Ostendit sigillorum apertio nullas esse creaturas quae non Christo serviant.

Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῷ ἀρνίῳ, sedenti in solio et Agno] Sic et infra 7: 10, 14: 4, 22: 3.

Ἡ εὐλογία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμὴν, benedictio et honor et gloria et potestas in secula seculorum. Amen] Similem δοξολογίαν [*laudationem*] vide supra 1: 6, 1 Tim. 6: 16, 1 Petr. 4: 11, Iud. 25, Rom. 11: 36, 16: 27, Gal. 1: 5, Eph. 3: 21, Phil. 4: 20, 2 Tim. 4: 18, Hebr. 13: 21, 2 Petr. 3: 18.

14. *Καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα λέγοντα τὸ Ἀμὴν, et quatuor animalia dicebant Amen*] Approbantes id quod Angeli quidem verbis, Mundus autem totus re ipsa fatebatur. Et dixit τὸ *Ἀμὴν*, quia vox erat recepta in Ecclesiis.

Καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἔπεσαν καὶ προσεκύνησαν, et Presbyteri ceciderunt in facies suas et adoraverunt] Honorem exhibuere, non Deo tantum, ut supra 4: 10, sed et Christo. Quod vero hic in nonnullis Codicibus additur, *ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων* [*viventem in secula seculorum*], deest in Manuscripto.

CAPUT VI.

1. *Καὶ εἶδον, ὅτε ἤνοιξε τὸ ἀρνίον μίαν ἐκ τῶν ἑπτὰ σφραγίδων, et vidi, aperuisse Agnum primum e septem sigillis*] Absoluto iam cantu. *Μίαν*, id est, *primam*, ut ex sequentibus apparet. Sic *μία σαββάτων prima inter duo Sabbata.*

Καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων λέγοντος, ὡς φωνὴ βροντῆς, Ἔρχου, et audivi primum e quatuor Animalibus dicens, tanquam voce tonitru, Veni] Videtur Iohannem hic alloqui princeps Apostolici coetus Petrus, qui et in praedicatione Euangelii, de qua hic agetur, primus fuerat. Ἑνὸς, id est, *πρώτου* [*primum*], quia sequitur *δευτέρου, τρίτου, τετάρτου* [*secundum, tertium, quartum*]: quomodò

iam et μίαν habuimus. *Vox tanquam tonitru* est vox magna et sonora: unde et Iohannes et frater eius dicti υἱοὶ βροντῆς [*filii tonitru*], Marc. 3: 17. *Veni*, nempe ut audias circumstantias singulares eorum quae generatim Christus nobis praedixerat Matth. 24, ut eo magis per te omnes agnoscant admirabilem Dei circa res Iudaicas providentiam.

2. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός, et vidi, et ecce equus albus*] Sunt apud Zachariam equi *rufi, nigri, albi, varii*, capite 6, qui significant, ut ibi diximus, Chaldaeos, Persas, Alexandrum, et Reges tum Syriae tum Aegypti, ex Seleuco et Lago. Sed ibi equi iuncti per quadrigas bellico more, hic *κέλητες* sive *singulares*, ad significandum iter properum cum potentia. Itaque Ps. 45: 4, ubi in Hebraeo est רכב, id est, *equita*, Graeci ponunt *βασίλευε* [*regna*]. Et Eccl. 10: 7 et Zach. 10: 3 *equus* ponitur pro potentiae signo. *Ἵππος εἰς ὕψος καὶ ἀξίωμα ἐκρίθη* [*Equus unus celsitudo et dignitas iudicabatur*], Achmeti 233. Pro *equis variis* in hac prophetia veniet *equus pullidus*. Eques hic agminis ductor Christus ipse est, qui iam non ut Agnus, sed ut Rex conspicitur. Manifestum id infra 19: 11—13, unde sequitur *equum candidum*, cui insidet, esse Euangelium ipsius ob puritatem. Vide supra 1: 14. Caeteri qui sequuntur equites Angeli sunt Divinae providentiae administri.

Καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν ἔχων τόξον, et qui ei insidebat, habebat arcum] Arcus minatur antequam feriat: sic et Christus. Vide Ps. 7: 12, 11: 2, 60: 4, in Graeco, ubi per *arcum* minas intelligit Basilius. Omnia quae nocent *μεταφορικῶς* [*per translationem*] vocantur *tela*. Sic apud Homerum:

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν,

[*Per tua tela mei poenas det Graecia fletus*],

id est, peste. Vide Deut. 32: 22, Abac. 3: 11, Os. 1: 5, Ps. 18: 4, 38: 2, 64: 3, 77: 18, 120: 4, 127: 4, 144: 6. In Manuscripto quoque est ἐπ' αὐτὸν, non ἐπ' αὐτῷ.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ στέφανος, et data est ei corona] Coronatus est tanquam victor.

Καὶ ἐξῆλθε νικῶν καὶ ἵνα νικήσῃ, et exivit vincens et ut vinceret] Hic prius καὶ est αἰτιολογικὸν [*redditivum* cau-

causae]. *Ideo coronatus est quia et vicerat et vincet. Vicerat* multos Iudaeos vi verbi sui, Act. 2 et deinceps; et *vincet* contumaces multis et variis telis suis. Tela Dei potissima tria sunt, bellum, fames et pestilentia, Lev. 26: 17 et seqq., Deut. 28: 52 et seqq., 2 Sam. 24: 13, 2 Par. 20: 9, Ier. 14: 12, 15: 2, 21: 7, 24: 10, 27: 8, 32: 36, 34: 17, 38: 2, 42: 17, 44: 13, Ezech. 5: 12, 17, 6: 11, 12, 7: 15, 12: 16, 14: 21. Dei providentiam Christus imitatur. Hae sunt *ἀρχαὶ ὠδίνων* [*initia dolorum*] in Christi verbis Matth. 24: 8. Solet praecedere Bellum; ex bello Vastitas nasci, et inde mala alimenta; ex malis alimentis Morbi. Saepe autem haec mala, aut bina, aut terna in idem tempus congruunt.

3. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν δευτέραν σφραγῖδα, ἤκουσα τοῦ δευτέρου ζώου λέγοντος, Ἔρχου, et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum Animal dicens, Veni*] *Secundum* istud *Animal* est, nisi fallor, Matthaeus, cuius sunt verba 24: 7, *Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεῖα ἐπὶ βασιλείαν* [*Insurget enim gens in gentem, et regnum in regnum*]: ubi per *βασιλείαν provincias* intelligi diximus, et ostendimus ex Esaia, qui Nomos Aegypti sic vocat, 19: 2.

4. *Καὶ ἐξῆλθεν ἄλλος ἵππος πυῤῥὸς, et exivit alius equus rufus*]. *Equus* is *rufus* אדם non obscure sanguinis effusionem significat. Apparet id 2 Reg. 3: 22, ubi in Graeco est *ὕδατα πυῤῥὰ* [*aquae rubrae*], id est, *cruentae aquae.*

Καὶ τῷ καθημένῳ ἐπ' αὐτὸν, et qui ei insidebat] Angelo. In Manuscripto est *ἐν τῷ καθημένῳ, per eum* [*insidentem*].

Ἐδόθη αὐτῷ, datum est ei] Hic *αὐτῷ* abundat more Hebraeo. Sed in Manuscripto deest *αὐτῷ*.

Λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἐκ τῆς γῆς] *Auferre pacem e terra* Iudaea, et locis in quibus erant Iudaei. In Manuscripto abest *ἐκ*, salvo sensu. Loquitur autem hic de bellis Iudaeorum cum vicinis aut eadem oppida habitantibus, quale fuit Iudaeorum in Beroea habitantium contra Philadelphenos, de quo Iosephus XX. 1, quod antecessit annonae caritatem, de qua mox agetur.

Ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι, ut invicem se interficiant] Iudaeos vicini, vicinos Iudaei, imo et Iudaei Iudaeos.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη, et datus est ei gladius magnus] חרב, quod modo μάχαιραν, modo ῥομφαίαν vertunt Graeci, apud Prophetas significat occidionem bellicam, ut Ier. 16: 4, Ezech. 14: 21, et multis aliis locis.

5. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν τρίτην, ἤκουσα τοῦ τρίτου ζώου λέγοντος, Ἔρχου, et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium Animal dicens, Veni*] Hunc puto esse Paulum, cui hanc caritatem annonae praedixit Agabus, Act. 11: 28. Fuerunt multa mala eius generis: ἔσονται λιμοὶ [*erunt fames*] Matth. 24: 7, Luc. 21: 11. Sed maxime insigne illud ab Agabo praedictum, ubi οἰκουμένη [*orbis terrarum*] est Iudaea. Ea caritas incidit in principatum Claudii, ut et locus Actorum indicat, et Iosephus Antiquae Historiae XX. 2, ubi legimus, πολλῶν ὑπ' ἐνδείας ἀναλωμάτων φθειρομένων [*cum multi perirent alimentorum inopia*], et eodem libro capite 3, ubi μέγαν λιμὸν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν [*magnam famem per Iudaeam*] vocat.

Καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν, et qui ei insidebat] Angelus qui a Christo eam praefecturam acceperat.

Ἔχων ζυγὸν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, habebat stateram in manu sua] Solent enim in gravi annona partes panum singulis appendi aut a Magistratibus, aut a patribusfamilias.

6. *Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων ζώων, et audivi vocem in mediis quatuor Animalibus*] Agabi ad Paulum.

Λέγουσαν, Χοῖνιξ σίτου δηναρίου, καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς δηναρίου, dicentem, Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario] Haec tam singularis circumstantia magnam providentiam significat. Neque enim caritas tantum annonae (quae *fames* etiam Ciceroni) indicatur, sed et quod futurum sit pretium tum *tritico*, qui σῖτος per excellentiam, tum *hordeo*. Hordei pastus minus bonus. Ideo militibus in poenam dari solebat, ut ex Livio et Vegetio discimus. Tritici pastus maxime homini convenit. Est autem χοῖνιξ *tritici* tantum, quanto homo sanus in diem indiget, ut ex Herodoti libro tertio et septimo observarunt Eruditi, alii etiam ex Hippocrate, Diogene Laertio et Athenaeo. *Denarius* vero tantum quantum quoque die mereri poterat homo strenue laborans, ut videre est Matth.

Matth. 20: 2. Iam vero si homo pauper, qui denarium merebat in diem, haberet uxorem et liberos, certe eos ἐκ τοῦ χοίνικος alere non poterat. Imo et coelebs vivere cogebatur, aut minus quam natura exigebat edere, aut carere tecto, vestibus et supellectile, quae omnia ex diurna illa mercede comparari debebant. *Hordeum* erat vilius, sed minus placebat. Iosephus Belli Iudaici V. 27. *Χοίνικα bilibre* vertit Latinus: sic et Glossarium. Aliud Glossarium vertit *semodium*.

Καὶ τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς, et vinum et oleum ne laeseris] Dicebatur Angelo: *Noli quicquam imminuere aut de vindemia, aut de olivitate*. Retineant ista suum morem. Ἀδικεῖν per *μετάληψιν* [*transsumptionem*] est *laedere, imminuere*, ut supra 2: 11. Coeli iniuriae solent omnes fruges laedere. Tunc autem, Christo dispensante, intercidebant fruges ad vitam necessariae, non necessariae affluebant; olei usus ad delicias; pro vino aqua bibi potest.

7. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν τετάρτην σφραγῖδα, ἤκουσα φωνὴν τοῦ τετάρτου ζώου λέγοντος, Ἔρχου, et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis, dicentis, Veni*] Hunc puto esse Iacobum *fratrem* dictum *Domini*, qui morbos praedicit, Iac. 1: 10, 11, et quidem divitibus, quibus caritas annonae minus nocet.

8. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς, et vidi, et ecce equus pallidus*] Sic *pallidam mortem* dicunt Poetae.

Καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ, ὄνομα αὐτῷ ὁ Θάνατος, et qui ei insidebat, nomen illi Mors] Est hic primum locutio Hebraizans, ὁ *καθήμενος ὄνομα αὐτῷ*, pro ὄνομα τῷ *καθημένῳ* [*nomen insidenti*]. Deinde notandum *Θανάτου* nomine significari *μετωνυμικῶς* [*per transnominationem*] pestilentiam, et morbos letiferos: quod ostendimus ad Matth. 24: 7. Solet famem sequi pestilentia. *Μετὰ λιμὸν λοιμὸς* [*post famem pestilentia*], Graecum est proverbium. Sic et apud Matthaeum et Lucam nominantur post λιμοὺς λοιμοί [*fames pestilentiae*]. Hic vero Angelo datur nomen ex re quam administrabat.

Καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ' αὐτοῦ, et Infernus sequebatur eum] Morbi illi trahunt in sepulchrum. Solent iungi *Mors* et *Ἅδης*, 1 Cor. 15: 55, infra 20: 13, 14.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, et data est illi potestas super quartam partem terrae] Intelligendum hic, *ipsi et prioribus Angelis duobus:* nam iam trium Angelorum effectus in unum contrahuntur. *Ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς*, non ubique, sed *in quarta parte* Iudaeae. Ita Christus per gradus quosdam propius propiusque admovebit terrorem, severitatem magna patientia temperans.

Ἀποκτεῖναι ἐν ῥομφαίᾳ, interficere gladio] Hoc est Angeli primi.

Καὶ ἐν λιμῷ, et fame] Hoc secundi. Etiam Sacerdotes quosdam *fame exstinctos* narrat Iosephus Antiquae Historiae XX. 8.

Καὶ ἐν θανάτῳ, et morte] Pestiferis morbis. Hoc tertii.

Καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς, et bestiis terrae] Vastitatem agrorum et mortes hominum consequi solet, ut nemine obsistente ferarum increscat numerus, cum magna viatorum pernicie, Deut. 32: 24, Lev. 26: 22, Ezech. 5: 17, 14: 15, 21. In Manuscripto, *καὶ τὸ τέταρτον τῶν θηρίων τῆς γῆς [et quartam partem bestiarum terrae]*, quasi agatur de morte etiam bestiarum, non de morte per bestias.

9. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν πέμπτην σφραγῖδα,*] *εἶδον ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἀρνίου ἣν εἶχον, et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium Agni quod retinuerunt*] Quae in coelo sunt *νοητὰ* [*intelligibilia*], solent inter Iudaeos explicari per figuram *τῶν αἰσθητῶν* [*sensibilium*] in Templo, ut iam aliquoties vidimus. Sic victimis respondent Martyres, Phil. 2: 17, 2 Tim. 4: 6. In Templo erat altare victimarum. Ad pedem eius altaris fundebatur victimarum sanguis, Lev. 1: 5, 3: 8, 7: 2, 8: 15, 19, 9: 18, Esai. 29: 2. Is sanguis positus in conspectu Sanctuarii Deum quasi commonefaciebat de sacrificio ipsi praestito. Multo magis id faciunt *animae*, id est, Spiritus Martyrum positi in conspectu Christi, *ὑπὸ τὴν διαθήκην τοῦ Θεοῦ* [*sub testamento Dei*] 2 Macc. 7: 36. Sanguis Abelis Gen. 2: 10 vindictam poscit. Sic et animae Martyrum. Est enim aequitatis naturalis,

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
[*Quae fecit si quisque ferat, ius fiet et aequum.*]
Ψυχάς hic interpretor πνεύματα [*spiritus*], quomodo ea vox sumitur Matth. 10: 28. Sic et infra 20: 4. Eae Animae corpore solutae multo magis quam sanguis mortem toleratam testantur. Eius mortis Christus meminit, et ulciscitur eam per gradus suos; sed severitatem, ut diximus, mira patientia temperans, et tempus dat ingeniis sanabilibus, ut poena ad paucos, si fieri id possit, exemplum ad multos pertineat. Haec comprehenduntur in septem illis ante memoratis Spiritibus. Λόγος Θεοῦ Euangelium, Act. 4: 31, 6: 7, 8: 14. Deinde in Manuscripto et aliis libris est tantum διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον, quomodo et Latinus legit, ita ut Θεοῦ subaudiatur ex praecedenti. Ἣν εἶχον, id est, *quod testimonium ad finem usque retinuere.* Sic et infra 12: 17, τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ [*tenentium testimonium Iesu Christi*], et 19: 10, τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ. *Testimonium* idem est quod et *Deo* redditur et *Christo*, *Deo* ut auctori, *Christo* ut veraci internuncio.

10. *Καὶ ἔκραξαν φωνῇ μεγάλῃ, et clamabant voce magna*] Clamor iste auditus ostendit quid res ipsa exigere videatur.

Λέγοντες, Ἕως πότε ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ἀληθινὸς, dicentes, Usque quo, Domine sanctus et verus] Haec ad Christum referenda apparet ex superioribus 3: 7, 14. Christus δεσπότης dicitur et 2 Petr. 2: 1. Nam omnis haec dispensatio patientiae et severitatis circa Iudaeos Christo est tradita Matth. 21: 44, 22: 7, Luc. 19: 12, 14, 27.

Οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν, non iudicas et vindicas nostrum sanguinem] Id est, κρίνων ἐκδικεῖς [*iudicans vindicas*]: *nostrum sanguinem*, puta Stephani, Iacobi Zebedaidae, qui huius Iohannis frater, et aliorum quorum nomina nos latent. Optatus Milevitanus: *Etsi martyris, at nondum vindicati.*

Ἐκ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς, de iis qui habitant in terra] In Iudaea, quae γῆ et οἰκουμένη [*orbis terrarum*] per excellentiam dicebatur.

11. *Καὶ ἐδόθησαν ἑκάστοις στολαὶ λευκαὶ, et datae sunt singulis stolae albae*] In Manuscripto, καὶ ἐδόθη αὐτοῖς

ἑκάςῳ ςολὴ λευκή. Primum animabus datur personae nomen κατὰ συνεκδοχὴν [*per complexionem*], de qua diximus ad Luc. 16: 22. Longum fuerat Martyres reiicere ad tempus resurrectionis universalis. Digni erant aliqua praerogativa, ut Veteres loquuntur. Cum aliis animabus dentur solatia, illis datur honos, qui per *stolas fulgentes* indicatur, ut videmus supra 3: 4, 5, 18, 4: 4. Sed et Regnum illis daturus erat Christus suo tempore; quod tempus dicitur *resurrectio prior* infra 20: 5, 6.

Ἵνα ἀναπαύσωσιν εἰς χρόνον, ut requiescant in tempus] *Requiescant*, id est, exspectent vindictam. *Χρόνον*, id est, temporis non multum, annos admodum triginta.

Ἕως οὗ πληρωθῶσιν καὶ οἱ σύνδουλοι αὐτῶν καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν, οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι ὡς καὶ αὐτοί, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi] *Conservi*, ut Iacobus frater Domini; *fratres*, ut alii de plebe Christiani multis in locis ab Iudaeis trucidati. Est autem et hic μετωνυμία [*transnominatio*]; *donec compleantur*, id est, donec compleatur eorum numerus. Quo plures vindicabuntur, eo et plures peribunt. Sic saepe solent Iudices magnam nocentium turbam in unum supplicii tempus reservare, ut Iudaei in tempus ante Pascha.

12. *Καὶ εἶδον καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἕκτην, καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο, et vidi cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terrae motus magnus factus est*] Sextum sigillum complectitur praesagia quae bellum inter Iudaeos et Romanos praecessere. In his sunt σεισμοὶ κατὰ τόπους [*terrae motus per loca*] Matth. 24: 7, Luc. 21: 11, qua de re ad ea loca diximus. Sicut iudicium Dei in Iudaeos imago fuit et arrhabo iudicii universalis, ita paria ferme ante se habent prodigia.

Καὶ ὁ ἥλιος μέλας ἐγένετο ὡς σάκκος τρίχινος, et sol factus est niger tanquam saccus cilicius] Sol quarta parte diametri defecit quinto anno Claudii, Dion LX. *Σάκκοι τρίχινοι* sive δέῤῥαι τρίχιναι, Exod. 26: 7, Zach. 13: 14, sunt *cilicia* ex hircorum pilis: nec aliter hic accepit Latinus.

Καὶ ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα, et luna facta est sicut sanguis] Ingens lunae defectio anno Claudii septimo.

San-

Sanguinem intellige atrum, ut et Ioel. 2: 31. Poetae tales defectus *ferrugini* comparant. In Manuscripto ἡ σελήνη ὅλη [*luna tota*], etc.

13. *Καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσον εἰς τὴν γῆν, et stellae coeli ceciderunt in terram*] Et hoc, si frequens sit, inter prodigia habetur. Lucanus inter praesagia belli civilis:

Coeloque volantes
Obliquas per inane faces.

Ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur] Comparatio desumpta ex Esai. 34: 4. *Ὄλυνθοι, grossi*, ut in Glossario, פגים Cant. 2: 13. Sunt autem grossi ficus immaturae. *Acerba* dixit Tertullianus Contra Hermogenem. Pro σειομένη in Manuscripto est σαλευομένη [*cum agitatur*].

14. *Καὶ ὁ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον ἑλισσόμενον, et coelum recessit sicut liber convolutus*] Esai. 34: 4, Ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον [*Convolvetur coelum ut liber*]. *Liber convolutus* legi non potest: ita in coelo ait fore ut nihil possit conspici. Itaque ἀπεχωρίσθη intellige ἀπ' ὄψεως [*a visu*], densis nimirum nebulis conspectum adimentibus. Seneca de tali tempore:

Sed gravis et ater incubat terris vapor;
Obtexit arces coelitum et summas domos
Inferna facies.

Καὶ πᾶν ὄρος καὶ νῆσος ἐκ τῶν τόπων αὐτῶν ἐκινήθησαν, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt] Est ὑπερβολή [*superiectio*]. Vult enim dicere *aliquos montes et insulas loco suo deiectas*, nempe illo de quo dixerat terrae motu. Vide Ier. 4: 24. Plinius II. 80 de terrae motu: *Maritima autem maxime quatiuntur: nec montosa tali malo carent.* Idem exempla adfert emotorum montium II. 83, et *sedisse in Asia montes* ea de causa Tacitus memorat Annalium II. Seneca de terrae motu cap. 4, *Defert montes*, et cap. 26, *Omnis ora maris obnoxia est motui:* quod exemplis ostendit. Omnia maritima Hebraei *insulas* vocant, imo et amnibus adsita. In Manuscripto pro ἐκινήθησαν est ἀπεκίνησαν [*moverunt*], activum pro passivo: sicut dicimus, *terra movet, vertit annus.*

15.

15. *Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, et reges terrae*] Agrippae filii et filiae, qui sic βασιλεῖς dicuntur, sicut Regum filiae ἄνασσαι [*reginae*] in Tragoediis, ob ortus dignitatem. Sed et Praesides omnes vocare מלכים βασιλέας mos Hebraeis. Vide quae Act. 4: 26.

Καὶ οἱ μεγιστᾶνες, et principes] אדירים Ier. 14: 3, Dan. 3: 24, Nah. 2: 5, Zach. 11: 2. Utitur *Megistanum* voce Suetonius Caligula, et Tacitus Annalium XV, ubi de Armeniis, et Seneca, et Marcus noster 6: 21.

Καὶ οἱ χιλίαρχοι, et tribuni] שרי אלפים Exod. 18: 21 et alibi.

Καὶ οἱ πλούσιοι] *Qui opibus valent.*

Καὶ οἱ ἰσχυροὶ, et fortes] Milites. Iud. 5: 22, Ier. 49: 22, Lam. 1: 15.

Καὶ πᾶς δοῦλος, καὶ πᾶς ἐλεύθερος, et omnis servus, et omnis liber] Omnia hominum genera, summi, medii, infimi, nullo discrimine, tantis portentis perterrebuntur.

Ἔκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν ὀρῶν, absconderunt se in speluncas et in petras montium] Quia ea in terrae motu tutissima putantur. Seneca: *Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitat; si hoc quod nos tuetur ac sustinet, supra quod urbes sitae sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat?* Vide Esai. 2: 19.

Καὶ λέγουσι τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς πέτραις, Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς καὶ κρύψατε ἡμᾶς, et dicunt montibus et petris, Cadite super nos et obumbrate nos] Προσωποποιΐα [*personae fictio*] desumpta ex Os. 10: 8. Vide Luc. 23: 30. Et *cadite super nos* nihil hic aliud est quam *obumbrate nos*, sicut *cadunt umbrae* dixit Virgilius.

Ἀπὸ προσώπου τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ ἀπὸ τῆς ὀργῆς τοῦ ἀρνίου, a facie sedentis in solio et ab ira Agni] Hic quoque Iudaeorum verbis sua verba permiscet Iohannes, ut supra 2: 24. Nam illi voluerunt tegi adversus mala tot prodigiis significata: at Iohannes ostendit illa mala venire ex ira Dei et Christi.

17. *Ὅτι ἦλθεν ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, quoniam venit dies magnus irae ipsius*] Illi dixere ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς, id est, tempora luctuosissima, Lam. 1: 12, Rom. 9: 22, 13: 4, 1 Thess. 1: 10.

Καὶ

Καὶ τίς δύναται σῆναι, et quis poterit stare] Id est, superesse tot et tantis malis? Id enim est *stare* Esdr. 9: 15, Luc. 21: 36. Vide et Latinam versionem Ps. 18: 38, 36: 12.

CAPUT VII.

1. *Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον τέσσαρας ἀγγέλους ἑςῶτας ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς, post haec vidi quatuor Angelos stantes ad quatuor angulos terrae*] Nempe Iudaeae. Solent ut totus terrarum orbis, ita eius partes in quatuor portiones distribui. Vide Matth. 24: 31. Manuscriptus habet *μετὰ τοῦτο*, id est, *statim post id quod ultimo narratum est. Γωνίαι* פנות. Ita Hebraeis dicuntur extima quaeque. Hi Angeli potestatem sed limitatam acceperant et retinendi calamitates et immittendi, ut apparet infra 2.

Κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, tenentes quatuor ventos terrae] *Venti* significant qualemcumque calamitatem, ut occidionem, morbos, pauperiem. Vide Achmetem; Ier. 18: 17, 49: 36, 51: 1, Dan. 7: 2, ubi dicta vide.

Ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς, ne flaret ventus super terram] Id est, Ut vastitas agris inferretur. Sed ἐπὶ τῆς γῆς non est in Manuscripto.

Μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, neque super mare] *Mare* in hoc libro magnum populum significat, qualis imprimis erat Hierosolymitanus. Vide supra 4: 6. *Regnum* interpretatur Achmes.

Μήτε ἐπὶ πᾶν δένδρον, neque in ullam arborem] Manuscriptus *μήτε ἐπὶ δένδρον*. *Arborum* nomine significantur quae ex arboribus fiunt, ut urbes, sed maxime Templum, quod et *Libanus* dicitur apud Prophetas, ideo quod ex Libani arboribus constaret. Vide quae diximus ad Ier. 21: 14, 22: 7, 23, 46: 23, Zach. 11: 1. Pertinent haec ad tempus Regis Agrippae, sub quo alta Iudaeae pax fuit, Iosephus II. 17.

2. *Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἀναβαίνοντα ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, et vidi alterum Angelum adscendentem ab ortu solis*] A Christo, qui vocatur ἀνατολὴ Luc. 1: 78. Ideo Christiani ad Orientem orabant. Hic erat maior Angelus. In Manuscripto ἀπὸ ἀνατολῶν, quomodo Matth. 2: 1.

Ἔχον-

Ἔχοντα σφραγῖδα Θεοῦ ζῶντος, habentem sigillum Dei vivi] Mandata a Rege adferentem, ut solent summi Regum ministri. Σφραγὶς per συνεκδοχὴν [*complexionem*] constitutionem Regiam notat, quia tales constitutiones obsignari solent.

Καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ τοῖς τέσσαρσιν ἀγγέλοις, et clamavit voce magna quatuor Angelis] Iisdem quatuor qui ante indicati.

Οἷς ἐδόθη αὐτοῖς, quibus datum est] Rursus Hebraismus, אשר להם.

Ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ θάλασσαν, nocere terrae et mari] *Nocere terrae et populis.* De hac impropria significatione vocis ἀδικεῖν vide supra 2: 11, 6: 6. Solet Deus etiam ad puniendos impios Angelorum opera uti, Gen. 19: 21, 2 Sam. 24: 16, 2 Reg. 19: 35.

3. *Λέγων, Μὴ ἀδικήσατε τὴν γῆν, μήτε τὴν θάλασσαν, μήτε τὰ δένδρα, dicens, Ne nocete terrae, neque mari, neque arboribus*] Neque vastitatem terris, neque occidionem populis, neque urbibus aut Templo incendium inferte.

Ἄχρις οὗ σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, usque dum signemus servos Dei nostri in frontibus] Ezech. 9 iubetur Angelus *signare per* ת, quod *Legem* significat, eos qui Legem servaverant, idque ut salvi essent eo tempore quo Chaldaei Hierosolyma erant irrupturi. Ita hic Christiani qui Hierosolymis et in omni Iudaea erant iubentur signari cruce, nota Christianorum, ut communibus Iudaeorum malis eximerentur. Et hoc est quod dicit Eusebius Historiae III. 5: *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦ λαοῦ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας, κατά τινα χρησμὸν τοῖς αὐτόθι δοκίμοις δι' ἀποκαλύψεως ἐκδοθέντα, πρὸ τοῦ πολέμου μεταναστῆναι τῆς πόλεως, καί τινα τῆς περαίας πόλιν οἰκεῖν κεκελευσμένου· Πέλλαν αὐτὴν ὀνομάζουσιν· ἐν ᾗ τῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότων ἀπὸ τῆς Ἱερουσαλὴμ μετῳκισμένων, ὡς ἂν παντελῶς ἐπιλελοιπότων ἁγίων ἀνδρῶν αὐτήν τε τὴν Ἰουδαίων βασιλικὴν μητρόπολιν, καὶ σύμπασαν τὴν Ἰουδαίαν γῆν, ἡ ἐκ Θεοῦ δίκη λοιπὸν αὐτοὺς ὥστε τοσαῦτα εἴς τε τὸν Χριστὸν, καὶ τοὺς Ἀποστόλους αὐτοῦ παρανενομηκότας, μετῄει, τῶν ἀσεβῶν ἄρδην τὴν γενεὰν αὐτὴν ἐκείνην ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσα* [*Sed et cum universa plebs fidelium Ecclesiae Hierosolymitanae, ex oraculo,* quod

quod viris quibusdam sanctis Divinitus editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, et oppidum quoddam trans Iordanem, Pellam nomine, incolere iussa fuisset; iamque omnes, qui in Christum crediderant, relictis Hierosolymis sedes suas Pellam transtulissent, ita et regia urbe, quae totius gentis caput est, et universa Iudaea viris sanctis destituta, tum demum Divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum, tum in eius Apostolos scelera corripuit, totamque illam impiorum sobolem funditus delevit]. *Signamus* ea quae custodiri volumus. *In fronte* autem, quia is mos erat in Oriente dominorum nomina servis in fronte scribere: quod non ex illo tantum Ezechielis loco apparet, sed et ex Aristophane, qui Babylonios servos cum fronte inscripta introduxit in scenam, ut discimus ex Hesychio, vocibus *Σαμίων δῆμος* et *'Ιςριάνα*. Et Christianis mos *frontem crucis signaculo terere*. Meminit Tertullianus de Corona, Iulianus apud Cyrillum lib. VI et alii. Vide et infra 9: 4. Plane autem congruit haec aenigmatica signatio in fronte in illud tempus, quo Eusebius ex Hierosolymis exiisse dicit Christianos, nempe non ante obsidionem tantum, sed et ante bellum Iudaeornm in Romanos.

4. *Καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐσφραγισμένων ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα τέσσαρες χιλιάδες ἐσφραγισμένοι ἐκ πάσης φυλῆς υἱῶν 'Ισραὴλ, et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signata ex omni tribu filiorum Israelis*] Hanc summam faciunt duodena millia duodecies, quam deinde Scriptor noster in duodecim tribus partitur: non quod aut praecise is fuerit numerus omnium, aut in singulis Tribubus aequalis, sed quod per talem numerum, ut Graece per *μυρίους* ingens admodum multitudo exprimatur. Sic de iisdem Iudaeis in Christum credentibus, *πόσαι μυριάδες εἰσὶ* [*quot millia sunt*], Act. 21: 20. In Manuscripto desunt illa, *καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐσφραγισμένων*.

5. *'Εκ φυλῆς 'Ιούδα, δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι, ex tribu Iudae, duodecim millia signata*] Numerus duodenarius multum semper placuit Iudaeis ob Iacobi sobolem. Ideo duodecim fontes in Elim, Exod. 15: 27. Duodecim columnae circa altare Mosis, Exod. 24: 4. Duodecim panes

nes προθέσεως [*propositionis*] Lev. 24: 5. Duodecim gemmae in pectorali Pontificis, Exod. 24: 21, totidem in Iordane lapides, Ios. 4: 2, 5. Victimae saepe numero eodem, Num. 7: 3, 87, 29: 17, Esdr. 8: 34, et multa Templi instrumenta, Num. 7: 84, 86. Praefecti a Salomone duodecim, 1 Reg. 4: 7, sub Mari aeneo boves duodecim, 1 Reg. 7: 25, solio Salomonis adstabant Leones duodecim, 1 Reg. 10: 20. Duodecim cubiti altaris in longum, totidem in latum, apud Ezechielem 43: 16. Filii Iacobo fuerant duodecim: sed ubi de successionibus agitur, omittuntur Levitae, et de Iosepho duae fiunt stirpes, *Ephraimi*, et *Manassis*, ex Iacobi testamento: quod et hic observatur. Sed annumeratur hic *Levi*, quia in Christo ea Tribus par ius habebat cum caeteris. Omittitur vero *Dan*, quia iam olim ea Tribus ad unam familiam Hussim reciderat, ut aiunt Hebraei, quae ipsa familia bellis interiisse videtur ante Esdrae tempora. Nam in Paralipomenis, ubi posteritas Patriarcharum memoratur, Dan omittitur. Et forte id praedicitur apud Amosum 8: 14. Ex Danis tribu paucos superfuisse, eosque in Phoenicem profugisse, narrat Iohannes Antiochenus.

Ἐκ φυλῆς Γὰδ δώδεκα χιλιάδες, ex tribu Gadis duodecim millia] Nullus servatus ordo, quia omnes in Christo pares.

8. *Ἐκ φυλῆς Ἰωσὴφ δώδεκα χιλιάδες, ex tribu Iosephi duodecim millia*] Id est, *Ex tribu Ephraimi:* nam *Manasses*, qui et ipse ex Iosepho, supra nominatus est. Datur ergo ius habendi πρωτοτόκων [*primogenitorum*] patris nomen, ut Am. 5: 6, Ps. 78: 67, Ezech. 37: 16.

9. *Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὄχλος πολὺς, ὃν ἀριθμῆσαι οὐδεὶς ἐδύνατο, ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῆς καὶ γλωσσῶν, post haec vidi et ecce turba magna quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et linguis*] Vide supra 5: 9. Respicitur autem promissio Dei facta Abrahamo. Hoc obiter ad res Iudaicas refertur, ut intelligatur quantum solatium extorres isti ex Iudaea Christiani habuerint cum innumeros viderent ex Gentibus suae fidei consortes. Nam Syria plena erat Christianorum. In Manuscripto locutione magis Hebraica, μετὰ ταῦτα εἶδον

δον ὄχλον πολὺν, καὶ ἀριθμῆσαι οὐδεὶς ἐδύνατο [*post haec vidi turbam magnam, et nemo dinumerare poterat*].

Ἑστῶτες ἐνώπιον τοῦ θρόνου καὶ ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, *stantes ante solium et Agnum*] Id est, Mentem habentes non ad terras depressam, sed ad coelestia erectam. Vide supra 4: 4. In Manuscripto, ἑστῶτα ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου. Ἐπὶ cum genitivo saepe significat *iuxta*.

Περιβεβλημένοι στολὰς λευκὰς, amicti stolis albis] Illustres factis. Vide supra 3: 4, 5, 18, 4: 4, 6: 11.

Καὶ φοίνικες ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, et palmae in manibus eorum] *Palma, signum victoriae*, Gellius III. 6. Sicut autem Martyribus suus datus est honos, ita nunc Confessoribus; id est, qui ad testimonium Christo reddendum non quidem mortem vicissent, sed aut tormenta, aut carcerem, aut paupertatem, aut exsilia, opprobria, et alia id genus mala. Hic rursum, ut supra aliquoties, ἦσαν [*erant*] subintelligitur.

10. *Καὶ κράζουσι φωνῇ μεγάλῃ, et clamant voce magna*] Nempe Confessores illi ex Iudaeis et qui ex Gentibus erant aggregati.

Ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, salus Deo nostro qui sedet in solio] Est μετωνυμία [*transnominatio*]. Nam *salutem* vocat *gratias ob acceptam salutem*; sicut κράτος supra 1: 6, 5: 13 est *agnitio potentiae*.

Καὶ τῷ ἀρνίῳ, et Agno] Ut supra 5: 13.

11. *Καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι ἑστήκεισαν κύκλῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τῶν τεσσάρων ζώων, et omnes Angeli stabant circa solium et Presbyteros et quatuor Animalia*] Nam et Apostoli qui Hierosolymis fuerunt et Presbyteri una erant egressi. Vide eadem verba de Angelis supra 5: 11.

Καὶ ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ θρόνου ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ, λέγοντες, Ἀμὴν, et ceciderunt ante solium in faciem, et adoraverunt Deum, dicentes, Amen] Sicut Angelorum cantum approbant Apostoli et Presbyteri 5: 11—14, sic Confessoribus accinunt hic Angeli, ut populares unius Regni.

12. Ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ σο[illegible] Hebraeo
καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ ἰσχὺς [illegible] vivum,
αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν; bened[illegible]
pientia et gratiarum actio et hon[illegible] ivo,
Deo nostro in secula seculoru[illegible] t ea ima-
que verba Angelorum, illud o[illegible] Et huc
cantium. Voces eaedem qu[illegible] Esaia pro
εὐχαριστία, pro quo ibi πλ[illegible], Graece,
Nam εὐχαριστία est agn[illegible] ὑδάτων ἄξει
nostris dicitur. [illegible] ἄγει eos, et ad

13. Καὶ ἀπεκρίθη [illegible]
unus de Presbyteris [illegible] ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν αὐ-
ut Matth. 11: 25 et [illegible] lacrymam ab oculis eorum]
Λέγων μοι, Οὗτ[illegible] aeco, Ἀφελεῖ Κύριος ὁ Θεὸς πᾶν
εἰσὶ, καὶ πόθεν [illegible] σώπου [Auferet Dominus Deus la-
stolis albis, q[illegible] acie]. Abstergere aegritudinem, luc-
byter fuit q[illegible] ducta a lacrymis figura, dixit etiam Ci-
Apostolus [illegible] aliquanto plus in verbo *abstergendi*, quod
Vide supr[illegible] quam in illo *auferendi*, quod habet Esaias.

14. [illegible] Apocalypsis eadem locutione rursus infra 21: 4.
Mi D[illegible]
ut Io[illegible]

CAPUT VIII.

Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἑβδόμην, et cum aperuisset sigillum septimum] Ultimum decretum septem partes continens de causis obsidii, et obsidio urbis Hierosolymorum.

Ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ ὡς ἡμιώριον, factum est silentium in coelo per dimidiam fere horam] Id est, Non diu venti illi, de quibus actum supra 7: 1, quievere. Ἡμιώριον pro *minimo tempore* usurpavit et Menander, teste Polluce. Vide Tob. 11: 14. Infra μία ὥρα [*una hora*] pro *tempore exiguo* 17: 12, 18: 10, 16, 19. *Silere coelum* etiam Latinis dicitur cum cessant venti.

2. *Καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἑστήκασι, et vidi septem Angelos, qui stant coram Deo*] Illos interioris admissionis, de quibus diximus ad Matth. 18: 10. His Deus non utitur nisi ad res eximias.

Καὶ ἐδόθησαν αὐτοῖς ἑπτὰ σάλπιγγες, et datae sunt illis

ae] *Tubae* indicant pugnas futuras, Ier. 42: 14, alibi. Hebdomas, sicut in rebus aliis, ita st mentio, significat nihil deesse. Itaque ae Dei adversus Iacobi posteros minae,

ος ἦλθε, *et alius Angelus venit*] e, ut ex sequentibus intelligitur. braeus liber Chasidin et Ter-

υσιαστηρίου, *et stetit ad altare*] a quo suffitus fiebant. Per id altare elligunt Clemens Strom. VII et Origenes. sus est *iuxta*, ut supra diximus 7: 9.

λιβανωτὸν χρυσοῦν, *habens thuribulum aureum*] o legendum λιβανωτὶν, ita ut χρυσοῦν sit Attice dictum. Sic et infra 5 legendum puto τὴν λιβανωτίν· nam λιβανωτὶς, *acerra*, *thuribulum*, in Glossario: at λιβανωτὸς *thus* ipsum 1 Par. 9: 29, Herodoto, Theophrasto, Galeno. Scholiastes ad Nebulas Aristophanis: *Ἄλλο, λίβανος καὶ ἄλλο λιβανωτός. Λίβανος μὲν γὰρ, αὐτὸ τὸ δένδρον· λιβανωτὸς δὲ ὁ καρπὸς τοῦ λιβάνου [Aliud λίβανος, aliud λιβανωτός. Est enim λίβανος arbor ipsa: λιβανωτὸς (thus), eius arboris fructus*]. Nimirum sic distinguebant accuratiores. Alioqui certum est etiam pro aromate dici λίβανον. Itaque Ammonius: *Λίβανος καὶ λιβανωτὸς διαφέρει. Λίβανος μὲν γὰρ κοινῶς καὶ τὸ δένδρον καὶ τὸ θυμιώμενον· λιβανωτὸς δὲ μόνον τὸ θυμιώμενον [Differunt λίβανος et λιβανωτός. Λίβανος enim simul et arborem et thus, λιβανωτὸς thus tantum significat*]. Diximus supra solemne Iudaeis res coeli per verba Templi exprimere, 1 Reg. 7: 50, מחתות זהב, Graece θυίσκαι χρυσαῖ, Latine *thuribula de auro purissimo*.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλὰ, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν τὸ ἐνώπιον τοῦ θρόνου, et dati sunt ei suffitus multi, ut daret orationibus Sanctorum omnium in altare aureum, quod est ante solium] Latinus legit τὰς προσευχὰς, cum vertit *de orationibus:* et recte. Est enim locutio in qua permiscetur significans et significatum, quasi dicat: *Accepit multos suffitus, ut eos suffitus, qui sunt omnium*

τῶν ζωῆς [*fontes aquarum vitae*]. Ὕδατα ζωῆς Hebraeo more sunt ὕδατα ζῶντα, *aquae perennes*, *flumen vivum*, ut et Virgilius loquitur. Quia vero valde est

Dulce, sitim salientis aquae restinguere rivo,

ideo omne solatium et omne id quod nos recreat ea imagine exprimitur. Vide Ps. 23: 1, 36: 8, 42: 1. Et huc alludit Christus Ioh. 4: 10, 11, 14, 7: 38. In Esaia pro his verbis habes, כי מרחמם ינהגם ועל מבועי מים ינהלם, Graece, Ὁ ἐλεῶν αὐτοὺς παρακαλέσει καὶ διὰ πηγῶν ὑδάτων ἄξει αὐτούς, Latine, *Quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum portabit eos.*

Καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum] Ex Esai. 25: 8, ubi in Graeco, Ἀφεῖλε Κύριος ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου [*Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*]. *Abstergere aegritudinem, luctum, dolorem*, ducta a lacrymis figura, dixit etiam Cicero. Et est aliquanto plus in verbo *abstergendi*, quod hic habemus, quam in illo *auferendi*, quod habet Esaias. Utitur Apocalypsis eadem locutione rursus infra 21: 4.

CAPUT VIII.

1. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἑβδόμην, et cum aperuisset sigillum septimum*] Ultimum decretum septem partes continens de causis obsidii, et obsidio urbis Hierosolymorum.

Ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ ὡς ἡμιώριον, factum est silentium in coelo per dimidiam fere horam] Id est, Non diu venti illi, de quibus actum supra 7: 1, quievere. Ἡμιώριον pro *minimo tempore* usurpavit et Menander, teste Polluce. Vide Tob. 11: 14. Infra μία ὥρα [*una hora*] pro *tempore exiguo* 17: 12, 18: 10, 16, 19. *Silere coelum* etiam Latinis dicitur cum cessant venti.

2. *Καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἑστήκασι, et vidi septem Angelos, qui stant coram Deo*] Illos interioris admissionis, de quibus diximus ad Matth. 18: 10. His Deus non utitur nisi ad res eximias.

Καὶ ἐδόθησαν αὐτοῖς ἑπτὰ σάλπιγγες, et datae sunt illis sep-

septem tubae] *Tubae* indicant pugnas futuras, Ier. 42: 14, Os. 5: 8 et alibi. Hebdomas, sicut in rebus aliis, ita ubi plagarum est mentio, significat nihil deesse. Itaque implentur hic illae Dei adversus Iacobi posteros minae, Lev. 26: 28.

3. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἦλθε, et alius Angelus venit*] Angelus precum Ecclesiae, ut ex sequentibus intelligitur. Talis Angeli meminit Hebraeus liber Chasidin et Tertullianus De Oratione.

Καὶ ἐςάθη ἐπὶ τοῦ θυσιαςηρίου, et stetit ad altare] Ad altare aureum in quo suffitus fiebant. Per id altare pios animos intelligunt Clemens Strom. VII et Origenes. Ἐπὶ hic rursus est *iuxta*, ut supra diximus 7: 9..

Ἔχων λιβανωτὸν χρυσοῦν, habens thuribulum aureum] Puto legendum λιβανωτὶν, ita ut χρυσοῦν sit Attice dictum. Sic et infra 5 legendum puto τὴν λιβανωτίν· nam λιβανωτὶς, *acerra*, *thuribulum*, in Glossario: at λιβανωτὸς *thus* ipsum 1 Par. 9: 29, Herodoto, Theophrasto, Galeno. Scholiastes ad Nebulas Aristophanis: *Ἄλλο*, λίβανος· καὶ ἄλλο λιβανωτός. *Λίβανος* μὲν γὰρ, αὐτὸ τὸ δένδρον· λιβανωτὸς δὲ ὁ καρπὸς τοῦ λιβάνου [*Aliud* λίβανος, *aliud* λιβανωτός. *Est enim* λίβανος *arbor ipsa:* λιβανωτὸς (*thus*), *eius arboris fructus*]. Nimirum sic distinguebant accuratiores. Alioqui certum est etiam pro aromate dici λίβανον. Itaque Ammonius; *Λίβανος* καὶ λιβανωτὸς διαφέρει. *Λίβανος* μὲν γὰρ κοινῶς καὶ τὸ δένδρον καὶ τὸ θυμιώμενον· λιβανωτὸς δὲ μόνον τὸ θυμιώμενον [*Differunt* λίβανος *et* λιβανωτός. *Λίβανος enim simul et arborem et thus*, λιβανωτὸς *thus tantum significat*]. Diximus supra solemne Iudaeis res coeli per verba Templi exprimere, 1 Reg. 7: 50, המחתות זהב, Graece θυίσκαι χρυσαῖ, Latine *thuribula de auro purissimo*.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλὰ, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων ἐπὶ τὸ θυσιαςήριον τὸ χρυσοῦν τὸ ἐνώπιον τοῦ θρόνου, et dati sunt ei suffitus multi, ut daret orationibus Sanctorum omnium in altare aureum, quod est ante solium] Latinus legit τὰς προσευχὰς, cum vertit *de orationibus:* et recte. Est enim locutio in qua permiscetur significans et significatum, quasi dicat: *Accepit multos suffitus, ut eos suffitus, qui sunt omnium*

Sanctorum preces, *iniiceret in altare illud quod est apud solium*. Sic supra 5: 8 *suffitus* dicuntur *esse preces*. De tali permixtione membrorum comparationis diximus ad Matth. 23: 25 et Hebr. 11: 15. *Dare in aram* vox propria sacris. Sicut ara suffituum propinqua erat Adyto, ita hic ostenditur propinqua Dei solio, quod Adyto respondet. Et dicitur ara suffituum θυσιαςήριον, quia non victimae tantum sed quicquid Deo offertur dicitur θυσία. Hebraice quoque מזבח קטרת [*altare suffitus*].

4. *Καὶ ἀνέβη ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, et adscendit fumus suffituum cum orationibus Sanctorum coram Deo*] Deus delectatus assidua Christianorum pietate non ultra cohibere voluit iram suam adversus Iudaeos, quorum tanta in Christianos crudelitas fuerat. Puto Latinum hic legisse τῆς προσευχῆς τῶν ἁγίων [*orationis sanctorum*], et recte. Nam in talibus numerus singularis et pluralis usurpantur promiscue. Et subauditur τοῦτ' ἐςι [*id est*], ante illud τῆς προσευχῆς. Explicatur enim quo visum illud tetenderit.

5. *Καὶ εἴληφεν ὁ ἄγγελος τὸν λιβανωτὸν, et accepit Angelus thuribulum*] Τὴν λιβανωτὶν, ut iam diximus.

Καὶ ἐγέμισεν αὐτὸν ἐκ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαςηρίου, et implevit illud de igne altaris] Lege αὐτήν. *Altaris*, scilicet *victimarii*, quod ex potissima parte τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*holocaustorum*] dicitur. *Ignis*, qui in eo altari, iram Dei significat. Vide quae diximus ad Marc. 9: 49. Et passim in Prophetis *ignis* est Dei ira.

Καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν γῆν, et misit in terram] Nempe *ignem* illum, sive carbones, iram Dei, *effudit in Iudaeam*: ita enim γῆ sumitur in hac parte Apocalypseos. Sic *ignis* in Hierosolyma effunditur, Ezech. 10: 2.

Καὶ ἐγένοντο φωναὶ καὶ βρονταὶ, et facta sunt voces et tonitrua] Id est, φωναὶ βροντῶν [*voces tonitruorum*], ut supra diximus 4: 5. Pro eodem φωνὴ βροντῆς 6: 1.

Καὶ ἀςραπαὶ καὶ σεισμὸς, et fulgura et terrae motus] Haec omnia significant novas a Deo minas venisse, per multa nempe ostenta, quae memorat Iosephus, et in Chronico Eusebius, partim etiam Tacitus. Sic *fulmina* et *tonitrua* in minarum sensu etiam supra habuimus 4: 5. Ad ἀςραπὰς recte referas *visas in coelo concurrere acies*,

et *arma rutilantia*, ut Tacitus loquitur, *gladium ignenum*, ut Iosephus, et quod *subito igne collusit Templum;* ad βροντὰς et φωνὰς, vocem in Templo auditam, *Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν* [*Migremus hinc*]; ad *terrae motum*, quod porta aenea sponte patuit. Vide Iosephum VI. 31 et Tacitum Historiarum V.

6. *Καὶ οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι οἱ ἔχοντες τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας ἡτοίμασαν ἑαυτοὺς ἵνα σαλπίζωσι; et septem Angeli qui habebant septem tubas, praeparaverunt se, ut tuba canerent*] Ut signum darent pugnae Dei in Iudaeos.

7. *Καὶ ὁ πρῶτος ἐσάλπισε, καὶ ἐγένετο χάλαζα καὶ πῦρ μεμιγμένον ἐν αἵματι, καὶ ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν, et primus tuba cecinit, et facta est grando et ignis mistus sanguine, et missa haec in terram*] Sicut primus equus supra causam ostendit cur tres alii equi sequantur, ita hic primus Tubicen causam explicat caeterorum. *Terra* hic, ut diximus, est Iudaea. In eam immittitur Divinitus durities animi et iracundia sanguinaria, quae duo ita eo tempore in Iudaeis apparuere ut nunquam in ullo populo magis. *Grando* dura animorum obdurationem significat et infra 11: 19, 16: 21. *Ignis sanguineus* iracundiam sanguinariam satis aperte notat. In Manuscripto est μεμιγμένα, ut hoc ad *grandinem* non minus quam ad *ignem* referatur. Et sic legit Latinus. *Grandinem* cum *igne* habes Ps. 78: 48 et 103: 32 et Exod. 9: 23.

Καὶ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη] *Inflammata fuit* eo fumo facile *pars tertia* in Iudaea habitantium. Συνεκδοχὴ [*complexio*], quae explicatior infra 13: 12. Additur in Manuscripto, καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων [*et tertia pars arborum*], per errorem, ut puto.

Καὶ πᾶς χόρτος χλωρὸς κατεκάη, et omne foenum viride combustum est] Quod maxime *viride*, id est, probum, esse debuit, id quoque *inflammatum est*. De *viridi* in hoc sensu vide Luc. 23: 31. Χλωρὸν modo *pallidum* significat, ut supra 6: 8, modo *virens*. Significationes pro materia distinguendae. Significat autem Sacerdotes, qui modestia et pacis studio anteire caeteros debuerant. Et est mystica explicatio eius quod habemus Exod. 9: 24. Multa enim hic est ad Aegypti plagas allusio.

8. *Καὶ ὁ δεύτερος ἐσάλπισε, καὶ ὡς ὄρος μέγα καιόμενον*

 ἐβλή-

ἐβλήθη εἰς τὴν θάλασσαν, et alter tuba cecinit, et quasi mons magnus ardens missus est in mare] Ὄρος καιόμενον הר שרפה Ier. 51: 25. Montis iactus in mare est Ps. 46: 7. Mons iste est Antonia arx vicina Templo. Nam arcibus dare montium nomen frequens Prophetis, Esai. 13. 2, Ezech. 38: 20, Mich. 1: 4, 3: 12, 4: 1, Am. 6: 1, Abd. 8: 9. Rursus per arces intelliguntur ii qui in arcibus habitabant, ut iisdem locis apparet. Quare sicut per montem intelligenda Antonia, ita per Antoniam milites qui in Antonia erant, qui omnes magna cum ira effusi in populum Hierosolymitanum, qui hic maris vocatur nomine, ut supra 7: 1, 3. Vide ibi dicta, et supra 4: 6 et Dan. 4: 2. Res quae hic praedicitur eadem narratur ab Iosepho Antiquae Historiae XX. 4, Belli vero Iud. I. 20.

Καὶ ἐγένετο τὸ τρίτον τῆς θαλάσσης αἷμα, et facta est tertia pars maris sanguis] Magna pars populi aut caesa aut vulnerata.

Καὶ ἀπέθανε τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων ἐν τῇ θαλάσσῃ τὰ ἔχοντα ψυχάς, et mortua est tertia pars creaturarum quae habebant animas, in mari]. *Hominum* interiisse partim caede, partim collapsa turri *viginti millia*, ait Iosephus, at Eusebius *triginta millia*. Adde et pecudum ingentem numerum paratarum ad sacra.

Καὶ τὸ τρίτον τῶν πλοίων διεφθάρη, et tertia pars navium interiit] Intellige multa vasa Templi a militibus direpta. Sicut populus *mare*, ita res mobiles *navigia*.

10. *Καὶ ὁ τρίτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀστὴρ μέγας, et tertius Angelus tuba cecinit, et cecidit de coelo stella magna*] *Stellae cadentes* saepe sunt Doctores a vero devii. Notatur autem hic Aegyptius ille impostor de quo Act. 21: 38, apud Iosephum Antiquae Historiae XX. 6, Belli Iud. II. 27, qui eum a suis Prophetam habitum dicit.

Καιόμενος ὡς λαμπὰς, ardens tanquam facula] Incendii in modum longe lateque procedens.

Καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὸ τρίτον τῶν ποταμῶν καὶ τὰς πηγὰς, et cecidit in tertiam partem fluminum et in fontes] Ex Urbe exclusus minora oppida et vicos invasit, qui sic *flumina* et *fontes*, quomodo magna civitas *mare*.

11.

11. *Καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἀστέρος λέγεται Ἄψινθος, et nomen stellae dicitur Absinthus*] Forte nomen ei fuit *Scihu*, quod absinthii genus in illis partibus significat. Et dubito an non hic scriptum fuerit ὁ Ἀψίνθιος, et mox εἰς ἀψίνθιον· quia Ἄψινθος nomen urbis est, unde nomen herbae ibi provenienti ἀψίνθιον.

Καὶ ἐγένετο τὸ τρίτον τῶν ὑδάτων εἰς ἀψίνθιον, et facta est tertia pars aquarum in absinthium] Magna pars Iudaeorum coepit eum sequi primum, deinde et facta eius imitari: qui dicti *sicarii*. *Uva amara*, Deut. 32: 32. *Inebriavit me absinthio*, Lam. 3: 15. Est autem Hebraea locutio, *facta est in absinthium*, id est, in absinthium versa est.

Καὶ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπέθανον ἐκ τῶν ὑδάτων, ὅτι ἐπικράνθησαν, et multi hominum mortui sunt per aquas, quia amarae factae sunt] Multi interiere per homines illa factione contactos, plane sicut perire solent qui aquas infectas bibunt: qua de re diximus libro III de Iure Belli ac Pacis 4 § 16, 17. De his sicariis Iosephus Belli Iudaici II. 23: *Μεριζόμενοι γὰρ εἰς τὴν χώραν κατὰ λόχους διήρπαζόν τε τὰς τῶν δυνατῶν οἰκίας, καὶ αὐτοὺς ἀνῄρουν, καὶ τὰς κώμας ἐνεπίμπρασαν* [*Hi enim centuriatim in regionem totam divisi, potentium domos diripiebant, ipsos necabant, vicos incendebant*].

12. *Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου, καὶ τὸ τρίτον τῆς σελήνης, καὶ τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων, ἵνα σκοτισθῇ τὸ τρίτον αὐτῶν, et quartus Angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum*] Sicut navigantibus *terrae discedere* dicuntur, ita calamitate pressis *occidere sol, luna, sidera*. Vide quae diximus ad Matth. 24: 29. Adde Paraphrastem Chaldaeum ad Esai. 13: 10 et Ier. 15: 9. *Caligo solis, lunae, siderum* interitum significat Achmeti CLXVI. Significantur hic Galilaeae et aliarum partium oppida capta a Vespasiano cum plurimorum Iudaeorum interitu. Historiam videre est apud Iosephum libro Belli Iudaici quarto. Quia tertia ferme Iudaeae pars tunc in hanc calamitatem incidit, ideo *sidera* dicuntur *defecisse tertia sui parte*.

Pro ἵνα σκοτισθῇ in Manuscripto est, ἵνα μὴ φανῇ [*ita ut non luceret*].

Καὶ ἡ ἡμέρα μὴ φαίνῃ τὸ τρίτον αὐτῆς, et dies non luceret pars tertia eius] Est Hebraismus pro τὸ τρίτον ἡμέρας μὴ φαίνῃ, id est, *diei tertia pars ad solitum fulgorem aberat.*

Καὶ ἡ νὺξ ὁμοίως] *Noctis quoque fulgor solito minor parte tertia.* Sensus est: In parte tertia Iudaeae et opificia cessarunt et itinera, quorum illa de die, haec de nocte magis in illis locis peragi solebant. Minus quidem malum quam in Aegypto, Exod. 10: 22, attamen eo accedens.

13. *Καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἀετοῦ πετωμένου ἐν μεσουρανήματι, et audivi unum aquilam volantem per medium coelum*] Aquila amat cadavera, Matth. 24: 28, Luc. 17: 37. Ideo apta praedicendis stragibus, Ezech. 17: 3. *Μεσουράνημα* autem dicitur ea pars coeli in qua volant aquilae et similes ei volucres, infra 19: 17, adeo longe supra terras ut videantur non minus coelo astrifero propinquae quam terris. Hoc est quod dicit Zacharias 5: 9 *inter coelum et terram.* Pro eodem dicunt Hebraei רקיע.

Λέγοντος φωνῇ μεγάλῃ τρίς, Οὐαί, οὐαί, οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκ τῶν λοιπῶν φωνῶν τῶν τριῶν ἀγγέλων τῶν μελλόντων σαλπίζειν, dicentem voce magna ter, Vae, vae, vae habitantibus in terra, propter caeteras voces trium Angelorum qui sunt tuba canturi] Haec est introductio ad sequentia, quae non ad tertiam aliquam partem, sed ad totam Iudaeam ac maxime ad urbem principem, pertinent. Tria Vae tribus conveniunt Angelis, quos habes 9: 1, 13, 10: 7, 11: 15. Ex his primus nuntiat res paulo ante obsidium, secundus obsidium et expugnationem, tertius ea quae expugnatione posteriora sunt. *Ἐκ*, hoc loco ut saepe מן Hebraeum, valet *propter.* Sic ἀπὸ post *οὐαὶ* ponitur Matth. 18: 7. Optime haec conveniunt cum illa voce Iesu filii Ananielis, quam recitat Iosephus Belli Iudaici VI. 31: *Φωνὴ ἀπὸ ἀνατολῆς, φωνὴ ἀπὸ δύσεως, φωνὴ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, φωνὴ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα καὶ τὸν ναὸν, φωνὴ ἐπὶ νυμφίους καὶ νύμφας, φωνὴ ἐπὶ τὸν λαὸν πάντα* [*Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolymam*

et Templum, vox in maritos novos novasque nuptas, vox in omnem populum]. Deinde: *Αἴ αἴ τῇ πόλει, καὶ τῷ λαῷ, καὶ τῷ ναῷ* [*Vae vae urbi, et populo, et Templo*].

CAPUT IX.

1. *Καὶ ὁ πέμπτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ εἶδον ἀστέρα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεπτωκότα εἰς τὴν γῆν, et quintus Angelus tuba cecinit, et vidi stellam de coelo cecidisse in terram*] Hic falsus Doctor est Eleazarus Ananiae filius, qui docuit, Non esse recipiendas victimas a Paganis Principibus, contra quam factum fuerat auctoribus etiam Prophetis, sub Cyro et Alexandro eorumque successoribus, sub Augusto quoque et Tiberio: Iosephus II. 30. Serius hoc hic refertur, quod effectus inde secuti seriores sint antedictis. Sic Historici saepe rerum connexarum, non temporum, sequuntur seriem.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἡ κλεῖς τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου, et data est ei clavis putei profundi] *Αὐτῷ*, illi stellae cadenti. Eius doctrina non erat Dei, sed Satanae, qui dicitur *in profundum carcerem includi*, cum non potest agere quae velit, Luc. 8: 31, infra 20: 3. Qui vero ea dogmata vulgat, *τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ* [*altitudines Satanae*], is dicitur *clavem habere putei profundi*, ut videre est infra dicto capite 20. *Φρέαρ τῆς ἀβύσσου* pro *φρέαρ ἄβυσσον*, Hebraica locutio. Sic *profundum* et *puteus* pari significatu ponuntur Ps. 69: 15. Solebant autem carceres esse in locis profundis, Ier. 38: 6. Eaque loca interdum claudi et obserari solebant, Dan. 6: 17. Sic infra 20 quod primum *ἄβυσσος*, mox vocatur *φυλακή* [*carcer*]. Hebraei inter infernas regiones ponunt באר שחת [*puteum interitus*] ex Ps. 55: 23. Vide librum qui dicitur *Cedrus Libani*.

2. *Καὶ ἤνοιξε τὸ φρέαρ τῆς ἀβύσσου, καὶ ἀνέβη καπνὸς ἐκ τοῦ φρέατος, et aperuit puteum profundum, et adscendit fumus ex puteo*] Aperuit se dogma seditiosum, Non est parendum Romanis. Additur hic in Manuscripto, *καπνὸς καμίνου μεγάλης*, ubi rursum *ὡς* subauditur, *fumus qualis e magna fornace*, Gen. 19: 28, Exod. 19: 18. *Κάμινος* poni solet vel masculino vel feminino genere.

Vi-

Vide Matth, 13: 42, 50, Iob. 41: 12, Deut. 4: 20, Ier. 11: 4. Sicut fumus ingens visum impedit, ita mentem mala dogmata. Perstat autem in coepta comparatione: nam fumus siderum conspectum adimit.

3. *Καὶ ἐκ τοῦ καπνοῦ ἐξῆλθον ἀκρίδες εἰς τὴν γῆν, nam de fumo exierunt locustae in terram*] *Καὶ* hic valet *nam*. Causam reddit cur luctuosum fuerit id dogma, quia inde enata est pessima factio Zelotarum, quae et Hierosolymis et per omnem Iudaeam alios pacis amantes spoliavit et plurimis modis vexavit: de quorum sceleribus late Iosephus. *Locustis* comparantur raptores, quia omnia post se vacua relinquunt. Utitur hac similitudine Iosephus Belli Iudaici IV. 7. Aristophanes Acharnensibus:

Ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται.

[*Hui! quantus huc numerus locustarum advenit.*] Ubi Scholiastes: *Βούλεται πολὺ πλῆθος σημαίνειν. Εἶδος δὲ ἀκρίδων οἱ πάρνοπες* [*Vult magnam multitudinem indicare. Πάρνοπες autem sunt genus locustarum*]. Recte quod et *multitudinem per locustas significari* ait. Sic et Iud. 7: 12. Sic et Achmes CCC. Apud Ioelem exercitus Phulis, Thiglathphilassaris, Salmanassaris, Sennacheribi vocantur *erucae, locustae, bruchi, attelabi*, ut ibi diximus. Hic quoque respicitur ad plagam Aegypti, quanquam sensu allegorico, ut supra in grandine. Vide Exod. 10: 4. *Εἰς τὴν γῆν in Iudaeam*, ut saepe iam vidimus.

Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία, ὡς ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ σκορπίοι τῆς γῆς, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpii terrae] Ut lento malo civitatem exhaurirent, ut solent scorpii, Plin. II. 25, Prov. 23: 32. Vide infra 5: 10. *Scorpio damnum et morbum significat*, Achmes CCLXXXV. *Ἐξουσία* hic et infra ad permissum Dei referendum.

4. *Καὶ ἐῤῥέθη αὐτοῖς, et dictum est illis*] Dicitur Deus aut Angeli eius ea *dicere* quorum causas disponunt.

Ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον τῆς γῆς, οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον, ne laederent foenum terrae, et omne viride, et omnem arborem] Non permisit illis Deus ut aut sata, aut Urbem Templumque incenderent: quod postea fecerunt Romani, Deo per gradus quosdam ad ultima veniente. Hebraei etiam *fruges χόρτον* vocant,

ut

ut apertum est Matth. 13: 26. Vide et quae dicta à nobis Matth. 6: 30. De voce δένδρον dictum supra 7: 1, 3. Locustarum est vastare et sata et arbores, Exod. 10: 5. Eo hic alluditur.

Εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους μόνους ὅσοι οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, sed homines, qui non habent signum Dei in frontibus] Hic εἰ μὴ non est exceptiva sed adversativa particula, quomodo ἐὰν μὴ sumitur Gal. 2: 16. Sic et infra 21: 27. Caussam reddit cur pessimis illis hominibus tanta potestas data sit in Hierosolymitas, nimirum quia illi qui in urbe restabant Hierosolymitae fidem Christi non erant professi; quod hic per *signum in fronte* ἀλληγορικῶς [*sensu recondito*] significatur. *Μόνους* et *αὐτῶν* abest in Manuscripto.

5. *Καὶ ἐδόθη αὐταῖς ἵνα μὴ ἀποκτείνωσιν αὐτοὺς, et datum est illis, ne occiderent eos*] Ne una strage edita populum occiderent; quod facile illis fuisset postquam Idumaeos acciverant, nisi Deus hoc Romanis reservasset.

Ἀλλ' ἵνα βασανίσωσι μῆνας πέντε, sed ut cruciarent mensibus quinque] Ad usque Titi adventum. Vide Iosephum Belli Iudaici V. 11. In Manuscripto, *βασανισθήσονται* [*cruciarentur*], nempe *αὐτοὶ* [*illi*].

Καὶ ὁ βασανισμὸς αὐτῶν ὡς βασανισμὸς σκορπίου ὅταν πλήξῃ ἄνθρωπον, et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percussit hominem] Non bona tantum caetera sed et necessaria alimenta eripiebant miseris civibus.

6. *Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ζητοῦσιν ἄνθρωποι τὸν θάνατον, et diebus illis quaerunt homines mortem*] *Ζητήσουσιν* [*quaerent*] habent Codices meliores. *Optabunt mortem* prae fame gravissima. Cyprianus: *Volentibus mori non permittebatur occidi.* Plinius: *Toties invocata mors.*

Καὶ οὐ μὴ εὑρήσουσιν αὐτὸν, neque invenient eam] Nemo eos volet interficere. Sic Iob. 3: 20, המחכים למות ואינו, Graece, *Οἱ ἱμειρόνται τοῦ θανάτου, καὶ οὐ τυγχάνουσι* [*Qui desiderant mortem neque assequuntur*].

Καὶ ἐπιθυμήσουσιν ἀποθανεῖν, καὶ φεύξεται ἀπ' αὐτῶν ὁ θάνατος, et desiderabant mori, et fugiet mors ab eis] Bis idem, more Hebraeo, ad significandam desiderii vehementiam. In Manuscripto *φεύγει*, velut in re praesente.

7.

7. *Καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον, et similitudines locustarum, similes equis paratis in proelium*] Ὁμοίωμα hic ad oculos refertur. *Ita truces erunt adspectu quasi equi bellatores.* Sumptum ex Ioel. 2: 4.

Καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ὡς στέφανοι χρυσοῖ, et super capita earum tanquam coronae aureae] Non dicit στέφανοι χρυσοῖ, sed ὡς στέφανοι χρυσοῖ. *Coronae* istae mendaces erunt. Iactabunt se quasi in potestate sua haberent victoriam contra Romanos.

Καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν ὡς πρόσωπα ἀνθρώπων, et facies earum tanquam facies hominum] Speciem sumebant honesti. Vide Dan. 7: 4.

8. *Καὶ εἶχον τρίχας ὡς τρίχας γυναικῶν, et habebant capillos, sicut capillos mulierum*] Revera erunt imbelles, non minus quam feminae, quae ex coma maxime noscuntur. De talibus Aristophanes:

Ὄντες οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες.

[*Qui domi cum sint leones, vulpes sunt in praelio.*] *Hospitibus tantum metuendi*, ut ait Tacitus Historiar. III. *Praedator e sociis et ipse praeda hostium*, ut Sallustius; galeati lepores. Hoc recte exprimitur per sexum, quem *inscium ferri* dixit Papinius. Tale illud Homeri:

—— *Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί.*

[— *Nec Achivi nunc, sed Achivae.*]

Et Virgilii:

O vere Phrygiae, neque enim Phryges.

Καὶ ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν, et dentes earum sicut leonum erant] Homines voracissimi, ex Ioel. 1: 6. Hinc factum proverbiale, *dentes leonis*, Sir. 21: 2.

9. *Καὶ εἶχον θώρακας ὡς θώρακας σιδηροῦς, et habebant loricas sicut loricas ferreas*] Putes esse tales quales describit Horatius:

Illi robur et aes triplex
Circum pectus erat.

Nam per *loricam* pectus, per *ferrum* durities intelligitur.

Καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν, et sonus alarum earum] Hoc dicit quia locustarum eis speciem dedit.

Ὡς φωνὴ ἁρμάτων ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον, sicut sonus curruum equorum multorum currentium in

bel-

bellum] Magno omnia cum strepitu agunt. Locutio ex Ioel. 2: 5.

10. *Καὶ ἔχουσιν οὐρὰς ὁμοίας σκορπίοις, καὶ κέντρα, et habebant caudas similes scorpiis, et aculeos*] Id est, *Κέντρα οὐρῶν ὁμοίως σκορπίοις* [*aculeos caudarum similes scorpiis*]. Nicander dixit:

— *Κέντρῳ κεκορυθμένον ἀλγινόεντι*
Σκορπίον.
[*Scorpium acumine diro*
Armatum.]

Cicero:

Scorpius infestus praeportans flebile acumen.

Avienus:

— *Venenato qui scorpius agmine caudae*
Plurimus erigitur.

Tertullianus de Scorpiis: *Unus omnium violentiae gestus, nocens de cauda.* Aliorum serpentum vis in capite; scorpiones inde vulnerant unde id minus exspectatur. Sic Zelotae laedebant ubi minime laesuri putabantur: intrabant ut defensores, exibant raptores. Homines barbari et aegris moribus solere *scorpios* dici docet nos Apuleius; sed et Ezechiel 2: 6.

Καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν ἐξουσίαν ἔχουσι τοῦ ἀδικῆσαι τοὺς ἀνθρώπους μῆνας πέντε, et in caudis potestatem habent nocendi hominibus mensibus quinque] Hoc iterum repetit quia tempus adeo definitum insigne praebet Divinae providentiae testimonium. In Manuscripto, *καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν ἡ ἐξουσία αὐτῶν* At Latinus legit, ut quidam Codices habent, *καὶ κέντρα ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν* [*et aculei erant in caudis earum: et potestas earum*] etc.

11. *Ἔχουσαι, habentes*] Femininum genus usurpat ob figuram *ἀκρίδων*. At in Manuscripto *ἔχουσι*.

Βασιλέα ἐφ' αὐτῶν, super se regem] Dicebant *se nullum Regem habere velle nisi Deum:* sed aliter se res habebat.

Τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσου, Angelum abyssi] Satanam, quem Deus carceri includit ubi vult. Infra 20: 1, 2. In Manuscripto, *τὸν ἄρχοντα τῆς ἀβύσσου τὸν ἄγγελον* [*principem Abyssi Angelum*].

Ὄνο-

"Ονομα αὐτῷ Ἑβραϊστὶ Ἀβαδδὼν, *cui nomen Hebraice Abaddon*] אבדון proprie *pernities*, ἀπώλεια, ut Iob. 28: 22. Sed solent apud illas gentes voces abstractae et concretae inter se permutari. Sic factum ut אבדון idem significet quod משחית, de quo nomine diximus ad 1 Cor. 10: 10. Habes nomen אבדון datum Daemoni in Aruch. Datur Romae id nomen in Targume Hierosolymitano. Oppositum hoc nomen nomini *Iesu* ישוע. Deus ad affligendos bonos utitur opera Angelorum et hominum malorum; ad affligendos malos utitur et bonis et malis tam hominibus quam Angelis. Vere autem exitialis fuit Spiritus, qui illos Zelotas agitabat: unde exitium natum est et Urbi et Templo.

Ἐν δὲ Ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων, *Graece nomen habet Apollyon*] Poterat dixisse Ὀλοθρευτὴς vel Ἐξολοθρεύων [*exterminans*], sed maluit alludere ad nomen *Apollinis*, quod velut proprium Numen Caesaribus. Ovidius:

Et cum Caesarea tu, Phoebe domestice, Vesta;

nempe ex victoria Actiaca, ubi, ut Virgilius credi voluit,

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper.

Vide Suetonium Octavio 29. Sicut autem Iudaei solebant falsorum Deorum nomina levi flexu in contumeliam mutare, ita et hic fit in Graeco nomine: vicina enim sunt Ἀπόλλων et Ἀπολλύων. Putet forte aliquis et ἐτυμολογίαν [*originem vocis*] spectatam: nam Graecorum nonnulli Ἀπόλλωνα, ut et Ἑκατηβελέτην [*eminus iaculantem*] et Λοίμιον [*pestilentem*], dictum putant quod *morbos immittat*: idque confirmant ex Iliados primo. Ad illud Aeschyli in Agamemnone,

Ἄπολλον, Ἄπολλον, αἰγυιεῦ τ' ἀπόλλων ἐμός,

[*Apollo, Apollo, tu qui viis prae es, exitium meum*], Scholiastes: Ἀπολλύων με, παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν [*Qui me perdis, cum Ἀπόλλων utrumque et Apollinem et perditorem significet*]. Sensus autem est egregius. Dicunt illi Zelotae inimicos se Caesaribus utpote idololatris, cum tamen ipsi eidem Spiritui serviant quem in *Apollinis* nomine Caesares colunt, et magnitudinem Romanam suaeque gentis exitium quam maxime promoveant.

12.

12. *Ἡ οὐαὶ μία ἀπῆλθεν, vae unum abiit*] Cessavit tandem illa Zelotarum rapacitas, post menses quinque, adventante Tito, ut supra diximus.

Ἰδοὺ ἔρχεται ἔτι δύο οὐαὶ μετὰ ταῦτα, et ecce veniunt adhuc duo vae posthaec] Obsidionis et excidii.

13. *Καὶ ὁ ἕκτος ἄγγελος ἐσάλπισε, et sextus Angelus tuba cecinit*] Datum signum ad nova mala.

Καὶ ἤκουσα φωνὴν μίαν ἐκ τῶν τεσσάρων κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ χρυσοῦ τοῦ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod est ante oculos Dei] Deus auditis precibus illorum exsulantium, qui aliquando in sedes avitas redire gestiebant, properari iussit obsidium satis diu dilatum, ut rebus iis confectis quas Deus confieri volebat, abirent exercitus, et tutus daretur in villas et agros, et si qua oppidorum restabant, reditus. *Διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι* [*Propter electos breviabuntur dies*], Matth. 24: 22. *Altare aureum* est altare suffituum, per quos significantur preces. *Quatuor cornua* erant in eo altari, Exod. 30: 2. Per ea hic intellige omnia loca in quibus exsulabant Iudaei Christum colentes: neque enim omnes erant Pellae.

14. *Λέγουσαν τῷ ἕκτῳ ἀγγέλῳ, Λῦσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους τοὺς δεδεμένους ἐπὶ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ, dicentem sexto Angelo, solve quatuor Angelos qui alligati sunt flumini magno Euphrati*] Hi *quatuor Angeli* sunt duces et custodes Vespasiani, Titi, Muciani et Tiberii Alexandri, quorum ingentes exercitus ad Euphratem usque pertingebant: et cum diu consilium iis fuisset Hierosolyma obsidere, res tamen Divino consilio dilata fuit in tempus ipsi destinatum. Vespasianus praetextum morae sumebat, quod vellet Hierosolyma internis primum discordiis infringi: revera volebat exspectare quorsum se daturae essent res Romanae: Iosephus Belli Iudaici IV. 21. Per id tempus *Angeli*, qui eos incitaturi erant, *vincti fuisse* dicuntur, id est, a Deo inhibiti. *Euphrati* additur titulus *magni fluminis*, quia et alia minora erant nomine פרת, ut alibi diximus. Syriacae legiones attingebant Euphratem, Iosephus V. 6. Sic et Philo in Legatione dixit *στρατόπεδα τὰ πρὸς Εὐφράτῃ* [*exercitus ad Euphratem*].

15. *Καὶ ἐλύθησαν οἱ τέσσαρες ἄγγελοι, οἱ ἡτοιμασμένοι εἰς τὴν ὥραν καὶ ἡμέραν καὶ μῆνα καὶ ἐνιαυτὸν, et solnti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam et diem et mensem et annum*] Tres illi, Angelis impellentibus, quarto, id est, Tito copias suas tradidere ad obsidenda Hierosolyma, idque tempore praesignificato per eius temporis Prophetas.

Ἵνα ἀποκτείνωσι τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, ut occiderent tertiam partem hominum] Hierosolymitarum nempe pugnis et fame ante captam Urbem.

16. *Καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν στρατευμάτων τοῦ ἵππου μυριάδες μυριάδων, et numerus equestris exercitus millies millia*] Hoc dicit, Praeter illas legiones ingentem fuisse equitatum, non tantum legionariorum, qui Romano more legionibus aderant, et alarium, quibus acies protegebatur, verum etiam a sociis, id est, a Syriae civitatibus, ab Antiocho Comagenorum Rege, a Sohemo Ituraeorum, ab Arabibus aliis, et ab Agrippa Iuniore, qui Galilaeam cum vicinis quibusdam regionibus tenebat, et ab aliis gentibus, quae certatim missis auxiliis gratiam sibi apud novum Principem eiusque filium parabant. Vide Iosephum Belli Iudaici V. 6 et Tacitum Historiarum V. Est hic ἐναλλαγὴ [*permutatio*] τοῦ ἵππου [*equi*] pro τῶν ἵππων [*equorum*]. Alioqui *equitatum* cum volunt dicere Graeci, dicunt τὴν ἵππον. *Μυριάδες μυριάδων* רבו רבן receptum ad significandum numerum ingentem, ut supra 5: 11.

Ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν] *Audivi recitari numerum* velut ex matricula militari.

17. *Καὶ οὕτως εἶδον τοὺς ἵππους ἐν τῇ ὁράσει*] *Ipse etiam in viso conspexi agmen equestre*, tanto numero congruens.

Καὶ τοὺς καθημένους ἐπ' αὐτῶν, ἔχοντας θώρακας πυρίνους καὶ ὑακινθίνους καὶ θειώδεις] *Loricas habebant* [*qui iis insidebant*], pro gentium varietate, coloris varii, *flammeas*, *violaceas*, *pallidas*. *Linea* multis gentibus e lino. Testis Livius libro IX et XXXI. Festus in verbo *Legio*, et Suetonius Galba. Usus tali et Alexander, teste Plutarcho. *Sulphureas loricas* interpretor *pallidas*, sicut pallentia *sulphurata* dixit Martialis.

Καὶ αἱ κεφαλαὶ τῶν ἵππων ὡς κεφαλαὶ λεόντων, et capita equo-

equorum erant tanquam capita leonum] Rictus equorum sanguinolenti, qualis Leoni post devoratas pecudes.

Καὶ ἐκ τῶν ςομάτων αὐτῶν ἐκπορεύεται πῦρ καὶ καπνὸς καὶ θεῖον, et de ore eorum procedit ignis et fumus et sulphur] Subauditur ὡς [*tanquam*]. *Ita res se habebat quasi ab ore equorum ignis fumigans et sulphureus procederet.* Ita poetice describit falaricas, quas plenas sulphure, resina, bitumine, stuppis et oleo, quod *incendiarium* dicitur, iaciebant equites ad incendendas Hierosolymorum turres. Valerius Flaccus in hac ipsa re, id est, in Hierosolymorum oppugnatione, versantem Titum sic describit:

—— Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.

18. *Ἀπὸ τῶν τριῶν πληγῶν τούτων ἀπεκτάνθησαν τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, ἐκ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ καπνοῦ καὶ τοῦ θείου, ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, igne et fumo et sulphure*] Est σύνθεσις [*constructio, rem non voces spectans*] in τρίτον et ἀπεκτάνθησαν qualis,

Pars in frusta secant. ——

Hoc dicit, defensores plurimos illis falaricis aliisque missilibus ignitis interiisse.

Τοῦ ἐκπορευομένου ἐκ τῶν ςομάτων αὐτῶν] *Quod videbatur ex ore equorum prodire*, quia ante ora equorum volabant illa missilia non secus quam si ex ore prodirent.

19. *Ἡ γὰρ ἐξουσία τῶν ἵππων ἐν τῷ ςόματι αὐτῶν ἐςι, potestas enim equorum in ore eorum est*] לפניהם *in conspectu eorum*, ante eos.

Καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν· αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν ἔχουσαι κεφαλὰς, et in caudis eorum: nam caudae eorum similes serpentibus habentes capita] Similes Amphisbaenae, cui pro cauda est caput alterum. Vide Nicandrum, Plinium et Lucanum. Saepe apud Romanos ubi festinationis res egeret, post equitem sedebat in eodem equo pedes, qui ubi opus erat descendebat de equo. Eos pedites hic *caudam equi* apposite vocat.

Καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι] *Per illos pedites* hosti non minus quam per equites *nocent*. Pedites enim ad oppugnationem plus valent. *Ἀδικεῖν* hic est *nocere*, ut supra

2. 11, 6: 6, 7: 2 et hic 4: 10. Causam huius locutionis reddidimus alibi.

20. *Καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ οὐκ ἀπεκτάνθησαν ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις, οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων τῶν χειρῶν αὐτῶν, et caeteri homines, qui non sunt occisi hisce plagis, non egerunt poenitentiam ab operibus manuum suarum*] *A malis suis facinoribus.* Causam reddit cur ultimum exitium Deus ad plagas Hierosolymorum addiderit, *Quia homines nihil erant correcti.* *Ἔργα χειρῶν* de malis factis dicitur, Deut. 31: 29, Ps. 28: 4, Lament. 2: 64 et alibi.

Ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια καὶ τὰ εἴδωλα τὰ χρυσᾶ καὶ τὰ ἀργυρᾶ καὶ τὰ χαλκᾶ καὶ τὰ λίθινα καὶ τὰ ξύλινα, ἃ οὔτε βλέπειν δύναται, οὔτε ἀκούειν, οὔτε περιπατεῖν, ne adorarent Daemonia et simulacra aurea et argentea et aerea et lapidea et lignea, quae neque videre possunt, neque audire, neque ambulare]. Sicut de Zelotis dixit, eos eidem Numini serviisse quibus serviebant Romani, quos illi idololatras vocabant, ita nunc docet etiam Hierosolymitas omnes fuisse idololatras, nempe sensu mystico, quem nobis explicat Paulus Eph. 5: 5, Col. 3: 5. Serviebant enim Pecuniae, Gemmis, Mensis, a quibus utpote inanimis rebus servari in periculo non poterant. Non privati tantum a privatis expilabantur, sed et Sacerdotes interibant alimentis fraudati per Sacerdotum principes. Neque unquam maior visa est violentia quam obsessis Hierosolymis. Vide haec singulatim explicata apud Iosephum. *Praelia, dolus, incendia inter ipsos* ait Tacitus. Sumpta sunt verba de Idolis ex Dan. 5: 4. Tum vero et quod Idolis obiici solet Ps. 115: 4 etc., 135: 15, destitui illa a sensibus, idem ad opes recte applicatur. Non omittendus hic Philonis locus de Monarchia: *Πλούτου γὰρ αἱ περιβόητοι ὗλαι χρυσὸς καὶ ἄργυρος χεῖσθαι πεφύκασιν· αἷς ἀκολουθοῦσιν οἱ πολλοὶ τὰ τοῦ λεγομένου τυφλοῦ Πλούτου μόνα ἢ μάλιϛα τῆς εὐδαιμονίας αἴτια νομίζοντες· τάδέ ἐϛιν, ἅ φησιν εἴδωλα, σκιαῖς ἐοικότα καὶ φάσμασιν, οὐδενὸς ἠρτημένα ὀχυροῦ καὶ βεβαίου* [*Est enim aurum atque argentum, quibus praecipue speciebus divitiae constant, natura fusile. Haec sectantur plerique eo quod felicitatem hisce coeci qui dicitur Pluti bonis aut solis*

aut

qui maxime comparari putant. Haec sunt illa, quae ait, idola, umbris similia et spectris, firmi ac solidi nihil habentia]. Sic qui divitiis serviunt dicuntur *θυσιάζειν χρυσίῳ* [*sacrificare auro*] Sir. 31: 7, ubi etiam *aurum* dicitur *ξύλον προσκόμματος* [*lignum offensionis*], id est, idolum.

21. *Καὶ οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν φόνων αὐτῶν, et non egerunt poenitentiam ab homicidiis suis*] Vide Iosephum Belli V. 1, 27.

Οὔτε ἐκ τῶν φαρμακειῶν αὐτῶν, neque a veneficiis suis] In eadem domo alii alios veneno necabant, ut eo plus haberent alimentorum.

Οὔτε ἐκ τῆς πορνείας αὐτῶν, neque a fornicatione sua] Haec sunt quae *μύση* [*scelera*] vocat Iosephus. Vide Rom. 2: 22 et ibi dicta. *Proiectissima in libidinem gens*, Tacitus de Iudaeis.

Οὔτε ἐκ τῶν κλεμμάτων αὐτῶν, neque a furtis suis] Ne sacrilegiis quidem abstinebant, Iosephus V. 33.

CAPUT X.

1. *Καὶ εἶδον ἄγγελον ἰσχυρὸν, et vidi Angelum fortem*] *Angelum* qui Christi personam referret, sicut Angeli solebant Dei personam referre sub Veteri Testamento. Vide supra 1: 13. *Ἰσχὺς* Christo tribuitur supra 5: 12.

Καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, descendentem de coelo] Sic Deus dicitur *descendere* quoties aliquid magni aut acturus aut dicturus est. Notum id Maimonidae Duce Dubitantium I. 10.

Περιβεβλημένον νεφέλην, amictum nube] Signum potentiae. Vide supra 1: 7. Sic Ps. 104: 2. עטה אור כשלמה, *ἀναβαλλόμενος φῶς ὡς ἱμάτιον* [*amictus lumine sicut vestimento*]. Par locutio apud Horatium de Apolline:

Nube candentes humeros amictus.

Καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, et iris in capite eius] Foederis sui non obliviscitur; supra 4: 3. In Manuscripto, *ἡ ἶρις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.*

Καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, et facies eius erat ut sol] Maiestatis signum, supra 1: 16.

Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὡς στῦλοι πυρὸς, et pedes eius tanquam columnae ignis] Pedes, actiones, ut supra 1: 15, columnae firmitatem, ignis efficaciam designat.

2. *Καὶ εἶχεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ βιβλαρίδιον ἀνεῳγμένον, et manu habebat libellum apertum*] Id est, sententiam iam iam pronunciandam. Hebraei omne scriptum vocant ספר, ut instrumentum divortii, emptionis, et alia. Decreta quorum exsecutio suspenditur obsignari solent, ut supra vidimus: at sententiae iam iam pronunciandae patere debent. Erat autem haec sententia causas continens excidii urbis Hierosolymorum, et Templi, et civitatis ex maxima parte. In Ezechiele pro βιβλαρίδιον est מגלה, 3: 1 et seqq.

Καὶ ἔθηκε τὸν πόδα αὐτοῦ τὸν δεξιὸν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, et posuit pedem dextrum in mari] *Pedem ponere* dominium significat. Sic et Latini dicunt *habere sub pedibus*. Christus per Romanos tanquam tribunalis sui satellites Hierosolymitas subegit. Hunc sensum nobis dictat Christus ipse Matth. 22: 7. *Mare* in hac parte Apocalypseos est multitudo Iudaeorum illa quae Hierosolymis. Vide supra 5: 13, 7: 1—3, 8: 8. *Pes dexter*, maior pars civium.

Τὸν δὲ εὐώνυμον ἐπὶ τῆς γῆς, sinistrum in terra] Tenebat etiam per Romana praesidia et stationes totam terram Iudaeam.

3. *Καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ ὥσπερ λέων μυκᾶται, et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit*] Quippe Christus est *Leo ex stirpe Iuda*, supra 5: 5. Dei irati verba *leonis mugitui* comparantur Esai. 31: 4. Item Am. 3: 8, ubi in Hebraeo שאג, quod ibi, ut et Os. 11: 10, per ἐρεύγεσθαι vertitur, alibi per ὠρύεσθαι, ut et 1 Petr. 5: 8, quod et Apollonius in Argonauticis dat leoni. Sed, ut ibi Scholiastes notat, usitata vox huic rei est βρυχᾶν, quam tamen et de urso et de panthera dici Pollux notat. *Μυκᾶσθαι* est boum, sed transferri solet ad leonem, alibi ad tonitrua.

Καὶ ὅτε ἔκραξεν, et cum clamasset] Vocavit tonitrua.

Ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ τὰς ἑαυτῶν φωνὰς, locuta sunt septem tonitrua voces suas] Vox illa tanta erat ut inter septena tonitrua exaudiri posset. *Tonitrua* res horrendas sig-

significant; *septem* vero, numerum completum. Sicut ante bellum *facta tonitrua* supra 8: 5, ita nunc in belli exitu. Φωνὴ proprie est animantium, sed solet et ad res alias transferri, et nominatim ad tonitrua, ut Ps. 77: 19, 104: 7. Verum hic proprie φωνὰς sumere debemus, quia dicit τὰς ἑαυτῶν φωνὰς, id est, ἐνάρθρους [*articulatas*] atque distinctas, quales sunt voces humanae, quae scribi possunt. Vide infra 11: 15. Recte huc aptes illud Iob. 26: 14.

4. *Καὶ ὅτε ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ ἔμελλον γράφειν, et cum locuta fuissent septem tonitrua ego perscripturus fueram*] Perscripturus fueram voces illas quae intonuerant, sicut audita perscripseram. Graviora et plura erant haec tonitrua quam illa supra 8: 5.

Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν, Σφράγισον ἃ ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταί καὶ μετὰ ταῦτα γράψεις, et audivi vocem de caelo dicentem, Obsigna quae locuta sunt septem tonitrua et post haec scribes] Melius alii μὴ ταῦτα γράφῃς [*noli ea scribere*]. Et σφράγισον hic est *occule*, per μετωνυμίαν [*transnominationem*]. Quia quae celata alios volumus, solemus obsignare, ut testamenta μυστικὰ [*mystica*], et illa Esai. 29: 11. Apud Danielem 8: 26 et 12: 4 pro eodem ponitur סתם. Graeci priore loco habent σφράγισον ut hic; posteriore ἔμφραξον, quod est interpretamentum illius σφράγισον. Hoc vult Deus: Ea mala quae expugnationem Urbis sunt secutura adeo sunt gravia, ut pro dignitate describi non possint, sed non aliter quam sub specie omnium quae usquam leguntur horribilium animo concipi.

5, 6, 7. *Καὶ ὁ ἄγγελος ὃν εἶδον ἑστῶτα ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ τῆς γῆς, ἦρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ τὴν δεξιὰν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et Angelus, quem vidi stantem in mari et terra, levavit manum dextram ad coelum et iuravit per viventem in secula seculorum*] Non iuraret Christus nisi magnum aliquod bonum Ecclesiae promitteret, Hebr. 6: 17, 7: 21. Neque iurat tantum, sed iurat gestu maxime solenni, Gen. 14: 22, Deut. 32: 40, Exod. 6: 8, Num. 14: 30, Ezech. 20: 6. Et utitur eadem formula qua apud Danielem Angelus 12: 7, ubi de liberatione ab illatis per Antiochum malis agitur.

6. Ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, *qui creavit coelum et quae in eo sunt, et terram et mare et quae in eo sunt*] Sumpta ex Neh. 9: 6. Sed illa καὶ τὴν γῆν et sequentia desunt in Manuscripto.

7. Ὅτι χρόνος οὐκ ἔςαι ἔτι, ἀλλὰ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν, τελεσθῇ τὸ μυςήριον τοῦ Θεοῦ, *tempus non erit amplius: sed diebus vocis septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei*] Non diu erit quin arcanum Dei compleatur. Nam χρόνος οὐκέτι ἔςαι significat, *non diutius res differetur.* Sic Esai. 13: 22, ימיה לא ימשכו ἡμέραι αὐτοῦ οὐ μὴ ἐφελκυσθῶσιν [*dies eius non protrahentur*]. Idem est quod οὐ μὴ χρονίσῃ Abac. 2: 3, οὐ χρονιεῖ Sir. 7: 16, 14: 12. Arcanum autem illud Dei quod *non diutius differendum* dicitur, non aliud est ab eo quod post cantum tubae septimae laudatur, et celebratur infra 11: 15. Id vero est quod Christianis per Adrianum Hierosolymorum habitatio et liber ibi cultus Dei et Christi permissus est, expulsis inde omnibus Iudaeorum reliquiis. Unde factum est ut nullis ultra Iudaeis ad illam Ecclesiam accedentibus, post id Episcopus ibi esset ex Gentibus, et si qui alibi essent Iudaei qui in Christum crediderant, ii fierent accessio credentium ex Gentibus. Quae sicut summa fuit Christi de contumacibus Iudaeis victoria et piorum consolatio, ita terminus est Apocalypseos de rebus Iudaicis. Μυςηρίου vocem pari sensu habes 1 Cor. 15: 51 et apud Danielem in Graeco saepe. Deinde in Manuscripto est, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν καὶ ἐτελέσθη, ut sit copula παρέλκουσα [*abundans*] et ἀόριςος pro futuro, προφητικῶς [*more prophetico*]. Respicitur illud Danielis, עד עת קץ [*usque ad tempus finis*].

Ὁ εὐηγγελίσατο τοὺς δούλους αὐτοῦ τοὺς προφήτας, *quod annunciavit servis suis Prophetis*] Ex verbo εὐηγγελίσατο vides de re laeta agi, ut diximus. Solet autem εὐαγγελίζειν modo post se regere dativum personae cui fit nuntius, modo accusativum, ut hic et Luc. 3: 18, Act. 8: 40, 13: 32, 14: 15, 21. Prophetas autem hic intellige Novi Testamenti et quidem ex Presbyteris Hierosolymitanis, qui indicantur supra 5: 5 et 7: 13.

8.

8. *Καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et vox quam audieram e coelo*] Supra 4.

Πάλιν λαλοῦσα μετ' ἐμοῦ, iterum loquens mecum] Supple ἦν [*erat*].

Καὶ λέγουσα, Ὕπαγε, et dicens, Accede] *Accede* ad Angelum istum magnum.

Λάβε τὸ βιβλαρίδιον τὸ ἀνεῳγμένον ἐν τῇ χειρὶ τοῦ ἀγγέλου τοῦ ἑςῶτος ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, accipe libellum apertum de manu Angeli stantis in mari et terra] Causas istius severi iudicii in Hierosolymitas.

9. *Καὶ ἀπῆλθον πρὸς τὸν ἄγγελον, λέγων αὐτῷ, Δός μοι τὸ βιβλαρίδιον, et abii ad Angelum, dicens ei, Da mihi libellum*] Nempe ut legam, et causas illas cognoscam. In Manuscripto, *λέγων αὐτῷ δοῦναί μοι τὸ βιβλάριον* [*dicens ei, dare mihi libellum*], quod rectum puto: nam *βιβλάριον* est primus diminutivus, *βιβλαρίδιον* secundus: quale est apud Latinos *pauxillum*, *puellulus*.

Καὶ λέγει μοι, Λάβε καὶ κατάφαγε αὐτὸ, et dixit mihi, Accipe et comede illum] Ut quondam Ezechieli imperatum 3: 1. *Comestio* autem *αἰνιγματικῶς* [*aenigmatice*] significat, ut Philo in Allegoriis ait, *τὴν ἀνάληψιν, comprehensionem*, quam sequitur meditatio, quasi concoctio quaedam. Sic quae bene discimus, ea dicimur *in sanguinem et succum vertere*. Adde Ier. 15: 16.

Καὶ πικρανεῖ σοι τὴν κοιλίαν, et faciet amaricari ventrem tuum] *Κοιλίαν* vocat quae alibi dicuntur *τὰ σπλάγχνα* [*viscera*]: nisi forte cum Manuscripto malimus legere *καρδίαν* [*cor*]. Sensus est: Non poteris ista cogitare ut non miseratione quadam movearis super interitu tot popularium, inter quos erunt et bene noti tibi et consanguinei. Sic Ezechiel *amarum se dicit abiisse prae cordis moestitia*, 3: 14. *Πικραίνειν* est המר [*ad amaritudinem adducere*] Iob. 27: 2 et alibi.

Ἀλλ' ἐν τῷ ςόματί σου ἔςαι γλυκὺ ὡς μέλι, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel] Cogeris fateri nihil eis evenisse quod non mererentur: quod saepe agnoscit Iosephus. Approbabis Christi iustitiam: et hoc ex Ezech. 3: 3.

10. *Καὶ ἔλαβον τὸ βιβλαρίδιον ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ ἀγγέλου, καὶ κατέφαγον αὐτὸ, et accepi libellum de manu Angeli*

et comedi illum] Edi ut iussus eram συμβολικῶς [*symbolice*], et simul comprehendi id ipsum quod significatum erat illo συμβόλῳ. Signa a Deo instituta res suas habent comites.

Καὶ ἦν ἐν τῷ ςόματί μου ὡς μέλι γλυκὺ, et erat in ore meo tanquam mel dulce] Proverbiale. Theocritus:

Ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

[*Gratius hoc tibi sit flavi dulcedine mellis.*]

Sensus est: Non potui non approbare quod Christus fecerat, cognitis praesertim causis.

Καὶ ὅτε ἔφαγον αὐτὸ, ἐπικράνθη ἡ καρδία μου, et cum comedissem eum, amaricatum est cor meum] Ubi cogitare coepi quot ibi homines essent perituri, quot in captivitatem ituri, non potui me continere quin dolore iterum commoverer.

— Quis talia fando
Temperet a lachrymis?

11. *Καὶ λέγει μοι, et dixit mihi*] Angelus ille Christum referens. In Manuscripto, λέγουσί μοι [*dixerunt mihi*], nempe vox e coelo et Angelus, id est, Deus Pater et Christus.

Δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι, oportet te iterum vaticinari] Putas te iam catastrophen vidisse Iudaicae tragoediae: sed aliter se res habet.

— Et erunt etiam altera bella,

et strages maiores latiusque fusae. Similis locutio ad Ezechielem 2: 3.

Ἐπὶ λαοῖς, de populis] De Iudaeis, non tantum qui in Iudaea superstites erunt, sed et iis qui in Africa, Aegypto, Graecia, et Cypro. Ἐπὶ hic interpretor *de*, more Hebraeo, על־לאמים: sicut על־פרעה [*de Pharaone*] Ezech. 32: 2.

Καὶ ἔθνεσι, et gentibus] Romanis.

Καὶ γλώσσαις, et linguis] Sociis Romanorum, qui

Tam varii linguis, habitu quam vestis et armis.

Καὶ βασιλεῦσι πολλοῖς, et Regibus multis] De Aelio Adriano Imperatore, de Martio Turbano, de Turannio Rufo, de Iulio Severo, ducibus eius. Nam et tales vocari Hebraeis מלכים, nostris vero βασιλέας diximus supra 6: 15, sed et Adriano multi Reges auxilia miserant, ut Cosroes Par-

Parthorum, Pharasmanes Alanorum, alii Reges Bactrianorum, Albanorum, Iberorum et aliarum Gentium. Multi et Toparchae. Vide Aelianum Spartianum.

CAPUT XI.

1. *Καὶ ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ, et datus est mihi calamus similis virgae*] Postquam videram iam in prophetia Templi excidium, ut olim Ezechiel, data est mihi, ut olim Ezechieli in manus pertica sive decempeda ex arundine, qualibus uti solebant agrimensores. Ea in Ezechiele dicitur קנה המדה, *κάλαμος τοῦ μέτρου* [*calamus mensurae*]. Non datus est Iohanni funiculus, quia non erat restituendum templum, sed metiendum alia de causa.

Καὶ εἱστήκει ὁ ἄγγελος λέγων, Ἔγειραι καὶ μέτρησον τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, adstititque Angelus, dicens: Surge et metire templum Dei] Omni haec sunt *μετωνυμικὰ* [*per transnominationem dicta*]. Templum vocatur area illa in qua steterant *adytum* et *basilica* דביר et היכל. Similis locutio:

Omnis humo fumat Neptunia Troia.

Καὶ τὸ θυσιαστήριον, et altare] Locum altaris victimarii quod holocaustorum dici solet.

Καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ, et adorantes in eo] Id est, locum in quo populus Deum adorare solebat, Atrium Israelitarum. Metiri autem iubetur Iohannes hoc spatium, quia Deus id ob memoriam veteris sanctimoniae intactum erat servaturus a Gentibus. Inter excidium et Adriani tempora nihil Hierosolymis memoratu dignum acciderat. Paucae turres in monumentum victoriae reliquae factae erant a Tito, apud quas primum poni tentoria, deinde et domus aliquae strui coeperunt.

2. *Καὶ τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω, καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς, atrium autem quod est foris Templum extraclude, et ne metiaris illud*] Posterius hoc prioris est expositio. Itaque *ἐκβάλλειν ἔξω* dixit, quod Latini mensores, *extracludere*. Vide Frontinum. *Αὐλὴν* vero *τὴν ἔξωθεν* hic vocat omne spatium extra Templi vestigia.

Nam

Nam חצר, quod *αὐλὴν* vertunt Graeci, Hebraeis id omne quod tecto nullo tegitur. *Aream* dicerent bene Latini.

Ὅτι ἐδόθη τοῖς ἔθνεσιν, quoniam datum est Gentibus] Aelius Adrianus in solo extra Templum novam struxit Urbem, dixitque de suo nomine Aeliam, quam *ἐξ ἀλλοφύλου γένους ἀποιηθεῖσαν* ait Eusebius, id est, *impletam hominibus non Iudaeis*, nempe ex maxima parte. Nam et Iudaeis ibi habitare concessum ante finem belli cum Barchocheba, idem Eusebius Chronico nos docet.

Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο, et urbem sanctam conculcabunt menses quadraginta duos] *Πόλις ἁγία* dici solebat Hierosolyma, ut vidimus Matth. 4: 5. Idem nomen datur nunc Aeliae, quia in iisdem locis erat reposita, et apud Iudaeos vetus nomen retinebat. Dicitur autem sancta, quia olim sacrata Deo fuerat, locutione qualem habemus Matth. 21: 31. *Πατήσουσι* intellige *profanabunt*, nempe Templo structo Iovi Capitolino, non in Moria, ubi Templum fuerat, sed in Sione. Ita enim Hebraei accuratius quam Dion. רמס Hebraeum, quod *πατεῖν* vertitur, significat *contemptim conculcare*, ut Esai. 28: 3. *Menses quadraginta duo*, sive dies mille ducentae et sexaginta, faciunt ferme tres annos cum dimidio; quem numerum saepe habebimus in hac Apocalypsi. Celebris enim erat ex Daniele, quia per tantum temporis durarunt gravissima sub Antiocho mala, Urbe etiam tunc profanata. Voluit autem Deus mala similia pari temporis spatio includi, ut eandem sibi nunc esse piorum curam ostendat quae olim fuerat. Tempus autem hoc putari debet ex quo strui coepit Templum Iovis Capitolini ad motum usque Iudaicum duce Barchocheba. Aliquod tempus inter haec intervenisse etiam Dion nos docet. Videtur autem non in rebus Antiochi tantum sed et *ἐν τῇ ἀνομβρίᾳ* [*in siccitate*] quae fuit Eliae tempore, Iac. 5: 17, Deus elegisse tempus *trium annorum et dimidii*, quia id facit partem alteram hebdomadis annorum, quod est tempus perfectum. Atque ita Deus salutem suis adfert *in medio annorum*, ut loquitur Abacucus 3: 2. Sic et Christus a laboribus suis liberatus creditur post tres annos et dimidium.

3.

3. *Καὶ δώσω τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου καὶ προφητεύσουσιν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, et dabo duobus testibus meis, et prophetas agent dies mille ducentos sexaginta*] Hebraea locutio, *δώσω καὶ προφητεύσουσιν* pro *δώσω προφητεύειν*, *dabo ut faciant ea quae sunt Prophetarum.* Par locutio Ier. 9: 1, Ps. 55: 6, 119: 34. Cum Aelia condi coepit ex multitudine eo deducta, duo Christianorum genera exstiterunt ex Iudaeis orta et ex alienigenis: qui cum diversa lingua loquerentur, Iudaei Hebraica, alienigenae Graeca, ut maxime communi, qua etiam Paulus ad Romanos scribens usus est, necessario et duos fecere conventus sive Ecclesias. Quia autem universitates omnes mysticam quandam personam faciunt, ideo saepe solent sub personae unius nominibus describi, ut populus Romanus apud Florum, populus Iudaeus sub *feminae* vocabulo apud Prophetas, interdum et sub *filii* nomine, ut Os. 11, Ier. 31: 20. Hic duo illi conventus vocantur *testes duo*, quia illustre Deo testimonium praebebant. Et quia facti ex Iudaeis Christiani opponebant se aliorum Iudaeorum vitiis, sicut olim Moses fecerat, ideo Mosi comparantur. Et quia vocati ex Gentibus idololatriam oppugnabant, ideo Eliae comparantur, qui idololatriam et olim destruxerat. Dicuntur autem duo illi testes *προφητεῦσαι*, quia Prophetarum more Dei mandata explicabant omnibus, accedente et Prophetiae dono. Tempus autem hic expressum terminatur, ut diximus, in principio motus Iudaici qui fuit sub Adriano.

Περιβεβλημένοι σάκκους, amicti saccis] Habitu lugentium, nempe quod viderent in urbe Deo sacrata idolum, et Iudaeorum plerosque in tantis malis nihilo fieri meliores.

4. *Οὗτοί εἰσιν αἱ δύο ἐλαῖαι, hi sunt duae olivae*] Quo nomine olim apud Zachariam 4: 3, 11 designati Iosue Sacerdos et Princeps Zorobabel. Sic et hi erant per Christum *Deo Patri Reges et Sacerdotes* supra 1: 6, 5: 10, tam pleni Spiritu Sancto, quam olea est olei, 2 Cor. 1: 21, 1 Ioh. 2: 20, 27.

Καὶ αἱ δύο λυχνίαι, et duo candelabra] Id est, duae Ecclesiae, ut iam diximus. Interpretationis huius nostrae auctor ipse Christus supra 1: 20.

Αἱ

Αἱ ἐνώπιον τοῦ Κυρίου τῆς γῆς ἑςῶσαι, coram Domino terrae stantes] Sumptum de Zach. 4: 14. Sensus est, *illas duas Ecclesias Deo perpetuo inservire:* id enim apud Hebraeos *stare coram aliquo.* Vide supra 8: 2.

5. *Καὶ εἴ τις αὐτοὺς θέλῃ ἀδικῆσαι*] *Si quis* aut Iudaeus aut alienigena *eos opprimat.*

Πῦρ ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ ςόματος αὐτῶν, καὶ κατεσθίει τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν, ignis exit de ore eorum, et devorat inimicos eorum] Id est, Preces illorum Dei iram excitant in perniciem hostium. Vide supra 8: 4, 5 et Rom. 12: 20. Respicitur autem et applicatur μυςικῶς [*mystice*] historia quae est 2 Reg. 1: 10, 12.

Καὶ εἴ τις αὐτοὺς θέλῃ ἀδικῆσαι, οὕτω αὐτὸν δεῖ ἀποκτανθῆναι, et si quis voluerit eos laedere, sic oportet eum occidi] Illud οὕτω deest in Manuscripto. Est autem sensus idem qui infra 13: 10. Et allusio est ad holocausta, ut supra 8: 5.

6. *Οὗτοι ἔχουσιν ἐξουσίαν κλεῖσαι τὸν οὐρανὸν ἵνα μὴ ὑετὸς βρέχῃ τὰς ἡμέρας τῆς προφητείας αὐτῶν, hi habent potestatem claudendi coelum ne pluat diebus prophetiae ipsorum*] Sensus est: Nihil tam magnum ac stupendum est quod non a Deo impetrent si opus sit. Id autem explicatur per similitudinem eorum quae olim Deus fecerat tum Eliae tum Mosis causa. Et hoc quidem de imbre manifesto sumptum est de Eliae historia 1 Reg. 17 et 18. Utitur eo exemplo et Iacobus, ut ostendat nihil non impetrabile esse Christianorum precibus. *Τὰς ἡμέρας*, id est, κατὰ τὰς ἡμέρας.

Καὶ ἐξουσίαν ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ὑδάτων ςρέφειν αὐτὰ εἰς αἷμα, et potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem] Hoc ex Mosis historia sumitur, Exod. 7: 17.

Καὶ πατάξαι τὴν γῆν ἐν πάσῃ πληγῇ ὁσάκις ἐὰν θελήσωσι, et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint] Et hoc ad Mosis spectat historiam. *Plagae* nomine intellige omnia illa quae praeter aquas in sanguinem versas Moses in Aegypto a Deo obtinuit.

7. *Καὶ ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν, et cum finierint testimonium suum*] Τελέσωσιν hic, ut τελεσθῇ infra 20: 3, non in sensu completo, sed in incompleto sumendum est, quasi diceret: *Cum iam prope esset tem-*

pus

pus quo Deus ipsorum laboribus finem volebat imponere.

Τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου, fera quae adscendit ex abysso] In Manuscripto, τὸ θηρίον τὸ τέταρτον [*fera quarta*], sed puto scriptum fuisse τὸ τεράςιον [*prodigiosa*], nisi sorte prima fera est draco, altera ex mari, tertia ex terra orta, haec vero quarta. Indicatur hic Barchochebas, quem Satan e carcere suo emissus suscitavit. De hoc significatu vocis ἀβύσσου vide supra 9: 1, 2. Bene autem *ferae* nomine appellatur Barchochebas, φονικὸς καὶ λῃςρικὸς ἀνὴρ [*vir cruentus et latrocinandi avidus*], ut loquitur Eusebius Historiae IV. 6; addens et hoc, μυριάδας ἀθρόως ἀνδρῶν ὁμοῦ καὶ παίδων καὶ γυναικῶν διαφθείρων [*innumerabiliem occidens hominum multitudinem cum coniugibus et liberis*].

Ποιήσει μετ' αὐτῶν πόλεμον, καὶ νικήσει αὐτοὺς, καὶ ἀποκτενεῖ αὐτοὺς, faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos] Res hic praesignificatur quam idem Eusebius in Chronico narrat: *Chochebas dux Iudaicae factionis nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium omnimodis cruciatibus necat.* Iustinus in Apologetico altero: *Καὶ γὰρ ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαικῷ πολέμῳ Βαρχοχέβας ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποςάσεως ἀρχηγέτης χριςιανοὺς μόνους εἰς τιμωρίας δεινὰς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν Χριςὸν καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἀπάγεσθαι* [*Etenim et in bello hoc Iudaico, quod haud ita pridem gestum est, Barchochebas dux Iudaicae factionis solos Christianos, ni Iesum Christum abnegarent eique maledicerent, ad gravissima supplicia iubebat abduci*]. Orosius de Adriano: *Ultusque est Christianos, quos illi* (Iudaei) *Chocheba duce, quod sibi adversus Romanos non assentarentur, excruciabant.* Factionem autem Barchochebae aliquo tempore etiam Hierosolymis sive Aeliae invaluisse, ex Dione cognoscas: ait enim, ἥτε Ἰουδαία πᾶσα κεκίνητο [*universa Iudaea mota est*]. Et credibile est ibi factum initium, ubi erat Templum Iovis Capitolini, bellandi maxima πρόφασις [*causa praetexta*]. Illud ποιήσει μετ' αὐτῶν πόλεμον intellige, non quod illi Christiani vi contra vim usi sint, sed quod tractati sunt plane hostiliter. Sic eadem locutio et infra usurpatur 12: 17, 13: 7. Νικήσει, id est, efficiet quod volet, Deo ad tempus

pus id permittente. Illud καὶ ἀποκτενεῖ αὐτοὺς sumendum συνεκδοχικῶς [*per complexionem*], id est, multos de utroque conventu interficiet.

8. *Καὶ τὰ πτώματα αὐτῶν ἐπὶ τῆς πλατείας τῆς πόλεως τῆς μεγάλης, et corpora eorum in platea urbis magnae*] Est ἐναλλαγὴ [*permutatio*] numeri pro ἐπὶ ταῖς πλατείαις, *in plateis*, ut hic Latinus. Subauditur autem ἔσονται [*erunt*].

Ἥτις καλεῖται πνευματικῶς, quae vocatur spiritualiter] Id est, *Κατὰ τὸ μυστήριον* [*secundum mysterium*], *per similitudinem quandam*. Sic οἶκος πνευματικὸς [*domus spiritualis*] 1 Petr. 2: 5, et θυσίαι πνευματικαὶ [*hostiae spirituales*] habes ibidem.

Σόδομα] Saepe Prophetae Iudaeam *Sodomis* comparant in peccatis et in poena, Deut. 32: 32, Esai. 1: 10, 3: 9, Ier. 23: 14, Lam. 4: 6. Adde 2 Petr. 2: 6, Iud. 7 et ibi dicta.

Καὶ Αἴγυπτος] Nempe quia sicut Aegyptus Iacobi populum vi oppresserat, ita Hierosolyma Christi populum. Praedixerat id Christus ipse Matth. 23: 34. Supra eadem similitudo tacite indicata cum ad plagas Aegypti allusum fuit. Et de moribus Aegyptiis multum retinuisse Hebraeos queritur etiam Ezechiel 23: 19.

Ὅπου καὶ ὁ Κύριος αὐτῶν ἐσταυρώθη, ubi et Dominus eorum crucifixus est] *Αὐτῶν*, nempe τῶν μαρτύρων [*testium*]. Christus *Hierosolymis crucifixus* dicitur quia continentia loca urbibus accensentur. Vide Luc. 13: 33. Sic in Hebraeo Ios. 5: 13 *Iosue Ierichunte fuisse* dicitur, cum esset in locis ei urbi proximis. Nil mirum discipulis evenire quod Magistro evenerat, Ioh. 15: 20.

9. *Καὶ βλέπουσιν ἐκ τῶν λαῶν καὶ φυλῶν καὶ ἐθνῶν καὶ γλωσσῶν, et videbunt de populis et tribubus et gentibus et linguis*] Subauditur τινὲς [*aliqui*], ut Matth. 23: 34, Luc. 11: 49, 21: 16, Ioh. 16: 17. Multi erant Aeliae ex omnibus linguis et Gentibus, cum illa factio Barchochebae ad tempus non longum praevaluit. *Ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῶν καὶ λαῶν* [*Ex omnibus gentibus et tribubus et populis*] habes et supra 7: 9.

Τὰ πτώματα αὐτῶν ἡμέρας τρεῖς καὶ ἥμισυ, corpora eorum per tres dies et dimidium] Nempe quamdiu in Aelia

fac-

factio Barchochebae praevaluit. Allusio est autem non obscura ad locum Os. 6: 2.

Καὶ τὰ πτώματα αὐτῶν οὐκ ἀφήσουσι τεθῆναι εἰς τὰ μνήματα, et corpora eorum non sinent poni in monumentis] Solent qui crudeles sunt etiam sepultura arcere eorum quae oderunt corpora, ut Agamemnon in Aiace, et Creon Thebanus in Antigone apud Sophoclem: quod esse *immanitatis Scythicae* dixit Seneca. Videat si cui vacat quae de ea re attulimus libro II de Iure Belli ac Pacis 19. 1, 3. Adde Ps. 79: 3, Ezech. 18: 23, ubi similiter *plateae* nominantur.

10. *Οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, habitantes in terra*] In Iudaea, tum Iudaei, tum alienigenae qui ad Christum non erant conversi.

Χαίρουσιν ἐπ' αὐτοῖς καὶ εὐφρανθήσονται, gaudent de illis et laetabuntur] Praesens pro futuro. Sed alii libri habent *χαροῦσιν* [*gaudebunt*]. *Χαίρειν* ad animum refertur, *εὐφραίνεσθαι* ad signa animi, qualia sunt epulae.

Καὶ δῶρα πέμψουσιν ἀλλήλοις, et munera mittent sibi invicem] Ut in publica laetitia fieri mos erat, Esth. 9: 19, 22.

Ὅτι οἱ δύο προφῆται, quoniam duo prophetae] Duo candelabra, duae Ecclesiae, quae erant Aeliae.

Ἐβασάνισαν τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, cruciaverunt eos, qui habitabant super terram] Molesti fuerant et Iudaeis, quibus malos mores, de quibus dictum supra, 9: 20, 21, Luc. 15: 23, 16: 19, et alienigenis, quibus praeter malos mores etiam idololatriam, tum docendo tum aliter vivendo exprobrabant.

11. *Καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας καὶ ἥμισυ, et post dies tres et dimidium*] Factione illa per milites Romanos undique concurrentes ex Urbe eiecta.

Πνεῦμα ζωῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἔστησαν ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτῶν, Spiritus vitae a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos] Hic rursus *καὶ ἔστησαν* more Hebraeo ponitur pro *εἰς τὸ στῆναι* [*ut starent*]. *Ἐπ' αὐτοὺς* nempe *τοὺς μάρτυρας* [*testes*], illos duos coetus, qui Romana re revalescente statim ex illis malis revixerunt, et priorem statum recuperarunt; et merito, quia inimici fuerant rebus novis. Sicut *vitam* vocant Hebraei

res bonas, ita *spiritum* causam rerum bonarum, Lam. 4: 20. *Stare super pedes* est a metu liberari Ezech. 2: 1, 2.

Καὶ φόβος μέγας ἐπέπεσεν ἐπὶ τοὺς θεωροῦντας αὐτοὺς, et timor magnus cecidit super hos qui viderunt eos] Qui eos ex praedicto videbant tam brevi restitutos, idque per idololatras. Verba sumpta ex Dan. 10: 7.

12. *Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λεγούσης αὐτοῖς, et audivi vocem magnam de coelo dicentem eis*] Testibus illis, id est, Ecclesiis duabus.

Ἀνάβητε ὧδε, adscendite huc] Sicut Iohanni dictum fuerat supra 4: 1. Id autem eo pertinet, ut nova Dei arcana intelligant, velut in secretarium admissi.

Καὶ ἀνέβησαν εἰς τὸν οὐρανὸν ἐν τῇ νεφέλῃ, et adscenderunt in coelum nube] *Nubes* hic quoque Dei efficaciam significat, ut supra 10: 1.

Καὶ ἐθεώρησαν αὐτοὺς οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν, et viderunt illos inimici eorum] *Visus* apud Hebraeos omnem sensum sive internum sive externum significat. Hic vero sumi videtur pro *mirari*, ut in Graeco Ps. 66: 18, 68: 25. Ante non crediderant Christianorum praedictis: nunc ea impleta videntes, eiecta ex urbe Aelia factione Barchochebae, omnia quae dicebant tanquam Divinitus revelata admirabantur.

13. *Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐγένετο σεισμὸς μέγας, et illa die factus erat terrae motus magnus*] *Terrae motus* rerum mutationem significat. *Ἐγένετο* hic est plusquamperfectum: ostendit enim quomodo Ecclesiae statum suum receperint, nempe Romanis praepollentibus.

Καὶ τὸ δέκατον τῆς πόλεως ἔπεσε] *Non minus parte decima interiit Aeliae*, tum ex factione Barchochebae, tum ex iis qui eam factionem improvide erant secuti.

Καὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῷ σεισμῷ ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτὰ, et occisa sunt in terrae motu nomina hominum septem millia] Multum hoc in nova colonia. *Ὀνόματα ἀνθρώπων* est omnis sexus, qui modo *homines* nominantur. Vide supra 3: 4.

Καὶ οἱ λοιποὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, et reliqui in timorem sunt missi] Nempe qui erant Aeliae, non ultra ausi sunt se Romanis opponere.

Καὶ

Καὶ ἔδωκαν δόξαν τῷ Θεῷ τοῦ οὐρανοῦ, et dederunt gloriam Deo coelesti] Multi his rebus conspectis ad Christum conversi.

14. *Ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν, Vae secundum abiit*] Diximus, inquit, supra de strage quae facta est expugnatis Hierosolymis, supra 10: 2, 3, 4, ubi *undecies centena millia periisse, nonaginta millia captiva belli iure facta* ait Iosephus Belli Iudaici VI. 45.

Ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη ἰδοὺ ἔρχεται ταχὺ, et ecce Vae tertium veniet cito] Strages alia non minor, postquam factio Barchochebae ab Aelia iuste eiecta se Bethoram et in arces vicosque supra nongentos receperat. Dio *interfecta* ibi ait *millia quingenta et octoginta.* Rabbinus Iohannes in Echa Rabathi *periisse in toto bello* ait *hominum millia octingenta.* At Salmanticensis *duplum eius numeri, qui Aegypto exierat:* quod non minus esse potest quam duodecies centena hominum millia. Annumerat nimirum magnam multitudinem eorum qui fame, morbis et incendio periere.

15. *Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐσάλπισε, et septimus Angelus tuba cecinit*] Signum dans Romanis ad explendum Vae illud tertium. Solet Apostolus mala gravia brevibus verbis sed efficacibus praetervehi; bona eloqui liberaliter. Nimirum

Curae leves loquuntur, ingentes stupent.

Sic pictor in mactatione Iphigeniae plorantes fecerat Menelaum et Proceres alios; Agamemnonis luctum, ut qui exprimi non posset, obvolverat pallio.

Καὶ ἐγένοντο φωναὶ μεγάλαι ἐν τῷ οὐρανῷ, et factae sunt voces magnae in coelo] Voces Angelorum Deum laudantium quod Christianis libertas data esset vivendi et Deum ad Christum colendi Hierosolymis, eiectis Iudaeis omnibus qui Christiani non essent, et vetitis unquam eo accedere, nisi uno die quotannis, luctus sui testandi causa. Testis Iustinus in Apologetico secundo, Eusebius Historiae IV. 6 et in Chronico, Hilarius ad Ps. 58, Hieronymus ad Soph. 2 et ad Esai. 6, Procopius Gazensis ad Esai. 1: 7. Hoc est quod ait Tertullianus Apologetico: *Dispersi, palabundi, et coeli et soli sui extorres vagantur per orbem sine nomine, sine Deo Rege;*

 qui-

quibus nec advenarum iure patriam saltem vestigio salutare conceditur. Quod Orosius ait, *Christianis tantum civitate permissa*, intellige inter eos qui ortu erant Iudaei. Et quia post id tempus nulli ibi habitare permissi Iudaei qui tempore istius edicti Christianismum professi non essent, ideo Episcopi lecti non, ut ante, ex Circumcisione sed ex Gentibus, quorum primus fuit Marcus, ut docemur et ab Eusebio et a Severo Sulpitio, qui docet *hoc Ecclesiae aliquatenus fuisse necessarium, ut paulatim ritus Iudaici exolescerent.*

Λέγουσαι, Ἐγένετο ἡ βασιλεία τοῦ κόσμου τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, dicentes, Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi eius] Id est, in Iudaea, quae תבל Iudaeis saepe, ἡ γῆ in Apocalypsi hactenus, et οἰκουμένη supra 3: 10. Κύριου hoc loco, ut apud LXX est יהוה. Sic et supra 11: 4. Deus per Christum et Christus Dei nomine regnant semper, sed ibi eximie regnare dicuntur ubi libere praedicatur Euangelium. Est imitatio Ps. 93.

Καὶ βασιλεύσει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et regnabit in sempiternum] Semper erit in Iudaea Christiana Religio. Quod verum fuit primum sub Paganis Imperatoribus, multo magis sub Christianis, sed et sub Sarracenis et Turcis in hunc diem. Non tamen affirmem intellectum Iohanni quot seculis id esset duraturum, sed duraturum dum Mundus staret.

16. *Καὶ οἱ εἴκοσι τέσσαρες πρεσβύτεροι, et viginti quatuor Seniores*] Seniores quae illam quae Claudii temporibus erat Ecclesiam regebant: de quibus actum supra 4: 4, 10, 5: 8, 14.

Οἱ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καθήμενοι ἐπὶ τοὺς θρόνους αὐτῶν, qui coram Deo sedent in soliis suis] Qui vice Dei in Ecclesia Hierosolymitana iudicabant, supra 4: 4. Vide et 2: 26, 3: 21.

Ἔπεσον ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτῶν καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ, ceciderunt in facies et adoraverunt Deum] Ut supra 4: 10, 5: 8, 14, 7: 11. Sensus est, hoc facturos illos Seniores simul atque huius revelationis ad Iudaeos pertinentis certiores essent redditi. Magnum solatium in malis prospicere consiliorum suorum felicem exitum.

17.

17. *Λέγοντες, Εὐχαριστοῦμέν σοι, Κύριε, dicentes, Gratias agimus tibi, Domine*] יהוה, ut supra.

Ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, Deus omnipotens] אלהי הצבאות Os. 12: 5 et alibi. Vide supra 1: 8, 4: 8.

Ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui es, et qui eras, et qui venturus es] Supra 1: 4, 8, 4: 8.

Ὅτι εἴληφας τὴν δύναμίν σου τὴν μεγάλην, quod accepisti virtutem tuam magnam] Quod usus es Romanis tanquam satellitibus tuis. Vide supra 10: 2 et ibi dicta.

Καὶ ἐβασίλευσας, et regnasti] Decreta tua per eos executus es.

18. *Καὶ τὰ ἔθνη ὠργίσθησαν, et iratae sunt Gentes*] Illi non digni qui appellentur Iudaei, cum vivant ἐθνικῶς [*more Gentium*]. Sic supra iidem συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ [*synagoga Satanae*] 2: 9, 3: 9, προσκυνοῦντες τὰ δαιμόνια [*adorantes Daemonia*] 9: 20. Addidit ad Ps. 2 et 99: 1.

Καὶ ὁ καιρὸς τῶν νεκρῶν κριθῆναι] Supple ἦλθε. *Venit tempus quo vindicentur mortui* ob Christi nomen. *Κρίνειν* saepe est *vindicare*. Itaque שפט, quod est κρίνειν vel δικάζειν, per ἐκδικεῖν vertitur Ezech. 7: 3, 27, 16: 37, 23: 24, 45, Abd. 21. Vide et Esai. 59: 9, 11. Sensus est, venisse iam tempus quo impletum abunde quod supra dilatum fuerat, 6: 11; nempe postquam ad primos illos Martyras tot alii accesserant, Barchochebae maxime temporibus, ut ostendimus.

Καὶ δοῦναι τὸν μισθὸν τοῖς δούλοις σου τοῖς προφήταις, et reddatur merces servis tuis Prophetis] *Prophetis* Novi Testamenti, de quibus supra 10: 7. *Merces* patientiae, de qua agitur, est religionis libertas.

Καὶ τοῖς ἁγίοις, et sanctis] Perfecte Christianis.

Καὶ τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά σου, τοῖς μικροῖς καὶ μεγάλοις, et timentibus nomen tuum, parvulis et magnis] Etiam illis qui prima initia habent Christianismi, qui *parvuli* dicuntur Matth. 10: 42, 16: 10, 14, Marc. 9: 42, Luc. 17: 2, 1 Cor. 3: 1, Hebr. 5: 12, 13, 1 Ioh. 2: 12, 14.

Καὶ διαφθεῖραι τοὺς διαφθείροντας τὴν γῆν, et exterminandi eos qui corruperunt terram] Iudaeos illos hominum pessimos, similes hominibus ante Diluvium, nec melius meritos tractari. Est hic πλοκή [*copulatio*]: nam verbum

διαφθεῖρειν bis ponitur sed sensu diverso. *Διαφθεῖραι τὴν γῆν* dicuntur qui alios pravo exemplo corrumpunt. Quomodo

Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί,
[*Colloquia mores prava corrumpunt bonos*],

1 Cor. 15: 33.

19. *Καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης τοῦ Κυρίου ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, et apertum est templum Dei in coelo, et visa est arca federis Domini in templo eius*] Est *ἀνθυποφορὰ* [*subiectio*]. Poterant dicere illi qui Aeliae erant Christiani, Magnum quidem est quod habemus: at non restitutum est Templum illud Salomonis et Arca illa Federis. Ideo ostenditur Iohanni et *Templum* et *Arca*, sed in *coelo*. Per hoc iubentur Christiani qui in Iudaea erant animos semper ad summum Coelum attollere, ubi Deus habitat cum summa maiestate, ubi *Arca federis*, id est, ubi bona Federis Novi reposita servantur. Vide quae supra 4: 1, 2, 3, 4. Etiam Latini coelum *Templum* vocant, et id *natura Templum* esse ait Varro, caetera *similitudine*: adfertque ex Hecuba illud:

O magna templa coelitum
Commixta stellis splendidis!

Adde illud Ennii:

'*Contremuit templum magnum Iovis altitonantis*.

Sic et Lucretius:

— *Altaque coeli*
Densabant procul a terris fulgentia templa.

Καὶ ἐγένοντο ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ σεισμὸς καὶ χάλαζα μεγάλη, et facta sunt fulgura et soni et tonitrua et terrae motus et grando magna] Hoc est initium non tantum capitis 12, sed et novae Prophetiae pertinentis ad Romanos. Et sic olim institutam fuisse divisionem ex Aretha apparet. Sicut supra *grando in terram effusa* 8: 7 obdurationem significavit Iudaeorum, ita hic significatur durities animi in Romanis. *Fulmina* et *tonitruum soni* minas Dei significant, ut supra 4: 5. Inter poenas autem quas Deus comminatur eminet animorum obduratio. Habuimus plenam Christi victoriam de Iudaeis per suos gradus explicatam ad triumphum usque. Habebimus nunc

vic-

victoriam de Romanis, cum plenissima Idololatriae, quae adeo saevierat, destructione. Decepit exscriptores illud *καὶ*, quod apud Graecos priora posterioribus connectit, et apud Hebraeos saepe librum inchoat, ut Num. 1: 1, Ios. 1: 1, 1 Sam. 1 et alibi.

CAPUT XII.

1. *Καὶ σημεῖον μέγα ὤφθη ἐν τῷ οὐρανῷ, et signum magnum apparuit in coelo*] Connectenda haec, ut dixi, cum postremis quae praecesserant. *Σημεῖον* hic est *ostentum* non in re, sed *ἐν ὀπτασίᾳ* [*in visione*], ut mox 3 et 15: 1. *Ἐν τῷ οὐρανῷ*, id est, *in aëre*, medio loco inter coelum et terram. Id significat, in re significata inter se concurrere causas coelestes et terrestres. Sic et infra 15: 1.

Γυνὴ, mulier] Ecclesia cognomine Catholica. Ecclesiae tum universales tum particulares modo virili specie describuntur, ob fortitudinem et imitationem Christi, Eph. 4: 13, quomodo mox habebimus *υἱὸν ἄῤῥενα* [*filium masculum*], et iam ante habuimus *duos Prophetas*; modo feminae, quia Christus velut maritus eas amat, regit, foecundat, protegit, 2 Cor. 11: 2, Eph. 5: 32.

Περιβεβλημένη τὸν ἥλιον, amicta sole] Subaudi *ὡς* [*velut*]; id est, luce Christi, *velut solis, undique perfusa*. Christus soli comparatur Mal. 4: 2, Eph. 5: 14. Et merito, quia in ipso est Divinae lucis plenitudo, Ioh. 1: 4, 5, 8, 9.

Καὶ ἡ σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς, et luna sub pedibus eius] Est quidem luna mutabile sidus; ideoque res caducae et mutabiles recte videntur per *lunam* posse indicari. Sed cum in Sacris litteris *luna* addita *soli* ac *sideribus* lucem aliquam designat, ut Gen. 37: 8, Iob. 25: 5, Eccl. 12: 2, Esai. 13: 10, 30: 26, 40: 19, 20, Ezech. 32: 7, Ioel. 3: 15, Ps. 136: 9, 89: 38, rectius hic erit per *lunam* intelligere lucem Legis ac Prophetarum, luce Christi multo minorem, cui tamen Ecclesia Catholica aliquatenus innititur, velut suppedaneo. Nam eo sensu illud *sub pedibus* interdum usurpatur, ut Ps. 18: 9,

 Exod.

Exod. 24: 10. Scripta Mosis et Prophetarum Christo praebent testimonium, Luc. 24: 46, Ioh. 5: 39, 6: 45.

Καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ϛέφανος ἀϛέρων δώδεκα, et in capite eius corona stellarum duodecim] Nimirum *corona* pro gemmis habens *stellas*. Sunt enim gemmis similes stellae, ut dictum supra 1: 16. *Stellae* hae *κατὰ τὸ μυϛικὸν* [*secundum sensum reconditum*] sunt Apostoli duodecim. Eo enim numero id collegium initio institutum fuit; et is numerus ei redditus electione Matthiae. Itaque saepe vocantur *οἱ δώδεκα* [*duodecim*], etiam cum aliquis abesset ab eo numero, ut Ioh. 20: 24. Paulus ergo et Barnabas, et si qui fuere eis similes, sunt *ὑπεράριθμοι* [*supernumerarii*], sicut interdum Regum imperio quidam collegio adduntur supra numerum legitimum. Doctores *stellarum* numero appellari vidimus supra 1: 20. Apostoli autem in eo genere eminent, ut primae magnitudinis stellae. Hi lucem a sole Christo acceptam Ecclesiae communicant, etiam post mortem suam, per doctrinam partim scriptis, partim traditione conservatam.

2. *Καὶ ἐν γαϛρὶ ἔχουσα ἔκραζεν ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν, et in utero habens clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret*] Parturiebat populum Romanum Christo. Eadem locutio Gal. 4: 19, *Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριϛὸς ἐν ὑμῖν* [*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*]. Id vero sine magno labore ac molestia fieri non poterat.

Tantae molis erat Romanam condere gentem!

Christo scilicet. Pari modo Synagoga sive universitas Iudaeorum *mater* dicitur, singuli Iudaei *filii* Os. 2: 2, 3, Esai. 54: 1; ita Kimchi, qui addit etiam caput 16 Ezechielis. Laudatur Homerus quod parturientis dolores ad vivum expresserit. Sunt et hic verba ad eam rem valde efficacia *ἔκραζεν* et *βασανιζομένη*. Similes eiusdem rei *ὑποτυπώσεις* [*descriptiones*] habes Ioh. 16: 21, Gal. 4: 27. Et propterea *ὠδίνειν* et *ὠδῖνες* de quovis *dolore* dicuntur, ut Matth. 24: 8, Marc. 13: 8, Ezech. 66: 7, Ier. 30: 6, 7. De locutione *ἐν γαϛρὶ ἔχουσα* vide Matth. 1: 23.

3. *Καὶ ὤφθη ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ, et visum est aliud signum in coelo*] Aliud ostentum in eodem aëre.

Καὶ ἰδοὺ δράκων, et ecce draco] *Draconem in templis*

pro-

proprie dici ait Servius; et Lucanus dracones *numina* vocat. Alii *draconem* nihil aliud esse aiunt quam *serpentem veterem:* qui sensus hic sumendus videtur, quia idem qui hic et infra 4, 7, 9, 16, 17, 13: 2, 4, 11, 16: 13, 20: 20 *δράκων*, vocatur infra ὄφις [*serpens*] 14: 15, et quidem ὄφις ἀρχαῖος infra hic 9 et 20: 2, quod Hebraice est נחש הקדמוני [*serpens vetus*]. Et Rabini תנין interpretantur per נחש [*serpentem*]. Intelligi autem hoc nomine apud Hebraeos solet, ut et hic, Spiritus malus sive Daemon. Hic vero non quilibet Daemon, sed is qui Romanae urbi praesidebat. Is autem *Mars* ab ipsis Romanis dicebatur, unde *Roma Martia.*

Μέγας] *Magnus* et validus. Ῥώμη a *robore* dicta.

Πυῤῥὸς, *rufus*] אדום, *sanguinolentum* Numen. Vide supra 6: 4. Hebraei Imperium Romanum אדום vocant.

Ἔχων κεφαλὰς ἑπτὰ, *habens capita septem*] Praesidens Urbi septicolli,

Quae septem una sibi muro circumdedit arces.

Καὶ κέρατα δέκα, *et cornua decem*] Cui urbi Reges facile decem serviunt, quos *instrumenta servitutis* Tacitus vocat, *servientem Latio purpuram* Lucanus. Strabo XVII de Romana ditione: *Ταύτης δὲ τῆς συμπάσης χώρας ἡ μὲν βασιλεύεται, ἡ δ' ἔχουσιν αὐτοί* [*Universae autem huius regionis pars sub regio imperio est, partem ipsi regunt*]. Quod hic quidam Codices pro *δέκα* habent *ἑπτὰ* [*septem*], error est ex notis numeralibus.

Καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ ἑπτὰ διαδήματα, *et in capitibus eius diademata septem*] Septem Caesares de quibus in hac Apocalypsi agetur. Ii incipiunt à Claudio, quia is primus Christianis molestus esse coepit; et eius iussu Iohannes fuerat deportatus. Sic et Ezechiel tempora semper putat a sua deportatione. *Diademata* dixi esse Caesares, quia in talibus figuris solent pro eodem sumi subiecta et attributa, abstracta et concreta.

4. *Καὶ ἡ οὐρὰ αὐτοῦ σύρει τὸ τρίτον τῶν ἀςέρων τοῦ οὐρανοῦ*, *et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum coeli*] Vis serpentum in capite esse solet, ut diximus Gen 3: 15. Quod ergo serpens hic *cauda* nocere dicitur, eo intelligendus est astu agere, ut supra 9: 5. *Tertiam partem* non de plebe tantum, sed et de Doctoribus ad

se traxerat Draco per instrumentum suum Simonem Magum, ut diximus 2 Thess. 2: 11, 12, partim scilicet magicis prodigiis, partim doctrina multis abblandiente, cultum Deorum rem esse non illicitam, operibus carnis animum non pollui. Vide Irenaeum et alios. Ideo Cyrillo Simon ex magistri sui nomine dicitur ὁ πρῶτος τῆς κακίας δράκων [*primus malitiae draco*]. Et nota quanto Iudaeis praestent Christiani: de Christianis perit *pars tertia*: de Iudaeis *pars tertia* servatur, Zach. 13: 8.

Καὶ ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν, et deiecit eas in terram] Fecit ut illi deiecti pro coelestibus terrestria curarent.

Καὶ ὁ δράκων ἕστηκεν ἐνώπιον τῆς γυναικὸς τῆς μελλούσης τίκτειν, ἵνα ὅταν τέκῃ, τὸ τέκνον αὐτῆς καταφάγῃ, et draco stetit ante mulierem quae erat paritura, ut cum peperisset, filium eius devoraret] Simone Mago Romam perducto, id egit ut Populum Romanum iam Christo nasci incipientem, malo dogmate perderet. Sic κατεσθίειν habuimus supra 11: 5, et habebimus infra 20: 9, nisi quod istis locis de pernicie corporis, hic de animi pernicie agitur. Est hic explicatio mystica historiarum de Pharaone, Exod. 1: 16, et de Herode Magno, Matth. 2: 16. Et nota bene procedere comparationem. Nam et serpentes esse a quibus infantes devorentur docet Plinius VIII. 14.

5. *Καὶ ἔτεκεν υἱὸν ἄῤῥενα, et peperit filium masculum*] Dispersi ex Iudaea, in quibus Aquila, Act. 18: 2, et Apollos, instrumenta Ecclesiae Catholicae, multos de Populo Romano Christo genuere. Hi dicuntur hic *partus masculinus* ob constantiam, quae magna apparuit in Ecclesia Romana illorum temporum. Sic *Virtutem partum Deo edere* dixit Philo de Caino. In illo ἄῤῥενα allusio est ad locum Esai. 66: 7.

Ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, qui pasturus erat omnes gentes virga ferrea] *Virga ferrea*, gladius: gladius, verbum Dei, ut diximus supra 2: 27. *Pascere* est regere. Ecclesia Romana hoc habet supra Ecclesias alias, quod nulla plures populos subegit verbo Dei, ita ut non minores fuerint eius victoriae per Christi arma quam veteris Romae per arma Martis. Deinde et aliarum Ecclesiarum regimen post Apostolorum mortem ad illam Ecclesiam pertinuit.

Καὶ

Καὶ ἡρπάγη τὸ τέκνον αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πρὸς τὸν θρόνον αὐτοῦ, et raptus est filius eius ad Deum, et ad solium eius] Tam multos Romae Simon seduxit ut Christiana plebs ibi non amplius appareret. Quae hominibus non apparent, ea *apud Deum esse* dicuntur. Vide Ioh. 1: 1. Cum autem additur et *solium eius*, intelligitur Deus in illorum quanquam ad tempus latentium animis regnasse. Alluditur ad historiam de Ioaso erepto Athaliae, 2 Reg. 11: 2.

6. *Καὶ ἡ γυνὴ ἔφυγεν εἰς τὴν ἔρημον, et mulier fugit in desertum*] Dictum hoc comparate: nam si cum Roma comparentur oppida minora et provinciae, sunt quasi *desertum*. Pari modo *deserti* vox ponitur apud Esaiam 35: 1, 41: 19. In ea loca se recepit Ecclesia Christiana. Alluditur autem ad veterem historiam populi Israelitici, qui ex Aegypto in desertum se recepit, et ad historiam Davidis, qui post *alas* meminit *deserti* Ps. 55: 7, 8.

Ὅπου ἔχει ἐκεῖ τόπον ἡτοιμασμένον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ubi habet locum paratum a Deo] Ὅπου ἐκεῖ Hebraea locutio, pro qua Graecis sufficeret ὅπου. Deus paraverat illis loca minus frequentia, ubi tuto viverent.

Ἵνα ἐκεῖ ἐκτρέφωσιν αὐτὴν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, ut ibi alant eam dies mille ducentas sexaginta] Alius Hebraismus, activi pluralis persona non expressa, pro singulari passivo. Sensus est, *ut ibi aleretur illa mulier*, id est, Catholica Ecclesia. Vide infra 14, ubi altera fuga significatur. Respicitur historia Eliae 1 Reg. 17: 4. Tempus hic rursum *annorum trium et dimidii.*

7. *Καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ, et factum est bellum in coelo*] *In aëre.* Cur id ita dicatur vide supra 1. *Πόλεμος* nostris Scriptoribus saepe *pugnam* significat, מלחמה.

Ὁ Μιχαὴλ καὶ ἄγγελοι αὐτοῦ, Michael et Angeli eius] Locutio plane similis illi,

Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.

Bellatores enim vocat, ut Papinius, *unius ingens bellum uteri*, abstractum usurpans pro concreto. *Michael*, olim praeses Iudaici populi, nunc vero Christiani sub Rege Christo. Is *cum Angelis suae cohortis* Petro adiutor fuit Romae.

Τοῦ

Τοῦ πολεμῆσαι κατὰ τοῦ δράκοντος, ut pugnarent cum dracone] Id agebatur *ut illi se opponerent draconi* agenti per Simonem. Et hic *πολεμῆσαι* est לחם *pugnare*. Et hoc, ut alia, desumptum ex Iudaeorum traditionibus. Nam Draconis pugna cum bonis Angelis memoratur in Gemara. Ostendit vero Iohannes in illis traditionibus latere aliquid veri, quod Rabini non videbant. Sic et de Mille annis, et de Gog ac Magog.

Καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, et draco pugnabat et angeli eius] Simon et Simoniani multa edidere ostenta, ita ut Simon a Romanis Divinos honores consequeretur, teste Justino, Irenaeo, et aliis.

8. *Καὶ οὐκ ἴσχυσε*] *Nihil potuit* Simon contra efficacissimas Petri preces. Testes Clemens, Arnobius, Eusebius, Philastrius, Augustinus, Palladius et alii. *Ἰσχύειν* hic est *praevalere*, גבר Iob. 36: 9, Ioel. 3: 10. Est praeterea *λιτότης* [*extenuatio*], *non praevalere*, pro *victi sunt*. Similia loquendi genera Prov. 10: 2, 12: 3, 17: 21.

Οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἔτι ἐν τῷ οὐρανῷ, neque locus inventus est eorum amplius in coelo] Cum in aere volaret Simon, per Petri preces deiectus fuit. Locutio haec reperitur Ps. 37: 10, Dan. 2: 35.

9. *Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, et proiectus est draco ille magnus*] Agens in Simone.

Ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος] *Veteranus ille*. Vide supra 3. *Ὁ πονηρευσάμενος τὴν ἀρχὴν ὄφις* [*Qui nequam fuit ab initio serpens*], Iustinus contra Tryphonem.

Ὁ καλούμενος Διάβολος καὶ Σατανᾶς, qui vocatur Diabolus et Satanas] Duo nomina ponit, Graecum et Hebraeum, scribens in usum Hebraeorum et Gentium. Talia, *Ναὶ καὶ Ἀμὴν*, *Ἀββᾶ ὁ πατὴρ*, *Ἀβαδδὼν*, *ὁ καὶ ἀπολλύων*. *Διάβολος* a *calumniando*, *Σατανᾶς* ab *adversando*. Nemo durior *adversarius* quam *qui calumniatur*. Quare et verbum שטן solet per *ἐνδιαβάλλειν* verti, Num. 22: 22, Ps. 38: 21, 71: 13, 109: 4, 20, 29. Et nomen Hebraeum שטן alibi retinent Graeci interpretes, alibi vertunt per *διάβολος*, ut 1 Par. 21: 1, Zach. 3: 1, 2, et in Iobo multis locis. Vides hic misceri inter se nomina signi et rei significatae, ut Gen. 3: 14, 15, Sap. 2: 24, Rom. 16: 20.

Ὁ

Ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, qui seducit universum orbem] Idolorum cultu quem alia vitia comitari solent, Rom. 1: 21—26 etc.

Ἐβλήθη, proiectus est] *Ἀναφορά* [*repetitio*]· repetitur enim vox quae praecesserat. Id frequens est ubi *παρενθήκη* [*interiectio*] intercessit, qualis hic longa Draconis descriptio. Revocatur enim Lectori in memoriam id quod praecesserat.

Εἰς τὴν γῆν, in terram] Ut solent qui in lucta deiiciuntur. Concurrunt hic locutio *ἀλληγορικὴ* [*allegorica*] et *κυριολεξία* [*loquendi proprietas*] in easdem voces: quod saepe evenit in vaticiniis de Christo.

Καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐβλήθησαν, et Angeli eius cum illo proiecti sunt] Nempe in Simonianis, qui victi caput attolere ausi non sunt.

10. *Καὶ ἤκουσα φωνὴν μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, et audivi vocem magnam in coelo*] Acclamationem Angelorum coelestium, qualis supra 5: 11, 11: 15.

Λέγουσαν, Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία, dicentem, Nunc facta est salus] Id est, laus ob conservatam religionem Christianam. Par *μετωνυμία* [*transnominatio*] supra 7: 10.

Καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, et virtus et regnum Dei nostri] Supra 11: 17.

Καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, et potestas Christi eius] Sensus idem qui supra 5: 12. *Ἐξουσία* שלטן *imperium.*

Ὅτι κατεβλήθη ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, quia deiectus est accusator fratrum nostrorum] Signate locutus est. Nam *καταβάλλειν* vox propria luctae: unde *καββαλικώτερος* [*aptior ad deiiciendum*] in dicto Laconis. Idem est *διάβολος* et *κατήγορος* quoties in malam partem hoc sumitur. Itaque Diabolus dicitur קטיגור [*accusator*] in Musar. Nota Christianos ab Angelis *fratres* dici, quia sub communi capite sunt Christo.

Ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, qui accusabat illos coram Deo nostro die ac nocte] Sumptum ex Iobi historia 1: 9—12, 2: 4. Dixerat Daemon Deo: *Non magni facienda est fides Christianorum. Levia tentamenta superant; sub mortis metu succumbent.*

11. *Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν, et ipsi vicerunt eum*] Refutarunt ipsius calumniam.

Διὰ

Διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου, propter sanguinem Agni] Propter exemplum Christi, qui mortem doctrinae suae sanciendae causa non recusaverat.

Καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν] *Et propter sermonem Euangelicum* complectentem et praecepta et promissa coelestia, cui *sermoni ipsi* verbis et factis suis *testimonium reddebant*. Vide supra 1: 2, 9, 6: 9, 11: 7.

Καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου] *Animam suam*, id est, semetipsos, *non dilexerunt*, id est, parvi duxerunt pro Christo, *usque ad mortem*, id est, etiam instante mortis periculo, Act. 20: 24. *Periculum* autem *mortis* hic intellige non ex Caesarum edictis, de quibus postea agi incipiet, sed ex seditione quae illos Christianos a Roma exsulantes saepe incessebat, ut Aquilam et comites eius Corinthi, Act. 18: 16, Rom. 16: 4.

12. *Διὰ τοῦτο εὐφραίνεσθε οἱ οὐρανοί, propterea laetamini, coeli*] Προσωποποιΐα [*personae fictio*] qualis Ps. 148: 1.

Καὶ οἱ ἐν αὐτοῖς σκηνοῦντες, et qui habitatis in iis] Angeli: excitant enim se mutuo.

Οὐαὶ τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ, vae terrae et mari] Id est, imperio Romano et civitati Romanae. Nam sicut in parte priore, quae de Iudaeis erat, *terra* erat Iudaea, *mare* civitas sive populus Hierosolymorum; ita hic *terra* omnia quae sub ditione erant Romana, *mare* vero multitudo quae erat Romae. His Angeli malum vaticinantur, quia, ut iam ὀπτασία [*visio*] sequens explicabit, malum in Christianos cogitatum Deus vertit in Romanos cives et in provincias Romanas, bellis primum Vindicis et Galbae, deinde Othonis, Vitellii, Vespasiani, quae bella immensas strages et Romae et alibi attulere.

Ὅτι κατέβη ὁ διάβολος πρὸς ὑμᾶς, quia descendit Diabolus ad vos] *Κατέβη* pro *καταβήσει*, Prophetico more. Cum Christianis amplius nocere non poterit, in vos iram suam effundet, suscitatis bellis civilibus, Deo ita res dirigente.

Ἔχων θυμὸν μέγαν] *Iram magnam concepit*, quam omnino aliquo evomiturus est.

Εἰδὼς ὅτι ὀλίγον καιρὸν ἔχει, sciens breve modo sibi esse tempus] Praevidens futurum ut non semper imperium

Ro-

Romanum pro nutu verset. Nam et augurium eius rei fuerat in prostratis Aegypti Diis, Exod. 12: 12, Num. 33: 4.

13. *Καὶ ὅτε εἶδεν ὁ δράκων, et postquam vidit draco*] Post absolutas voces Angelorum Iohannes iam reliqua τῆς ὀπτασίας [*visionis*] persequitur.

Ὅτι ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν, quod proiectus esset in terram] Non successisse fallacias Simonis.

Ἐδίωξε τὴν γυναῖκα, ἥτις ἔτεκε τὸν ἄῤῥενα, vexavit mulierem, quae pepererat masculum] Cogitans,

Hac non successit, alia ingrediendum est via.

Itaque post vulpinam sumit leoninam. Suscitat Neronem ut Ecclesiam, quae Romae post Simonem prostratum apparere coeperat, per vim disiiceret. Potius autem *mulierem* hic nominat quam *infantem*, quia ex omnibus locis Christiani Romam concurrebant.

14. *Καὶ ἐδόθησαν τῇ γυναικὶ δύο πτέρυγες τοῦ ἀετοῦ τοῦ μεγάλου, et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae*] *Alae* fugam notant, Ps. 55: 6; eius celeritatem, *aquilinae*, Prov. 23: 5, Esai. 40: 31, Exod. 19: 4, Lam. 4: 19. *Grandiores* autem aquilae etiam celeriores, Ezech. 17: 3, 7.

Ἵνα πέτηται εἰς τὴν ἔρημον, ut volaret in desertum] In loca minus frequentia, ut supra 6.

Εἰς τὸν τόπον αὐτῆς, in locum suum] Id est, in loca quae ei Deus paraverat ut ibi tuta esset, quomodo supra 6.

Ὅπως τρέφεται ἐκεῖ καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis] Ex Dan. 7: 25 et 12: 7, ubi *tempora* esse annos et res ipsa loquitur et loca Dan. 4: 20, 22, quomodo et Homerum loqui notant Scholiastae. Est et hic iterum idem temporis spatium quod supra habuimus aliquoties. Caussam supra attulimus. Refutat Iustinus cum Tryphone disputans Iudaeorum quosdam qui per χρόνον centum annos intelligi volebant.

Ἀπὸ προσώπου τοῦ ὄφεως, a facie serpentis] Construenda haec cum πέτηται, ut caetera παρενθέσεως [*interiectionis*] modo accipiantur. Similis locutio Ps. 3: 1, 67: 1, 68: 1 et alibi.

15. *Καὶ ἔβαλεν ὁ ὄφις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ὀπίσω τῆς γυναικὸς ὕδωρ ὡς ποταμὸν, et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen*] *Flumen* res adver-

versas significat, ut diximus ad Matth. 7: 27; adde Ps. 124: 4, praecipue vero eas quae subito ingruunt, Esai. 8: 7, 59: 19, 25: 4, Ier. 46: 8, Ps. 93: 3, quia eluviones amnium subito eveniunt. Diabolus Ecclesiam Christi ubique etiam extra Romam voluit infestare: quod quomodo fecerit per Domitianum et Traianum, videbimus capite sequente. Draco Romae effudit odium in Christianos; id hoc capite ostenditur: Roma vero, in omnes provincias; quod argumentum est capitis sequentis.

Ἵνα αὐτὴν ποταμοφόρητον ποιήσῃ] *Ut eam vi fluminis abreptam submergeret.* Sic *ἀνεμοφόρητα* dicunt Graeci *quae vento auferuntur.*

16. *Καὶ ἐβοήθησεν ἡ γῆ τῇ γυναικὶ, et adiuvit terra mulierem*] Successit Imperium Romanum in locum Christianorum: in ipsum enim derivata est omnis illa Diaboli saevitia. Simile illud Esai. 43: 3, *Ἐποίησα ἄλλαγμά σου Αἴγυπτον καὶ Αἰθιοπίαν* [*Dedi permutationem pro te Aegyptum et Aethiopiam*] id est, Cum Assyrius vellet in Iudaeam irruere, pro Iudaeis ei obieci Aethiopem suffultum ope Aegypti, ut ad eum locum diximus.

Καὶ ἤνοιξεν ἡ γῆ τὸ ςόμα αὐτῆς, καὶ κατέπιε τὸν ποταμὸν, ὃν ἔβαλεν ὁ δράκων ἐκ τοῦ ςόματος αὐτοῦ, et aperuit terra os, et absorbuit flumen, quod ore emisit draco] Imperii Romani partes ea mala sensere quae Roma Christianis ubique gentium minabatur. Non vacavit Romanis inter se pugnantibus cogitare de Christianis. In Manuscripto, *καὶ κατέπιε τὸ ὕδωρ ὃ ἔβαλεν* [*et absorbuit aquam, quam emisit*]. Bene procedit comparatio: nam *flumina quaedam a terra absorberi* constat.

17. *Καὶ ὠργίσθη ὁ δράκων ἐπὶ τῇ γυναικὶ, et iratus est draco in mulierem*] Hic incipere debuit nova sectio. Venitur enim iam ad tempora Domitiani primum, deinde Traiani, quae duas persecutiones attulere in Christianos, post Neronianam primas, ac generaliores Neroniana, quae intra Romam constiterat. Ex istis autem Domitiani et Traiani persecutionibus et similes debent intelligi, quomodo ex septem Asiae Ecclesiis aliae. Sensus est: Peractis bellis Romanorum civilibus, rediit Diabolus ad pristinas cogitationes contra Christianos.

Καὶ ἀπῆλθε ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τῶν λοιπῶν τοῦ σπέρ-

μα-

ματος αὐτῆς, et abiit facere bellum cum reliquis de semine eius] *Ποιῆσαι πόλεμον* nihil aliud est hic quam *tractare hostiliter* quamvis nullam vim opposituros. Vide supra 11: 7. Vides hic *semen mulieris* quod est Gen. 3: 15, *μυστικῶς* [*sensu mystico*] explicari de membris Ecclesiae Christianae: quo sensu verba eiusdem loci usurpat Paulus Rom. 16: 20. *Adam secundus* est Christus; *Eva secunda*, id est, *mater viventium*, Ecclesia tota; *semen eius*, singuli qui ad Ecclesiam pertinent.

Τῶν τηρούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ, qui custodiunt mandata Dei] Nempe ea quae sunt in Euangelio. Et nota *τηρούντων* construi cum illo *σπέρματος*, quae vox hic sono est singularis, et multitudinem significat, ut *populus, grex, exercitus*. *Ἐντολὰς τηρεῖν* hoc sensu dixit idem hic Iohannes 1 Epist. 2: 3, 4, 3: 22, 5: 3.

Καὶ ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ] *Retinentium professionem de Iesu Servatore.* Eadem locutio supra 6: 9.

18. *Καὶ ἐστάθην ἐπὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης, et steti in arena maris*] In littore Patmi: ibi enim Iohanni *ὀπτασία* [*visio*] contigit de fera, quae iam sequetur: et propterea quae sequuntur ab his divellenda non fuerant: et apud Aretham cohaerent. Olim Prophetis visa in ripis obtigerunt, Ezech. 1: 1, Dan. 8: 2, 10: 4, Iohanni in littore. Maior captura est in mari quam in fluminibus.

CAPUT XIII.

1. *Καὶ εἶδον, et vidi*] Nova *ὀπτασία* [*visio*], non iam, ut dixi, ad Romanos solos, sed ad omnes terras Romani imperii se extendens. *Εἶδον* ראיתי, Ezech. 1: 1, Dan. 8: 24, 10: 5.

Ἐκ τῆς θαλάσσης, e mari] Ex populo Romano: nam *aquae* populus, *mare* populus ingens. Sic et Dan. 8: 3, Ezech. 26: 3.

Θηρίον] *Feram.* Lactantius *belluam* dixit V. 11. *Nemo tantae huius belluae immanitatem potest pro meritis describere, quae uno loco recubans per totum orbem dentibus ferreis saevit, et non tantum artus hominum dissipat, sed et ossa ipsa comminuit et in cineres furit.*

Apud Danielem Iacchiades dicit ferarum nomine designari Regna idololatrica, quia scilicet intellectum earum rerum, quae maxime cognitu sunt necessariae, non habent. Hic vero ipsa potius idololatria sive falsa religio significatur, sicut solent in figuris Propheticis concreta et abstracta inter se permisceri.

Ἀναβαῖνον] Ortum habens. *Adscendere* oriri Hebraeis, Esai. 55: 13, Marc. 4: 7. Sic Dan. 7: 3 de feris סלקן ἀνέβαινον. Fuerat idololatria Romae semper, sed velut nova surrexerat, additis ad Deos Caesaribus defunctis. Claudianus:

Et si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa Deos.

Ἔχον κέρατα δέκα, *habentem cornua decem*] Plurimos habens Reges exemplum illud sequentes. Et quid mirum, quando et Iudaei Reges in Caesarum gratiam ἐξέβαινον τῶν πατρίων ἐθῶν [*a Maiorum institutis desciscebant*], ut Iosephus loquitur, institutis in ipsa Iudaea agonibus athleticis, theatris, amphitheatris, ludis gymnicis, musicis, thymelicis, extra vero Iudaicum solum etiam templis in honorem Caesarum structis? His iam adde Reges Arabum, Ituraeae, Comagenorum, Ponti Polemoniaci, Armeniae, Thraciae, Galatiae, Adiabenae, Suevorum, Alpium. Non eadem per omnia res est quae hic et quae infra 17 notatur. Hic decem Reges significantur Romana sacra sectantes; illic decem Reges multo posterius exorti, quibus Deus usurus sit ad dilacerandum imperium Romanum.

Καὶ κεφαλὰς ἑπτὰ, *et capita septem*] Id est, *septem montes*: ut intelligamus designari hic idololatriam, non Phrygiam, non Aegyptiam, non Chaldaicam, sed proprie Romanam, Romanis legibus receptam. Praeterea *septem capita*, ut infra dicimus, et aliud significant, Principes nempe septem, quorum iam non nomina sed res in praecedentibus praesignificatas habuimus. Ii sunt Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus et Titus. A Claudio incipi debuit, quia is primus exsilia decrevit in Doctores Christianismi, quod Tiberius non fecerat.

Καὶ ἐπὶ τῶν κεράτων αὐτοῦ δέκα διαδήματα, *et super cornua eius decem diademata*] *Diademata* significant ius

ple-

plenum in subditos, quale habebant Reges illi, quanquam in fide erant et reverentia Romani imperii. Itaque Augustus dixit Herodi Magno, posse eum de filio suo constituere et ut patrem et ut Regem; et Antonius, iniquum esse Herodem vocari ad rationes reddendas de iis quae ut Rex fecerat. Ita enim nec Regem fore. Diadema, insigne Regium, 1 Macc. 1: 9, 11: 13, 13: 32. Διάδημα צניף Esai. 62: 3.

Καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ, et super capita eius] Super montes, id est, super ipsam urbem, quae per montes septem non ambigue designatur. Vide Festum in voce *Septimontium*. Horatius:

Di, quibus septem placuere colles.

Propertius de Roma:

Septem urbs alta iugis, etc.

Vide et supra 12: 3 et 17: 7, 9.

Ὀνόματα βλασφημίας, nomina blasphemiae] Multi libri ὄνομα βλασφημίας id vero est, *Urbs aeterna*. Ita Hieronymus explicat undecima quaestione ad Algasiam. Prosper: *Quis non intelligat quam dicit Apocalypsis ferentem poculum plenum execrationibus immunditiae ac fornicationis terrae? Aeterna cum dicitur quae temporalis est, nomen est blasphemiae.* Caesar dicebat decem legiones habere populum Romanum quae etiam coelum diruere possent.

2. *Καὶ τὸ θηρίον, ὃ εἶδον, ἦν ὅμοιον παρδάλει, καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὡς ἄρκτου, καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ ὡς στόμα λέοντος, et fera quam vidi, similis erat pardali, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leonis*] Sicut ante Apocalypsis quatuor animalium formas in Vetere Testamento in unum compositas distinxit, ita nunc contra tres distinctas apud Danielem 7. ferarum formas in unum contrahit. *Pardalis* varia, Ier. 13: 23. Videntur enim Interpretes Graeci παρδάλεως nomine idem animal intelligere quod Latini *pantheram* vocant, aut etiam *variam*, ut Plinius tradidit. Talis Claudius, nunc mitis, nunc saevus. *Ursus* pede obvia proterit. Ovidius:

Armatisque unguibus ursos.

At *Λέουσι χάσμ᾽ ὀδόντων*

[*Leonibus hiatum dentium*]

datum sit Anacreon. Id os ferae est Domitianus ipse, infra 5. Ideo ipsi tanquam potiori parti datur nomen θηρίου infra 17: 11. Domitiani enim persecutio, utpote gravissima, repeti debuit, ut illa Antiochi apud Danielem; eoque magis quod eventus Domitiani idololatriae eventum praefigurabat, ut ibi dicemus. Ostendunt ergo hi pedes et hoc os idololatriae saepe comitem fore saevitiam, nonnunquam etiam *leonibus* et *ursis* usuram in Christianos, ut notum ex Ignatii martyrio, et dicto illo apud Tertullianum, *Christianos ad leonem*.

Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ δράκων τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ, et dedit illi Serpens virtutem suam et solium suum et potestatem suam] Sicut Serpens magnam vim ad nocendum habet, ita et Diabolus. Accedit Dei permissus eum saepe non impedientis: id ἐξουσία dicitur hic, ut et Luc. 22: 53. Ex utroque sequitur magnum quoddam Regnum in animos hominum, quod θρόνου nomine significatur. Haec Daemon Romano imperio praesidens idololatriae Romanae quasi vice sua exercenda tribuit, affectus suos et efficaciam superstitioni exspirans.

3. *Καὶ εἶδον μίαν ἐκ τῶν κεφαλῶν αὐτοῦ ὡσεὶ ἐσφαγμένην εἰς θάνατον, et vidi unum ex eius capitibus quasi occisum in mortem*] Id Veterum quidam ad Neronem traxere. Ego ad lapsum Capitolii, qui evenit Vitellianis et Flavianis Romae inter se pugnantibus. Nam *capitum* nomine etiam montes significari infra docemur. Inter eos autem montes eminet Capitolium et arx et templum praecipuum Romae. Frequens autem Prophetis Templa in montibus sita sic appellare *montium* nomine: unde Templum Hierosolymitanum dicitur *Mons Domini*. Sed et arces in arduo sitas *montes* dici iam supra audivimus 8: 8. Ubi autem tales arces evertuntur, tunc ipsi *montes* Poetica quadam locutione dicuntur *cadere*, ut Ezech. 38: 20, Ier. 51: 25. Sed hic quia montes describuntur sub figura *capitum*, dicitur inflicta monti *plaga quasi letalis*, id est, quae letalis videbatur. Crediderant multae gentes collapso Capitolio finem imminere rebus Romanis, ut ex Tacito discimus Historiarum IV, quia fatum Urbis illo Templo omnium augustissimo contineri credebatur, ut

vi-

videre est apud Livium libro V. Inde Virgilius Aeneidos nono:

Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Incolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Et Horatius:

— Dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Καὶ ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἐθεραπεύθη, et plaga mortis eius curata est] Vespasianus, quod minime futurum putabatur, et Urbem et Imperium et Capitolium restituit: unde nummis eius additum, *Roma resurgens*. Quanta cum idololatriae pompa restitutum sit Capitolium legi potest apud Tacitum Historiarum IV.

Καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου, et admirata est universa terra post feram] Homines terrarum omnium, qui male existimare coeperunt de Diis Romanis, Capitolio tam magnificere restituto mutavere sententiam, rursumque in idololatria Romana facti sunt obstinatiores, tam inopinato eventu velut attoniti. Et est brevis locutio ἐθαύμασεν ὀπίσω τοῦ θηρίου pro ἐθαύμασεν πορευομένη ὀπίσω τοῦ θηρίου [*admirata est incedens post feram*]; quae locutio plena exstat Luc. 21: 8, 2 Petr. 2: 10. Pari modo Act. 7: 9, ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον [*vendiderunt in Aegyptum*] pro ἀπέδοντο κομισόμενον εἰς Αἴγυπτον [*vendiderunt abducendum in Aegyptum*].

4. *Καὶ προσεκύνησαν τῷ δράκοντι τῷ δεδωκότι τὴν ἐξουσίαν τῷ θηρίῳ, et adoraverunt Serpentem qui dedit potestatem ferae*] Id est, Servierunt Diabolo. Est enim μετωνυμία [*transnominatio*], quia qui alicui serviunt coram eo prosterni solent. Eadem locutio Gen. 27: 29, 49: 8; Esai. 45: 14. Ideo προσκυνεῖν expresse explicatur per *subiici*, Gen. 37: 7, 8. Vere autem Diabolo serviunt, qui colunt idola: ipsius enim imperium etiam nescientes promovent, 1 Cor. 10: 20. In Manuscripto, ὅτι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν [*quoniam dedit potestatem*].

Καὶ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ, et adoraverunt feram] Id est, idololatriae Romanae inservierunt: secutati sunt ritus Romanos.

Λέγοντες, τίς ὅμοιος τῷ θηρίῳ, dicentes quis similis ferae] Quae religio par Romanae?

Τίς δύναται πολεμῆσαι μετ' αὐτοῦ, quis poterit pugnare cum ea] Quis impune ei posset obsistere? Quasi dicerent, Stulta sunt quae moliuntur Christiani. Desumpta autem haec ex verbis Rabsacis 2 Reg. 18: 35. Similia verba Dan. 8: 4, 7. In Manuscripto est, *καὶ τίς* [*et quis*], quomodo legit et Latinus.

5. *Καὶ ἐδόθη αὐτῷ στόμα λαλοῦν μεγάλα, et datum est ei os loquens magna*] Hoc *os* est ipse Domitianus; unde infra 17 dicitur *τὸ θηρίον* [*fera*], tanquam pars eius praecipua. Os fuit is idololatriae et loquendo et comminando dentibus. Sumpta verba huius loci ex Dan. 7: 8, 11, ubi de Antiocho.

Καὶ βλασφημίαν, et blasphemiam] Quia semet ipse primus *Dominum* ac *Deum* vocari voluit, ut Suetonius et Martialis non docent. Ante is honos non habitus nisi mortuis. Solet vox *βλασφημίας* eximie usurpari de commentis idololatriae novis: 2 Macc. 8: 4. Respondet Hebraeo [illegible] Ps. 69: 9. Item [illegible] Ezech. 35: 12. In Manuscripto *καὶ βλάσφημα*, non male.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ποιῆσαι μῆνας τεσσαράκοντα δύο, et data est ei potestas facere menses quadraginta duos] Sic et Manuscriptus sine voce *πόλεμον* [*bellum*], quae mox sequetur. *Ποιῆσαι* addita temporis nota est *in actu perseverare*, ut Iac. 4: 13, ubi de hac locutione diximus. *Ποιῆσαι* nempe contra Christianos. Incepit enim Domitianus persecutionem adversus Christianos anno imperii sui decimo et tertio. Ipse autem interfectus est anno sui Principatus sexto et decimo. Ecce ipsi *anni tres cum dimidio*, sive *menses* XLII, qui hic praesignificantur. Sic Antiochi persecutionem Iosephus alibi descripsit *mensibus* XLII, alibi *tribus annis et dimidio*. De hac Domitianea persecutione vide Augustinum de Civitate Dei XVIII, 52, Orosium VII, 10.

6. *Καὶ ἤνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ εἰς βλασφημίαν πρὸς τὸν Θεὸν, et aperuit os in contumeliam versus Deum*] Idololatria per Domitianum contumeliose Deum tractavit, dicens inter alia cum fulgurarет, *Feriat quem volet*. Manuscriptus, *καὶ ἤνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ εἰς βλασφημίας*, non male, ut subintelligatur *τὸ θηρίον* [*fera*]. Similis locutio Matth. 13: 35. Nec aliter hic legit Latinus.

Blas-

Βλασφημῆσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ, contumeliosa loqui in nomen eius] Dan. 7: 25: *Λόγους πρὸς τὸν Ὕψιστον λαλήσει* [*Sermones contra Excelsum loquetur*].

Καὶ τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, et in tabernaculum eius] משכנו, Ecclesiam. Sic Hierosolymitas veteres Deus vocat אהלי בה [*tentorium meum ibi*], Ezech. 23. Sancti etiam *Templum Dei* dicuntur; sed hic potius *Tabernaculum*, propter incertas sedes, sicut olim in deserto.

Καὶ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ σκηνοῦντας, et in eos qui in coelo habitant] Singulos Christianos, quorum πολίτευμα ἐν οὐρανῷ [*conversatio in coelis*] Phil. 3: 20. Vide quae supra 4: 3, 4. Sic Hebraei a Daniele vocantur צבא השמים [*fortitudo coeli*] 8: 10, ut ibi exponit Aben Esdra. Vocabant idololatrae Christianos ἀθέους [*impios*] et causas omnium in imperio malorum.

7. *Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τῶν ἁγίων, et datum est illi bellum facere cum sanctis*] Ἐδόθη Dei permissum significat, ut supra 6: 4, 8, 7: 2, 9: 3, 5. *Ποιῆσαι πόλεμον* est hic *hostiliter tractare* quamvis non resistentes, ut supra 11: 7, 12: 17. Simile Dan. 11: 33.

Καὶ νικῆσαι αὐτούς, et vincere eos] Id est, morti aut exsilio tradere, ut dicto loco 11: 7. Absunt in Manuscripto haec et huius commatis praecedentia: et satis comprehenduntur in verbis ante positis.

Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ἐπὶ πᾶσαν φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ ἔθνος, et data est illi potestas in omnem tribum, et linguam et gentem] *Αὐτῷ* [*ferae*], nempe τῷ θηρίῳ. Idololatria per Domitianum latius quam ante propagata est, victis Dacis, Cattis, Sarmatis. In Manuscripto, φυλὴν καὶ λαὸν καὶ γλῶσσαν καὶ ἔθνος [*tribum et populum et linguam et gentem*], quomodo legit et Latinus. De hac distributione humani generis vide supra 5: 9, 11: 9, et infra 14: 6.

8. *Καὶ προσκυνήσουσιν αὐτῷ πάντες οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, et adorabunt eam omnes qui inhabitant terram*] Id est, Ἵνα προσκυνήσωσιν, *ut serviant idololatriae omnes qui in Romano sunt imperio*, quod hic γῆ, ut supra 12: 12, sicut οἰκουμένη [*orbis*] Luc. 2: 1.

Ὧν οὐ γέγραπται τὸ ὄνομα ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου τοῦ ἐσφαγμένου, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, quorum non

sunt

sunt scripta nomina in libro vitae Agni qui occisus est, a principio mundi] Supple γεγραμμένῳ [*conscripto*]. Nam haec postrema referenda ad *librum*, non ad *Agnum*, recte vidit Arethas et alii ex loco qui infra 17: 8. Similes traiectiones vocum habes 2 Cor. 2: 7, 12: 2 et alibi. Sicut Athenis et in aliis civitatibus erant libri in quibus civium et natorum et ad aetatem virilem provectorum scribebantur nomina, et eradebantur οἱ ἄτιμοι [*ignominiosi*]. Concipitur enim hic liber ad eum modum ut qui iustus est quoquo tempore ei inscribatur, qui esse desit auferatur. In Constitutionibus Clementis: *Καθὼς αὐτός που παιδεύων ἡμᾶς ὁ Κύριος δείκνυσι, λέγων, Μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑπακούουσιν, ἀλλὰ χαίρετε ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν γέγραπται ἐν τῷ οὐρανῷ· ἐπειδὰν τὸ μὲν αὐτοῦ δυνάμει γίνεται, τὸ δὲ ἡμετέρᾳ εὐνοίᾳ καὶ σπουδῇ, δῆλον ὅτι βοηθουμένοις ὑπ' αὐτοῦ* [*Sicut ipse nos alicubi instituens Dominus ostendit, dicens, Ne gaudete quod Spiritus vobis obediunt, sed gaudete quod nomina vestra scripta sunt in coelo: quia illud ipsius virtute fit, hoc vero nostra bona voluntate ac studio, ab ipso scilicet adiutis*]. Idem Clemens ad Corinthios: *Ἡμεῖς οὖν ἀγωνισώμεθα εὑρεθῆναι ἐν τῷ ἀριθμῷ τῶν ὑπομενόντων αὐτὸν, ὅπως μεταλάβωμεν τῶν ἐπηγγελμένων δωρεῶν. Πῶς δὲ ἔσται τοῦτο, ἀγαπητοί; ἐὰν ἐστηριγμένη ᾖ ἡ διάνοια ἡμῶν διὰ πίστεως πρὸς τὸν Θεὸν, ἐὰν ἐκζητῶμεν τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ, ἐὰν ἐπιτελέσωμεν τὰ ἀνήκοντα τῇ ἀμώμῳ βουλήσει αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήσωμεν τῇ ὁδῷ τῆς ἀληθείας, ἀποῤῥίψαντες ἀφ' ἑαυτῶν πᾶσαν ἀδικίαν καὶ ἀνομίαν, πλεονεξίαν, ἔρεις, κακοηθείας τε καὶ δόλους, ψιθυρισμούς τε καὶ καταλαλιὰς, θεοστυγίαν, ὑπερηφανίαν τε καὶ ἀλαζονείαν, κενοδοξίαν τε καὶ φιλαργυρίαν* [*Nos igitur, ut promissorum donorum participes fiamus, in numero exspectantium eum reperiri serio contendamus. Quomodo autem hoc fiet, dilecti? Si fide in Deum cogitationes nostrae stabilitae fuerint, si grata illi et accepta diligenter quaesiverimus, si quae ad inculpatam eius voluntatem spectant, fecerimus, et viam veritatis secuti fuerimus: abiicientes a nobis omnem iniustitiam, iniquitatem, cupiditatem, contentiones, malitias, fraudes, susurrationes, obtrectationes, odium Dei, superbiam, fastum, vanam gloriam, et avaritiam*]. Chry-

sostomus in secundo Adversus Iudaeos explicans illud Dan. 12: 1, ὁ εὑρεθεὶς γεγραμμένος ἐν τῷ βιβλίῳ [*qui inventus fuerit scriptus in libro*], ait, τουτέστιν, οἱ σωτηρίας ὄντες ἄξιοι [*id est, qui salute digni sunt*]. Vide quae dicta ad Luc. 10: 20 et hic supra 3: 5. *A principio mundi* ita dictum ut ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ Ἀβὲλ τοῦ δικαίου [*a sanguine Abelis iusti*] Matth. 23: 35. *Vita* autem illa unde *liber* ille nomen habet, recte dicitur *vita Agni occisi*, quia Agnus occisus primus omnium ad eam vitam pervenit. Vide supra 1: 5, 17, 2: 8, 5: 9.

9. *Εἴ τις ἔχει οὖς, ἀκουσάτω, si quis habet aures, audiat*] De hac formula audientiam excitantis vide supra 2: 7, 11, 17, 29.

10. *Εἴ τις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει, qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet*] In Manuscripto est, Εἴ τις εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει [*Qui in captivitatem, in captivitatem vadet*]. Quod non improbo, ut in priore membro subaudiatur ἄγει [*duxerit*] ex sequente ὑπάγει. Sensus est: Patienter hoc ferte Christiani; non deerit ultio. Roma quae vos captivos agit, capietur a Wandalis et Gotthis non semel. Poenae civitatum seriores sunt quam hominum singulorum: nam et vita civitatum est longior.

Εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, qui gladio occiderit] Per iniuriam, ut Christianos Domitianus.

Δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι] *Is ipse gladio peribit*, ut Domitianus domesticorum gladio, idque postquam multas eius rei Deus dederat praesignificationes. Vide Annotata nostra ad librum I de Iure Belli ac Pacis 4. 5. Suetonium ac Dionem Domitiano, et Philostratum de Apollonio VIII. 11. Ius erat Radamanthi,

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

[*Quae fecit si quisque ferat, ius fiet et aequum.*]

Ὧδέ ἐστιν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων, hic est patientia et fides sanctorum] Ὧδε, id est, *in hac re:* sicut dicimus *unde discerem*, pro *de quo discerem*. Similis locutio infra 14: 12, 17: 9. Refertur autem hoc ὧδε ad praecedentia. Ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις, id est, ὑπομονὴ διὰ τῆς πίστεως [*patientia per fidem*]. Quia credimus Deum ultorem fore, ideo facile toleramus adversa. Ἅγιοι hic

 sunt

sunt Christiani, ut supra 5: 8, 8: 3, 4, hic supra 7. Similis exhortatio Dan. 12: 12.

11. *Καὶ εἶδον ἄλλο θηρίον, et vidi aliam feram*] Quod hic praedicitur posterius est iam dictis. Qualis forma fuerit huius *θηρίου* non dicitur. Credo fuisse formam viperae, quia inter e terra nata illa eximio iure hoc nomen sibi vindicat. Vide Act. 28: 4, 5. Et Erichtho magicis operans sacris apud Lucanum sic describitur:

Et coma vipereis substringitur horrida sertis.

Ἀναβαῖνον ἐκ τῆς γῆς, adscendentem ex terra] Haec Bestia est Magia, quae a Pythagoristis illo tempore de quo hic agitur, aperte exercita labantem idololatriam erexit, maxime per Apollonium Tyanaeum, quem eius temporis homines Christo ausi sunt opponere, ut ex Hieroclis libro apparet cui respondit Eusebius. Magia autem recte dicitur *ex terra adscendere*, quia Magi *ex terra*, id est, ex antris, loquebantur, Esai. 29: 4, et umbras suscitabant ex terra, 1 Sam. 28: 13. Seneca Oedipode:

Subito dehiscit terra, et immenso sinu
Laxata patuit, ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras.

Haec sunt illa *ἄδυτα, ἄβατα καὶ φοβερὰ* [*inaccessa, invia et horrenda*], de quibus Nazianzenus Oratione secunda in Iulianum.

Καὶ εἶχε κέρατα δύο ὅμοια ἀρνίῳ, et habebat duo cornua similia Agno] Magi duo habebant virtutum simulacra virtutibus Christianis similia, temperantiam in victu, et a Venere abstinentiam. Clemens Alexandrinus Strom. III: *Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς μάγοις οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι* [*Scilicet et Magis curae est, vino, animalium esu et Venere abstinere*]. Idem habet Theodoretus Sermone tertio. Speciatim de Apollonio Tyanaeo id refert Philostratus I. 10. *Cornua Agni* sunt virtutes Christianae. *Ἀρνίῳ* hic pro *τῷ ἀρνίῳ*, ut iam illud *δράκων* pro *ὁ δράκων*. Frequens talis articulorum omissio apud omnes Auctores.

Καὶ ἐλάλει ὡς δράκων] *Loquebatur qualia Draco* per Simonem locutus fuerat, *cuius παρουσία* [*adventus*] *fuit κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ* [*secundum operationem Satanae*], 2 Thess. 2: 9. Idem de Apollonio tradit Origenes

sex-

sexto contra Celsum, Lactantius V. 3, Cedrenus in Compendio.

12. Καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρώτου θηρίου πᾶσαν ποιεῖ, *et potestatem prioris bestiae omnem faciebat*] Nocebit Christianis Magia Dei permissu, sicut ante nocuerat Idololatria vi Caesarum sustentata. De voce ἐξουσίας vide supra 2.

Ἐνώπιον αὐτοῦ, *coram ea*] In honorem Romanae religionis.

Καὶ ποιεῖ τὴν γῆν καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας, ἵνα προσκυνήσωσι τὸ θηρίον τὸ πρῶτον, *et fecit terram et habitantes in ea adorare bestiam primam*] Est locutio qualis supra 3: 9. Naturalis elocutio fuerat, ποιεῖ ἵνα ἡ γῆ, τουτέστιν οἱ κατοικοῦντες ἐν αὐτῇ, προσκυνήσωσι [*fecit ut terra, id est, habitantes in ea, adorarent*]. Hic καὶ illud per τουτέστι expono: est enim ἐξηγητικὸν [*explicativum*] prioris. Et προσκυνεῖν τὸ θηρίον τὸ πρῶτον est *Religioni Romanae inservire*, quomodo προσκυνεῖν sumitur et supra 4. Πρῶτον pro πρότερον [*priorem*] non rarum Graecis. Vide Ioh. 1: 30. Οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς *homines ditionis Romanae*. Faciebant hoc Magi auctoritate et exemplo; ut Apollonius apud Solem, Iovem Dodonaeum, Apollinem Pythium, Amphiaraum, Trophonium, Musas, Aesculapium: quae omnia habes apud Philostratum.

Οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, *cuius curata est plaga mortis*] Rursus Hebraica locutio, in qua abundat αὐτοῦ. Idololatriae grave vulnus inflictum fuerat lapsu Capitolii, adde et libera praedicatione sub Vespasiano et Nerva. Sed vulneri medicamen aliquod attulit Magia Pythagorica. In Manuscripto, ἡ πληγὴ αὐτοῦ.

13. Καὶ ποιεῖ σημεῖα μεγάλα, *et fecit signa magna*] Qualia fecerat Simon Magus: de quo vide quae dicta 2 Thess. 2: 9.

Καὶ πῦρ ἵνα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνῃ ἐπὶ τὴν γῆν, *ut etiam ignem faceret de coelo descendere in terram*] Facere dicuntur Magi quod ad eorum invocationem faciunt Daemones. Sic ignes coelo devocant, ut Apollonius apud Philostratum V. 5. Ita Eliam imitantur, quomodo Iohannes et Mambres Mosem. Et est traiectio, ἵνα post nomen posito, ut Ioh. 13: 29, Rom. 11: 31.

14. *Καὶ πλανᾷ τοὺς λαοὺς τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς διὰ τὰ σημεῖα ἃ ἐδόθη αὐτῷ ποιῆσαι ἐνώπιον τοῦ θηρίου, et seducit habitantes in terra, per signa quae data sunt illi facere coram bestiae*] Ἐνώπιον expone ut supra 12. Talia sunt in Apollonii historia, Locuta arbos, Fugata empusa, Pestilentia sub habitu mendici obambulans oppressa Ephesi, Crus e compede eductum, Ipsius ex iudicii loco inconspicuus abitus, Praedicta quo tempore fiebat Domitiani caedes.

Λέγων τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, εἰκόνα ποιῆσαι τῷ θηρίῳ ὃ εἶχε τὴν πληγὴν τῆς μαχαίρας, καὶ ἔζησε, dicens habitantibus in terra, fecisse se imaginem bestiae quae habet vulnus gladii, et vixit] Potest hoc de umbra Achillis sumi, si λέγων ποιῆσαι interpreteris *dicens se fecisse*. Εἶδος Ἀχιλλέως [*simulacrum Achillis*] vocat Philostratus IV. 1[5], additque post id factum monitos ab Apollonio Thessalos ut Achilli sacra facerent. Sciendum autem multis in locis Romani imperii cultum fuisse Achillis, ut apud Ilium, teste Athenagora; apud angustias Moeotidis, docente Strabone XI in Leuconoto, ut habet Periplus; in sui nominis insula, et alibi, ut habent Philostratus Heroicis, Plinius V. 3, X. 29. Historiam autem hanc de Umbra Achillis per Apollonium locuta veram agnoscit Eusebius contra Hieroclem scribens. Sed et alia huiusmodi facta ab Apollonio memorat Vopiscus his verbis, *Ille mortuis reddidit vitam.* Quod si velis λέγων ποιῆσαι vertere *iubens fieri*, interpretari poteris de Magis Apollonii discipulis, qui Apollonio simulacrum fieri iussere, per quod Daemon oracula edidit. Aperte enim id testatur Scriptor Responsionum ad Orthodoxos. Et pro Deo habitum Apollonium diserte ait Vopiscus: Lactantius vero V. 3, *Simulacrum eius sub Herculis Alexicaci nomine constitutum ab Ephesiis* mansisse ad sua tempora. Tam autem umbrae excitatio quam simulacra ista vocem edentia recte dicuntur facta τῷ θηρίῳ, id est, in usus honoremque Romanae religionis. Et *vulnerata fuerat gladio*, id est, praedicatione Euangelii sub Nerva: sed per Magicas artes vires recuperavit, quod hic est ἔζησε pro ἀνέζησε [*revixit*], simplex pro composito, more Hebraeo. Et est elegans comparatio signi et rei signatae.

Ho-

Homo mortuus aut exanimis imago visa, viveres: sic et Idololatria. Statua placebat Nabuchodonosoro: at Daniel vidit eam nihil esse aliud quam ferarum agmen.

15. *Καὶ ἐδόθη αὐτῷ πνεῦμα δοῦναι τῇ εἰκόνι τοῦ θηρίου, et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiae*]. *Spiritum*, sive vocem *dedit* Magia sive *umbrae* sive *simulacro*: iste autem genitivus τοῦ θηρίου hic est significativus dominii, quia res istae serviebant Idololatriae. Vox dicitur *spiritus*, quia solet indicium esse vitae, quae dicitur רוח.

Καὶ ἵνα λαλήσῃ ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου, et ut loquatur imago bestiae]. Et hoc verum, sive de umbra accipias, sive de statua. Imagines loqui res mira, non tamen incredibilis. Habes id in historiis Romanis et Valerio Maximo, de simulacris Iunonis Monetae, Fortunae Muliebris, Silvani. Et Moses Maimonides parte III cap. 24 Ductoris dubitantium, duos sibi libros lectos ait de imaginibus locutis. Illud ἵνα regitur ab ἐδόθη αὐτῷ, quod praecessit.

Καὶ ποιῇ τοὺς μὴ προσκυνοῦντας τῇ εἰκόνι τοῦ θηρίου ἵνα ἀποκτανθῶσι, et faciat ut quicunque non adoraverint imaginem bestiae occidantur] Ait Philostratus, *a plerisque credi ultra centesimum annum vixisse Apollonium*. Idem ait *Nervae fuisse amicum*. Quare et Traiano fuisse amicum recte colligimus et persecutionem in Christianos excitatam suadente Apollonio et Magis aliis: sicut Iamblichus, pariter et Pythagoricus et Magus, Iuliano auctor fuit deserendi Christianismi. Est autem hic articulus in τῇ εἰκόνι positus pro *genere ipso imaginum*, quomodo articulum saepe poni docet Proclus in Republica Platonis, ac ita dici ὁ ἄνθρωπος [*homo*] pro *humano genere*. Exempla eius locutionis in nostris quoque libris non rara, ut Gen. 8: 8, Exod. 8: 6, 10: 12, Iud. 2: 14, Sir. 43: 21, Matth. 19: 10, Marc. 2: 27, 3: 26, 7: 23, Ioh. 2: 25, 7: 51, Rom. 4: 6, Iac. 1: 7. Vide et Esai. 16: 1 et ibi dicta, et 21: 7, 25: 3 et Ier. 5: 25 et 32: 43, Ezech. 6: 7. *Ut occiderentur* intellige de Episcopis et Presbyteris: nam plebeiis commercia adimebantur, ut iam dicemus. Ex hoc Traiani Edicto supplicio mortis affecti Episcopi, Romanae Ecclesiae Anacletus, Hierosolymitanae Simon Cleopae filius, Antiochenae Ignatius, Ephesinae Onesimus.

16.

φιλοπάτωρ Πτολεμαῖος· διὰ τὸ φύλλα κισσοῦ κατεςίχθαι, ὡς οἱ Γάλλοι [*Gallus, Philopater Ptolemaeus: quod ei, ut Gallis solet, hederae folia impressa erant*]. Hederae ergo folium imprimebatur sodalibus Liberi Patris. Tales et *Dendrophori*, professio gentilitia, ut loquuntur Imperatores L. *Sacerdotales* C. Theodosiano, De Paganis. Erant tales Carthagine, Romae, Comi, Veronae et alibi, ut videre est in Gruterianis Inscriptionibus, paginis XIV, CLXXV, GCLXI, CCCL, CCGCXXXVIII, CCCCXCIV. Alter mos erat inscribendi ipsa Deorum nomina, ut *Ζεὺς*, *Ἄρης*, *Διόνυσος*, aut Syriace בעל, יבעלת, עזז, מרנא. Tertius mos erat ponendi numerum quo obtegeretur nomen Dei mysticum literas habens quae collectae numerum talem facerent. Nominum talium *mysticorum*, id est, nonnisi mystis cognitorum, mentio multis locis apud Servium. Nomen Solis mysticum ad numerum perveniebat octo et sexcentorum, ut nos docet Martianus Capella. Id sic notabatur *XH*. *Ὄνομα θηρίου* est nomen Dei alicuius, cui idololatria serviebat.

18. *Ὧδε ἡ σοφία ἐςίν*] *In hoc videbis Dei sapientiam*, quod sicut is Princeps qui haec imperaturus est Deorum nomina numeris occultavit, ita Christus iam nunc per numeros nomen eius designavit. *Ὧδε* sume, ut supra 10.

Ὁ ἔχων νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου, qui sapit computet numerum bestiae] Qui sapit, notet tempus idololatriae animos et vires resumentis. Ubi id evenerit, apparebit Christi praescientia.

Ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐςὶ, numerus enim hominis est] Id est, tempus illud designatur per nomen Principis, sicut nunc apud Romanos tempora denominari solent, quae olim a Consulibus denotabantur.

Καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ ἐςὶν ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ, et numerus eius sexcenti sexaginta sex] *ΟΥΛΠΙΟC* est nomen Traiani notissimum. Et sic scribitur in inscriptione Graeca quam habet Gruterus pagina LX. Id nomen facit numerum IↃCLXVI, si in fine scribas, non *Σ*, quod valet ducentos, sed *ς*, ut nos nunc semper in fine scribimus, aut C, ut non raro in inscriptionibus. C enim pro senario ponitur in inscriptione facta in honorem Datonis Philonis filii in editione Gruteriana pag. CCCXXVII,

et

et in inscriptionibus aliis multis quas mihi indicavit optimus et eruditissimus iuvenis Isaacus Vossius, viri summi Gerardi Vossii filius. ϛ autem pro eodem numero senario semper ponitur in Canone Paschali Hippolyti et in Manuscripto Ptolomaei. Beda ex antiquis: *Prima est ϛ quae dicitur episemon, et est nota numeri* VI. In Alphabeto veteri post Catalecta Virgilii habes *E.* ϛ. *Z.* Ubicunque senarius ad numerum deficit, is aliter signari non poterat quam per C sive ϛ. Et recte in fine numerorum eadem ponitur nota quam ponere solemus in fine nominum. Habet autem aliquid insigne numerus idem in singulis, denis et centenis. Sic Fabii Maximi votum de sestertium trecentis triginta tribus; denariis totidem apud Plutarchum. Tum vero senarius numerus res huius mundi significat, ut septenarius res saeculi melioris.

CAPUT XIV.

1. *Καὶ εἶδον, et vidi*] Nova visio ad tempora Traiani pertinens.

Καὶ ἰδοὺ, ἀρνίον ἑστηκὸς ἐπὶ τὸ ὄρος Σιὼν, et ecce, Agnus stabat supra montem Sionis] In monte Sionis mystico, id est, coelesti regia. Nam Sion regia fuit Davidis. Vide supra 11: 19. Etiam hic articulus deest, ut supra 13: 11.

Καὶ μετ' αὐτοῦ] *Apud ipsum*, animo nempe, ut supra 3: 4.

Ἑκατὸν τεσσαράκοντα τέσσαρες χιλιάδες, centum quadraginta quatuor millia] Id est, Conversi ex Iudaeis. Hic enim numerus, idem quem supra habuimus 7: 4, colligitur ex duodecim numeris qui ibi explicantur.

Ἔχουσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, γεγραμμένον ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, habentes nomen eius et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis] Opponit hoc notis illis idololatricis de quibus actum supra. Et significat haec figura, illos in mediis malis professos cultum Dei et Christi. Nam quod aperte profitemur, id dicimur *in fronte praeferre*. Sic *verissima fronte* est apud Ciceronem. *Frons animi ianua*, est apud eundem. Aaron in fronte gerebat קדש ליהוה [*Sanctum Domini*] Exod. 39: 30. Christiani omnes in hoc pares Aaroni.

2. *Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, et audivi vocem de coelo tanquam vocem aquarum multarum*] Hic indicantur conversi ex Gentibus, innumerabiles, ut dictum supra 7: 9. Quantus fuerit Christianorum numerus Traiani temporibus ex Plinii Epistolis cognoscere est. Hi quoque ut in *coelo* collocati ab Iohanne audiuntur, quia ibi est ipsorum *πολίτευμα* [*vita*]. Simile habes Ezech. 43: 2.

Καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα ὡς κιθαρῳδῶν κιθαριζόντων ταῖς κιθάραις αὐτῶν, et vox quam audivi erat sicut citharoedorum citharis canentium] Erat quidem magnus ille sonus, sed modulatus *καὶ ἐναρμόνιος* [*et harmoniae musicae modulis inclusus*]. נגן vertitur *κιθαρίζειν* Esai. 23: 16. Citharae instrumenta laudis, supra 5: 8. Cantum in coelo habes et infra 19: 1 et apud Chaldaeum et Graecos dicto loco Ezech. 43: 2.

3. *Καὶ ᾄδουσιν ᾠδὴν καινὴν, et cantabant canticum novum*] Signum gaudii, Esai. 42: 10, Ps. 40: 3. Christiani illi gente Iudaei in exsiliis et persecutionibus *gaudebant quod pati possent ob nomen Christi*, ut olim Apostoli Act. 5: 41.

Ἐνώπιον τοῦ θρόνου, ante solium] Id est, Coram Deo: *μετωνυμία* [*transnominatio*].

Καὶ ἐνώπιον τῶν τεσσάρων, et ante quatuor Animalia] Coram spiritibus illorum Apostolorum aut Apostolicorum virorum de quibus supra 4: 6; ii enim omnes obierant temporibus de quibus hic agitur.

Καὶ τῶν πρεσβυτέρων, et Presbyteros] Coram illis qui Ecclesiae cuique collectae ex Gentibus praeerant.

Καὶ οὐδεὶς ἠδύνατο μαθεῖν τὴν ᾠδὴν, et nemo poterat discere canticum] Nemo hominum intelligere potuit tanti gaudii causam.

Εἰ μὴ αἱ ἑκατὸν τεσσαράκοντα τέσσαρες χιλιάδες, nisi illa centum quadraginta quatuor millia] Conversi ex Iudaeis, de quibus supra, pari donati spiritu quo illi ex Gentibus conversi.

Οἱ ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς, qui redempti sunt ex terra] *Redempti*, id est, a vitiis liberati (ut supra 5: 9), *ex omnibus partibus Romani imperii*, quod *γῆς* nomine in hac parte Apocalypseos denotatur. Est hic *ἀπὸ* eo sensu quo *ἐκ* dicto loco 5: 9.

4.

4. *Οὗτοί εἰσιν οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν, hi sunt qui cum mulieribus non sunt constuprati*] Viri, ubi de idololatria agitur, comparantur feminis; et propterea tribuuntur eis quae sunt feminarum. *Μετὰ* vero hic imitationem significat. *Non polluti sunt illi sicut gentes idololatricae.* *Μολύνεσθαι* hic est *constuprari*, ut Zach. 14: 2 in Graeco. *Constuprari* autem hic significat idolis se subiicere, ut Ier. 3: 6, Ezech. 16 et alibi saepe. Illud *οὗτοι* sumendum tam de Iudaeis quam de aliis ad Christum conversis.

Παρθένοι γάρ εἰσιν, virgines enim sunt] Etiam nomen *παρθένος* femininum est apud Graecos. Sed hic viris aptatur ea quam dixi de causa. Vide et 2 Cor. 11: 2. Philo libro de Legibus Specialibus, *διάνοιαν* [*mentem*] ait *virgini comparari, ubi se custodit ἁγίαν καὶ ἀδιάφθορον ἀπό τε ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ φόβων, ἐπιβούλων παθῶν* [*sanctam atque incorruptam a voluptate, concupiscentia, metu, insidiosis affectibus*]. Idem *παρθένους χεῖρας* [*virgines manus*] dixit libro de Humanitate.

Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ ὅπου ὑπάγῃ, hi sequuntur agnum quocunque ierit] Male in quibusdam Codicibus, *ὅπου γὰρ ἂν ὑπάγῃ* [*quocunque enim ierit*]. Sensus est, *Sequuntur Christum quocunque eos ducit*, vel in crucem. *Ire* pro *ducere* est *μετωνυμία* [*transnominatio*].

Οὗτοι γὰρ ὑπὸ Ἰησοῦ ἠγοράσθησαν, hi enim a Iesu empti sunt] *A vitiis liberati sunt*, ut supra 3.

Ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, ex hominibus] Id est, *ἐκ τῶν ἀνθρώπων*, *exempti sunt caeterorum hominum vitae.*

Ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ, primitiae Deo et Agno] *Ἀπαρχαὶ* illi dicuntur respectu Christianorum qui post ipsos sunt futuri. Vide Rom. 16: 5, 1 Cor. 16: 15.

5. *Καὶ ἐν τῷ στόματι αὐτῶν οὐχ εὑρέθη ψεῦδος, et in ore eorum non est inventum mendacium*] Non vocarunt Deos eos qui Dei non sunt. Mendacium semper adhaeret idololatriae, infra 21: 8, Rom. 1: 25, Esai. 28: 15, Ier. 16: 19, Am. 2: 4, in Hebraeo, Soph. 3: 13. אין בפיהם תרמית [*Menti eius non est dolus*] Ps. 32: 2.

Ἄμωμοι γάρ εἰσι, sine macula enim sunt] Respondent pecudibus illis a quibus aberat מום, id est, *μῶμος* [*macula*], Eph. 1: 4, 5: 27, Col. 1: 22, Iud. 24.

6. *Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον, et vidi alium Angelum*] Alium ab illis quos ante habuimus.

Πετώμενον ἐν μεσουρανήματι, volantem per medium coelum] *In aëre medio* inter terram et coelum: ut significetur res in coelo decreta, in terris peragenda. Vide supra 8: 13 et 12: 1. *Volat* Angelus, quia alati ostenduntur Cherubini et Seraphini.

Ἔχοντα εὐαγγέλιον αἰώνιον, habentem euangelium aeternum] Bonum nuntium iampridem a Deo definitum. Sic χρόνοις αἰωνίοις [*temporibus aeternis*] habes Rom. 16: 25. Sic et Ps. 76: 4 in Graeco, Prov. 22: 28, 23: 10.

Εὐαγγελίζεσθαι τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς, ut euangelium annunciaret sedentibus super terram] Εὐαγγελίζεσθαι sensu activo hic accusativum personae regit, ut Luc. 2: 10 et alibi. At in Manuscripto est εὐαγγελίσαι ἐπὶ τοὺς καθημένους etc., congruenter sequentibus. *Sedentes in terra* hic intellige humilis conditionis homines, quales ferme tunc erant Christiani. Est ea locutio Esai. 47: 1 et Lam. 2: 10. Talibus opus bono nuntio quo recreentur. Εὐαγγελίζεσθαι, id est, εἰς τὸ εὐαγγελίζεσθαι.

Καὶ ἐπὶ πᾶν ἔθνος καὶ φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ λαὸν, et omni genti et tribui et linguae et populo] Illud καὶ primum hic est ἐξηγητικόν [*explicativum*]: partitur enim illos, de quibus dixerat, in *gentes*, *tribus*, *populos*, *linguas*, ut supra 5: 9, 7: 9, 10: 11, 11: 9, 13: 7.

7. *Λέγων ἐν φωνῇ μεγάλῃ, dicens magna voce*] Sic et Manuscriptus. Et construitur λέγων cum εὐαγγελίζεσθαι, quia idem valet ac si dixisset εὐηγγελίσατο λέγων.

Φοβήθητε τὸν Θεὸν, timete Deum] Vos Christiani perstate in vera Religione, quae *timor Dei* Hebraeis.

Καὶ δότε αὐτῷ δόξαν, et date ipsi honorem] Ἔμφασις [*efficax locutio*] in voce αὐτῷ. *Ipsi*, non Diis falsis.

Ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα τῆς κρίσεως αὐτοῦ, quia venit hora iudicii eius] *Iudicii*, nempe in Romanos. Quod iudicium per septem Angelos mox videbimus effundi, sicut per septem Angelos effusum fuerat iudicium Dei in contumaces Iudaeos supra 8—11. Multum solatur oppressos propinqua Dei ultio in opprimentes.

Καὶ προσκυνήσατε τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πηγὰς ὑδάτων, et adorate eum qui fe-

fecit coelum et terram et mare et fontes aquarum] Illud καὶ hic valet *ergo*. Cum certi sitis ultionem imminere, pergite colere verum Deum, qui hac nota a Diis falsis optime discernitur, quod mundi huius sit Opifex. Supra 10: 6, Act. 4: 24, Esai. 42: 5, 44: 24, 45: 18, Zach. 12: 1, Ps. 33: 6.

8. *Καὶ ἄλλος δεύτερος ἄγγελος ἠκολούθησε, λέγων, Ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, et alius Angelus secundus secutus est, dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna*]. Est praeteritum pro futuro, more Prophetico. Et breviter hic praedicitur quod infra plenius 18: 2. Roma Pagana, aut sane a Paganismo non repurgata, vocatur *Babylon*, ut recte explicant Tertullianus Adversus Iudaeos, et III Contra Marcionem, Hieronymus Prologo ad Didymum, fine secundi Adversus Iovinianum, ad Esai. 24 et 47, Epistola ad Algasiam, et altera ad Marcellam, et alii: quia scilicet *perinde erat magna, regno superba, et Sanctorum debellatrix*, ut ait Tertullianus. Adde et alia quae habes apud Orosium II. 2. Sumpta verba ex Esai. 21: 9, Ier. 51: 8. In Manuscripto, καὶ ἄλλος ἄγγελος δεύτερος.

Ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα τὰ ἔθνη, vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes] Manuscriptus ἢ ἐκ τοῦ οἴνου etc., quomodo et Latinus legit. Θυμὸς autem hic *venenum* significat, ut Deut. 32: 24, Iob. 6: 4, 20: 16, Ps. 58: 4. Est ergo *οἶνος θυμοῦ vinum venenatum*, potio letifera. *Πορνεία* hic est idololatria, quam Roma gentibus subditis sociisque propinaverat. Vino comparatur quicquid mentem externat, infra 17: 4. Exemplis facile corrumpuntur homines. Vide 1 Macc. 1: 45.

9. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος τρίτος ἠκολούθησεν αὐτοῖς, et alius tertius Angelus secutus est illos*] Quot res nuntiandae, totidem nuntii. In Manuscripto pro αὐτοῖς est αὐτῷ [*illum*].

Λέγων ἐν φωνῇ μεγάλῃ, dicens voce magna] Ut praecones edicta publicaturi.

Εἴτις προσκυνεῖ τὸ θηρίον, si quis adoraverit bestiam] *Si quis idololatriae se mancipat*, supra 13: 4 et 12. *Προσκυνεῖν* modo dativum regit, modo accusativum.

Καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, et simulacrum eius] *Καὶ* hic pro

vel ponitur, *Aut si quis procumbat ante simulacrum idololatricum.*

Καὶ λαμβάνει χάραγμα ἐπὶ τοῦ μετώπου αὐτοῦ, ἢ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ, et acceperit characterem in fronte aut in manu] Rursum καὶ pro disiunctiva. Et per χάραγμα simul intelligit ea quae sunt paria, *nomen* scilicet aut *numerum*, ut supra 13: 17.

10. *Καὶ αὐτὸς πίεται ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, et hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in poculo irae ipsius*] Deus illis quoque potionem letiferam dabit. *Calix* aut *poculum* dicitur portio cuique a Deo attributa boni aut mali: quo sensu

Δοιοὶ πίθοι ἐν Διὸς οὔδει

[*Dolia duo in Iovis limine*]

apud Homerum. *Poculum irae* sunt res tristes. Vide Ps. 75: 8, Esai. 51: 17, 22, Abac. 2: 16, Ier. 25: 15, 49: 12, 51: 7, infra 18: 6. Inde sumpta locutio quae est Esai. 19: 14. *Κεράννυσθαι* proprie est *miscere*, ut exponit Plutarchus. Per κατάχρησιν [*abusionem*] sumitur etiam pro *infundere*. At hic potest proprie sumi, ut intelligatur merum mistum herbis veneniferis. Non caret efficacia quod dixit *merum*: nam vinum dilutum minus attrahit vim venenatam. In Manuscripto est ἐκ τοῦ ποτηρίου.

Καὶ βασανισθήσεται ἐν πυρὶ καὶ θείῳ ἐνώπιον τῶν ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, et cruciabitur igne et sulphure coram Angelis sanctis et Agno] Sunt quidem verba haec satis apta ad significanda supplicia post resurrectionem, ut videre est Matth. 5: 22, 13: 42, 50, 18: 8, 9, 25: 41. Sed cum infra, ubi verba sunt his similia, 19: 20, non agatur de illo tempore, ut sequentia ostendunt, videtur et hic ea sumenda interpretatio quae ad hoc *poculum* pertineat, ut intelligatur conscientia intus adurens, conscio Christo et Angelis: quod est quoddam velut hospitium gehennae. Sic *Furiarum facibus aduri pectora* dicunt et Poetae.

11. *Καὶ ὁ καπνὸς τοῦ βασανισμοῦ αὐτῶν εἰς αἰῶνας αἰώνων ἀναβαίνει, et fumus tormentorum eorum adscendet in secula seculorum*] Manebit semper memoria cruciatuum

quos

quos pertulere. Erumpant enim impiis saepe verba laniationes animi testantia, ut Tiberio in Epistola quae est apud Tacitum et Suetonium. *Fumus* nota incendii, Esai. 34: 10, ubi dicta vide, et infra 19: 3.

Καὶ οὐκ ἔχουσιν ἀνάπαυσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς οἱ προσκυνοῦντες τὸ θηρίον καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ εἴτις λαμβάνει τὸ χάραγμα τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam et imaginem eius, et si quis acceperit characterem nominis eius] Coguntur

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Olim ignorantiae temporibus, de quibus Act. 14: 16, 17: 30, 31, fiebant ista sine sensu ullo conscientiae. Id nunc fieri non poterat, cum Euangelium tanta haberet veritatis suae testimonia, miracula Christi et Discipulorum eius, vitam sanctissimam, constantiam in perferenda morte. Haec animos quamvis durissimos non poterant non vellicare. Vide supra 11: 10, ubi est *ἐβασάνισαν τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς* [*cruciaverunt eos qui habitant super terram*]. *Non est pax impiis*, Esai. 48: 22, 57: 21.

12. *Ὧδε ὑπομονὴ τῶν ἁγίων ἐςίν· ὧδε οἱ τηροῦντες τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν πίςιν, hic patientia Sanctorum est: hic qui custodiunt mandata Dei et fidem*] In Manuscripto, *Ὧδε ἡ ὑπομονὴ τῶν ἁγίων ἐςὶν, οἱ τηροῦντες*, ut sit *τηροῦντες* pro *τηρούντων*, qualem locutionem non semel habuimus, rectos nimirum pro obliquis, ut apud Homerum reperiri diximus ad Marc. 6: 40. Neque aliter hic legit et accepit Latinus. *In hac re est patientia Sanctorum, qui Dei fidem ac praecepta servant*, id est, ex hac re oritur, per hanc rem sustentatur, quod sciunt idololatras suopte iudicio non absolvi. Sic *ὧδε* habuimus supra 13: 10, 18. Sensus ex Dan. 12: 12.

13. *Καὶ ἤκουσα φωνῆς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης μοι, et audivi vocem de coelo, dicentem mihi*] Vocem audit Divinam, quo res esset certior. Vide Matth. 3: 17, 17: 7, Ioh. 12: 28.

Γράψον] *Scribe* nobilem sententiam.

Μακάριοι οἱ νεκροὶ, beati mortui] Sicut מות [*mors*] Hebraeis dicitur gravis vexatio, ita מתים *νεκροὶ* qui graviter vexantur, quibus vita vitalis non est, Col. 3: 3.

Οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες, qui in Domino moriuntur] Id est, qui Christi causa mortis pericula adeunt. Ita ἀποθνήσκειν sumitur 1 Cor. 15: 31. Ἐν Κυρίῳ *propter Dominum*, Hebraeorum more, qui ב sic usurpant. Vide Rom. 16: 2, 8, 12, Gen. 18: 28 et deinceps, 29: 18, 20, Os. 12: 13. Sic et Eph. 4: 1.

Ἀπάρτι λέγει ναὶ τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν] *Iam nunc pro certo polliceor, ait Dei Spiritus, fore ut a laboribus suis quiescant.* Ἄρτι nunc Matth. 11: 12, 26: 53, Ioh. 2: 10. Ἀπ' ἄρτι *ab hoc tempore, iam nunc*, Ioh. 13: 19. ναὶ est promittentis, ut μάλιστα [*maxime*] in Iure, 2 Cor. 1: 17—20, supra 1: 7. Et ita ἵνα recte sequetur post ναί. Non tantum olim beati erunt in vita altera, sed et *hoc ipso tempore*. Laborant quidem, sed in labore habent quietem, id est, pacem conscientiae, oppositam tormentis impiorum, de quibus actum est supra. Vide Ps. 116: 7.

Τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν, operaque illorum sequuntur illos] In Manuscripto melius τὰ γάρ, quomodo et Latinus legit. Pax illa oritur ex memoria recte factorum. *Facta* per μετωνυμίαν [*transnominationem*] pro *memoria factorum*. Ἀκολουθεῖν saepe accusativum regit sine praepositione: interdum praepositio subnectitur, ut ὀπίσω [*post*] 1 Reg. 19: 20, Esai. 45: 14, Ezech. 29: 16, Matth. 10: 38. Hic μετά. Sic Isocrates in Plataico: Τοῖς μὲν σώμασι μετ' ἐκείνων ἀκολουθεῖν ἠναγκάζοντο [*Corporibus quidem eos sequi coacti sunt*]. Est sententia similis apud Hebraeos: *Iustitia tua ante faciem tuam ibit.* Bis legitur in libro de Vita et Morte Mosis.

14. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδού, et vidi, et ecce*] Ut supra 1.

Νεφέλη λευκή] Per hanc *nubem candidam*, sicut supra 6: 2 per *equum candidum*, significatur Euangelium. *Nubes* non minus quam *equus* celeritatem significat; *candor* doctrinae ipsius puritatem.

Καὶ ἐπὶ τὴν νεφέλην καθήμενος ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου, et super nubem sedentem similem Filio hominis] Id est, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, per reticentiam articuli; cuius exempla iam supra habuimus. Is similis Christo fuit Angelus Christi personam referens, sicut in Veteri Federe Angelus Dei personam referebat. Tales formas habuimus ab initio Apocalypseos.

Ἔχων

Ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ϛέφανον χρυσοῦν, habentem in capite coronam auream] Signum victoriae quam Christus erat consecuturus, convertendo quotidie plurimos de imperio Romano, etiam in mediis persecutionibus. *Semen erat Ecclesiae Martyrum sanguis.* Vide supra 4: 4, ubi Presbyteris tribuitur pars sua in hac Christi victoria.

Καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ δρέπανον ὀξὺ, et in manu falcem acutam] Est quidem hoc ex Ioel. 3: 13, sed sensu alio, quomodo multa ex Prophetis in hac Apocalypsi. *Falx* hoc loco est praedicatio Euangelii, quae homines a terra demetit ut Ecclesiae inserantur.

15. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ναοῦ, et alius Angelus exivit e templo*] *E templo* coelesti, id est, a Deo. Vide supra 11: 19.

Κράζων ἐν φωνῇ μεγάλῃ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῆς νεφέλης, clamans voce magna ad sedentem super nubem] Non ipsi mandata adferens, sed factum eius approbans, et *σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνων* [*ultro properantem incitans*].

Πέμψον τὸ δρέπανόν σου, καὶ θέρισον, mitte falcem tuam et mete] *Metere* hic sumitur ut Matth. 9: 37 et seqq. Luc. 10: 2, Ioh. 4: 35.

Ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα τοῦ θερίσαι, quia venit hora ut metatur] *Ὁ θερισμὸς ἔρχεται* [*Messis venit*] Iohannis dicto loco. *Tempus est instare operi.*

Ὅτι ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς, quoniam solidescit messis terrae] *Χῶραι λευκαὶ πρὸς θερισμὸν* [*Regiones albae ad messem*] eodem Iohannis loco, ubi dicta vide. בשל קָצִיר Ioel. 3: 13, *maturuit messis*, id est, seges metenda: quomodo et hic *θερισμὸς*, ex eo quod proxime futurum erat sumpto nomine; quomodo dicuntur *oves* Ioh. 10: 16, *populus Christi* Act. 18: 10. *Ξηραίνεσθαι* alibi est *exarescere*, ut hic *solidescere*, non amplius fluitare.

16. *Καὶ ἔβαλεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τὴν νεφέλην τὸ δρέπανον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram*] Nimirum per discipulos Pauli, Iohannis aliorumque Apostolorum.

Καὶ ἐθερίσθη ἡ γῆ, et demessa est terra] Plurimi ex imperio Romano Ecclesiae se addidere.

17. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ναοῦ τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ ἔχων καὶ αὐτὸς δρέπανον ὀξὺ, et alius Angelus* ex-

exivit de templo quod est in coelo, habens et ipse falcem acutam] Itidem a Deo venit, sed in rem longe aliam. *Falcem* hic intellige *putatoriam*, sive, ut Varro loquitur, *vineaticam*.

18. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ θυσιαςηρίου, et alius Angelus exivit ab altari*] *Ab altari* holocaustorum: quibus holocaustis impii comparantur, ut diximus supra 8: 5 et ad Marc. 9: 49. In Manuscripto deest ἐξῆλθε.

Ἔχων ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρὸς, habens potestatem supra ignem] Habens ministerium irae Divinae; supra 8: 5, 7, 9: 17, 11: 5.

Καὶ ἐκραύγασε φωνῇ μεγάλῃ τῷ ἔχοντι τὸ δρέπανον τὸ ὀξὺ, et clamavit voce magna ei qui habebat falcem acutam] Vindemiatori. In Manuscripto ἐφώνησε φωνῇ [*vocavit voce*], non praemisso καί. Et bene cohaerent haec cum superioribus, quia abest in eo libro, ut diximus, ἐξῆλθε.

Λέγων, Πέμψον σου τὸ δρέπανον ὀξὺ, καὶ τρύγησον τοὺς βότρυας τῆς ἀμπέλου τῆς γῆς, dicens, Mitte falcem tuam acutam et vindemia botros vineae terrae] Id est, Contrahe in pauca loca ingentem Iudaeorum multitudinem. Iudaei olim dicti *Dei vinea*, Esai. 5, Ier. 12: 10, quae nomen ex antiquo retinet, etiam postquam *labruscas peperit*, Esai. 5: 4, Matth. 21: 33 et seqq., Marc. 12: 1, Luc. 20: 9. Quod hic dicitur, quanquam ad Iudaeos plurimum pertinens, refertur huc in vaticinia de Gentibus, quae hoc Dei iudicium exsecutae sunt, et inde sibi exemplum capere debebant, eo argumento quo Paulus utitur Rom. 11: 21. *Τοὺς βότρυας τῆς γῆς*, Iudaeos qui ubique sunt in imperio Romano.

Ὅτι ἤκμασαν αἱ ςαφυλαὶ αὐτῆς] *Maturuerunt uvae*, id est, contumacia et saevitia Iudaeorum ad summum pervenit.

19. *Καὶ ἔβαλεν ὁ ἄγγελος τὸ δρέπανον αὐτοῦ εἰς τὴν γῆν, et misit Angelus falcem suam in terram*] In Iudaeam, ut supra in parte prima.

Καὶ ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς, et vindemiavit vineam terrae] Iudaeos in unum collegit.

Καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν ληνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν μεγάλην, et misit in lacum irae Dei magnum] *Ληνὸς* hic significat *torcular una cum lacu*, ut Matth. 21: 33. Per

pres-

pressuram autem *uvarum*, ubi *ira Dei* aut nominatur, ut hic, aut ex circumstantiis intelligitur, denotari solet ingens effusio sanguinis: qui sanguis *vino* comparatur, ut vinum *sanguini* Esai. 63: 2, 3, Lam. 1: 15, Ioel. 3: 13.

20. *Καὶ ἐπατήθη ἡ ληνὸς, et calcatus est lacus*]. Μετωνυμία [*transnominatio*]. *Ληνὸν* enim vocat id quod erat ἐν τῷ ληνῷ [*in lacu*], id est, uvas. Sic *calix* pro *vino* ponitur. *Calcare* uvas mos illis gentibus, infra 19: 15, Esai. 16: 10.

Ἔξωθεν τῆς πόλεως, extra civitatem] Non Hierosolymis, quae semper πόλεως nomine intelligi solet ubi de Iudaeis res est. Non accidit hoc in Urbe, quia nulli ibi amplius erant Iudaei.

Καὶ ἐξῆλθεν αἷμα ἐκ τῆς ληνοῦ ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων, et exivit sanguis de lacu usque ad fraenos equorum] Hyperbolica locutio, quae significat ingentem sanguinis copiam. Simile habes Esai. 8: 7. Est autem hic ἀπόδοσις [*redditio*] permixta comparationi. Nam pro *vino* dixit *sanguinem*, quia vinum significabat sanguinem. Simile Matth. 24, ubi dicta vide. Similia habes Am. 9: 11, 12, Abac. 1: 17.

Ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων, per stadia mille sexcenta] Id est, Extra Iudaeae terminos. Iudaeae enim longitudo, teste Hieronymo, qui in illis locis vixit et omnia accurate exploravit, porrigebatur *in milliaria* CLX. Milliare autem continet stadia Graeca decem: unde colligunt Eruditi Iudaeam exiisse in longitudinem *stadiorum* CIϽIϽC. Thalmud Hierosolymitanum et Menahem ad Genesin dant Iudaeae *quater mille stadia in quadro*. Vera res est quae hic praedicitur; nam ingens haec effusio sanguinis Iudaeorum et Gentium facta est Traiano imperante, non in Iudaea, sed in locis Iudaeae vicinis, id est, Syria, Aegypto, Cyrenaica et Cypro. *Quadringenta sexaginta millia periisse* ait Dion libro LXVIII. *Infinita millia Iudaeorum caesa* ait Eusebius. Late rem eandem exsequitur Orosius VII, 12. Haec historia recte huc reiecta est, quia et extra Iudaeam evenit, et multo etiam aliarum gentium stetit sanguine.

CAPUT XV.

1. *Καὶ εἶδον ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ μέγα καὶ θαυμαςὸν, et vidi aliud signum in coelo magnum et mirabile*] Haec quae sequuntur visa Iohanni obtigisse videntur Ephesi, Vespasiano Principe. Et habent eorum quae de Imperio breviter dicta sunt explicationem fusiorem, ut saepe Prophetis evenit, maxime Danieli.

Ἀγγέλους ἑπτὰ, Angelos septem] Contra Romanum imperium, ut contra Iudaeos supra 7: 1. Res Dei maxime insignes heptada amant apud Hebraeos.

Ἔχοντας πληγὰς ἑπτὰ τὰς ἐσχάτας, habentes plagas septem ultimas] Novas poenas post bella illa Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, post lapsum Capitolium, post motus illos Iudaeorum in Syria et Aegypto.

Ὅτι ἐν αὐταῖς ἐτελέσθη ὁ θυμὸς τοῦ Θεοῦ] Merito, inquit, dixi *ultimas, quia desinunt in ultimum irae Divinae effectum* contra idololatras Romanos. Sic generalia praemittuntur specialibus etiam cap. 8.

2. *Καὶ εἶδον ὡς θάλασσαν ὑαλίνην, et vidi tanquam mare vitreum*] Supra 4: 6 *mare vitreum* fuit plebs Christiana e Iudaeis; hic, collecta ex Gentibus, cuius cogitationes Deus introspicit, et ut *vitrum* purissimum, id est, crystallum, puras invenit.

Πυρὶ μεμιγμένην, mixtum igne] Incensam magno Dei amore. Amor igni comparatur Cant. 8: 7.

Καὶ τοὺς νικῶντας ἐκ τοῦ θηρίου καὶ ἐκ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, et eos qui vicerunt a bestia et imagine eius et numero nominis eius] Confessores, qui neque blanditiis neque minis adduci potuerant ut aut Deos Romanos invocarent, aut coram imagine se flecterent, aut signum saltem aliquod idololatriae susciperent. Ἐκ hic recte vertas *ab*, ut

Victor ab Aurorae populis. —

Ἑςῶτας ἐπὶ τὴν θαλάσσαν τὴν ὑαλίνην, stantes super mare vitreum] Sicut montes stant circa mare immobiles.

Ἔχοντας κιθάρας τοῦ Θεοῦ, habentes citharas Dei] Id est, Laudem Deo reddentes. Vide supra 5: 8, 14: 2. *Dei citharae* dicuntur quia Deo sunt sacratae.

3.

3. *Καὶ ᾄδουσι τὴν ᾠδὴν τοῦ Μωυσέως τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ, et cantant cantum Mosis servi Dei*] Nempe eum cantum quem Moses cecinit ad Mare Rubrum, ubi Aegyptiis perditis servatus erat is qui tunc erat Dei populus, Exod. 15. Hoc ideo, quia paria iis quae Aegyptii senserant sensuros Romanos edocti erant. Moses δοῦλος Θεοῦ per eminentiam quandam dicitur Ios. 14: 7, 22: 4, Ps. 105: 26.

Καὶ τὴν ᾠδὴν τοῦ ἀρνίου, et canticum Agni] Id est, Mosis canticum applicatum Christo et rebus Christi.

Λέγοντες, Μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, dicentes, Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens] Sensus ex comm. 6 Exodi dicto loco. *Παντοκράτωρ*, צבאות, ut diximus supra 1: 8, 4: 8, 11: 17.

Δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου, ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν, iustae et verae sunt viae tuae, Rex Gentium] Nemini iniuriam facis, et stas promissis. Sensus ex commate 13 dicto Exodi loco. Verba prope ipsa ex Deut. 32: 4 et Os. 14: 10. Ostendis te Dominum non Iudaeorum tantum, sed et Gentium. *Ἐθνῶν* hic habet Manuscriptus, non *ἁγίων* [*Sanctorum*] aut *αἰώνων* [*seculorum*], ut alii. Sumptus hic Dei titulus ex Ier. 10: 7.

4. *Τίς οὐ μὴ φοβηθῇ σε, Κύριε, quis non timebit te, Domine*] Ex commate 15 dicti loci in Exodo. In Manuscripto, *Τίς οὐ μὴ φοβηθῇ ἐνώπιόν σου, Κύριε, ὅτι τὰ ἔθνη* [*Quis non timebit coram te, Domine, quoniam gentes*], omissis quae in medio.

Καὶ δοξάσῃ τὸ ὄνομά σου, et celebrabit nomen tuum] Ex commate 2 in Exodo.

Ὅτι μόνος ἅγιος εἶ, quia solus sanctus es] Ex commate 2 ibidem.

Ὅτι πάντα τὰ ἔθνη ἥξουσι καὶ προσκυνήσουσιν ἐνώπιόν σου, quoniam omnes gentes venient et adorabunt coram te] Ex commate 16 dicti loci. Impletum tunc cum idololatria exstincta est per omne imperium Romanum. *Venient et adorabunt*, id est, venient ut adorent.

Ὅτι τὰ δικαιώματά σου ἐφανερώθησαν, quoniam iudicia tua patefacta sunt] Ex commate 7 dicti loci. Est autem hic

hic praeteritum pro futuro προφητικῶς [prophetico more].
Δικαιώματά σου, דינך.

5. *Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου ἐν τῷ οὐρανῷ, et posthaec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in coelo*] Adytum coeleste. Respicit autem non Salomonis sed, Mosis tempora: et ναὸς hic idem valet quod דביר, pro quo *templi* vocem posuit Latinus Ps. 28: 2, quia scilicet templi praebebat usum. Per hoc significantur Dei oracula iamiam proditura. Nam responsa Deus reddebat ex illo adyto. *Σκηνὴ μαρτυρίου* est אהל מועד, Exod. 27: 21 et alibi, ita dicta quod Deus ibi Maiestatis suae testimonium exhiberet. Alii vertunt *tentorium conventus*, quia verbum יעד duplicem habet significatum.

6. *Καὶ ἐξῆλθον οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι, οἱ ἔχοντες τὰς ἑπτὰ πληγὰς, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et exierunt septem Angeli, habentes septem plagas, de coelo*] Illud *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ* construendum cum verbo *ἐξῆλθον*. Et per *coelum* intelligitur Adytum illud coeleste, quod Iohannes viderat. Prophetae coelum figurant ad modum sui Templi. Ibi sunt *νοητὰ* [*res intelligendae*], quae in Templo *αἰσθητὰ* [*res sensibiles*], Exod. 25: 40.

Οἳ ἦσαν ἐνδεδυμένοι λίνον καὶ καθαρὸν καὶ λαμπρὸν, vestiti linum purum et splendidum] *Byssum* infra 19: 8. Vide et supra 1: 13, Ezech. 9: 2, Dan. 10: 5. Hic amictus ostendit iudicia, quae illi Angeli allaturi sunt, fore *et pura et splendida*. Pro *λίνον* libri quidam habent *λίθον* [*lapidem*], et sic legit Latinus, per errorem Scribarum, ut puto.

Καὶ περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη ζώνας χρυσᾶς, et praecincti circa pectora zonis aureis] Significantur accingi ad res Regales. Nam aureus baltheus Regum, ut ostendimus supra 1: 13.

7. *Καὶ ἓν ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων, et unum de quatuor Animalibus*] Spiritus Petri, qui haec breviter praedixit 2 Epist. 1: 10—12. Dicuntur Prophetae facere quod praedicunt; Ier. 1: 10. Tale illud:

Tum Phaethontiadas musco circumdat amarae
Corticis.

Ἔδωκε τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις ἑπτὰ φιάλας χρυσᾶς, dedit septem

tem Angelis septem phialas aureas] *Phialas* hic intellige, non suffitorias, sed plenas ignis. *Aureae* sunt, quia immutabilia haec iudicia.

Γεμούσας τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, plenas ira Dei viventis in sempiternum] Id est, igne qui *iram Dei* significabat. Miscentur enim et hic ἀπόδοσις [*redditio*] et comparatio, ut supra 14: 20. Sic *vasa irae* habes apud Ieremiam 50: 25. Titulus qui hic Deo datur repetitus est ex superioribus 4: 9, 10, 5: 14, 10: 6.

8. *Καὶ ἐγεμίσθη ὁ ναὸς καπνοῦ, et impletum est templum fumo*] *Fumus* ignem comitatur, ut supra 14: 11, Esai. 6: 4. Et solet poni ubi de ira Dei agitur, Ps. 18: 9, 78: 38, 89: 47.

Ἐκ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, ob gloriam Dei et potentiam eius] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Sensus enim est *ob potentiam Dei gloriosam*, appariturам scilicet in illis iudiciis.

Καὶ οὐδεὶς ἠδύνατο εἰσελθεῖν εἰς τὸν ναὸν, et nemo poterat intrare in templum] Nulla Deus alia oracula edere voluit praeter ista. Verba sumpta ex Exod. 40: 33. Adde 1 Reg. 8: 10, 2 Par. 5: 14. *Intrare in adytum* est Dei arcana discere Ps. 73: 17.

Ἄχρι τελεσθῶσιν αἱ ἑπτὰ πληγαὶ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων, donec consummarentur septem plagae septem Angelorum] Nam de temporibus post illas plagas nova oracula incipient capite 20 infra.

CAPUT XVI.

1. *Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ ναοῦ, et audivi vocem magnam de templo*] Ex adyto Dei vocem. Vide supra 14: 13.

Λεγούσης τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις, Ὑπάγετε, dicentem septem Angelis, Ite] Sic ὕπαγε supra 10: 8.

Ἐκχέατε τὰς φιάλας τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ εἰς τὴν γῆν, effundite phialas irae Dei in terram] *Phialas* igne plenas, *iram Dei* in idololatras significante. *In terram*, id est, in imperium Romanum, quomodo vocem *terrae* hic animen-

mendam docet rerum series. In Manuscripto, τὰς ἑπτὰ φιάλας [*septem phialas*], quomodo legit et Latinus.

2. *Καὶ ἐξῆλθεν ὁ πρῶτος, καὶ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τὴν γῆν· καὶ ἐγένετο ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν εἰς τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἔχοντας χάραγμα τοῦ θηρίου, et abiit primus et effudit phialam suam in terram: et factum est ulcus saevum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiae*] Varii ignes erant in phialis, varii et effectus. *Ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν*, שחין רע, Deut. 28: 35, Iob. 2: 7. In Manuscripto, *ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους*, non male. Haec plaga et duae sequentes alludunt ad plagas Aegypti, significatu tamen non plane eodem. Nomine שחין aiunt Hebraei significari omnia *mala quae ex calore oriuntur.* Et certe Arabibus سخن est *calefacere.* Significantur ergo hic omnes morbi aestuosi, in quibus praecipua est pestilentia. Ea autem saepissime orbem Romanum invasit inter Traiani et Constantini tempora; ut sub Commodo maior quam ulla ante, ita ut in Urbe morerentur quotidie bis mille homines, plurimi etiam alibi, testibus Dione et Herodiano. Non minor alia sub Gallo et Volusiano, Zosimo referente; rursum sub Gallieno, eodem teste. Fuit et alia post Decium, cuius meminit Eusebius VIII. 17, Trebellius, Gallienus, Orosius VII. 15, Hieronymus in Chronico Olympiade CCLVII, cuius occasione librum de mortalitate scripsit Cyprianus. Alia sub Gallieno, cuius mentio in Martyrologiis, et sub Claudio qui Gallieno successit, memorante Trebellio. Alia sub Diocletiano, apud Eusebium VII. 2.

3. *Καὶ ὁ δεύτερος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τὴν θάλασσαν, et secundus Angelus effudit phialam suam in mare*] *Mare* in hac parte Apocalypseos simpliciter positum est multitudo hominum in Urbe Roma. Vide supra 13: 1.

Καὶ ἐγένετο αἷμα ὡς νεκροῦ, et factus est sanguis tanquam mortui] Ut hominis ad mortem vulnerati. Vide supra 14: 13.

Καὶ πᾶσα ψυχὴ ἡ ζῶσα ἀπέθανεν ἐν τῇ θαλάσσῃ, et omnis anima vivens mortua est in mari] Est ὑπερβολὴ [*superiectio*]. Nam πᾶσα ψυχὴ *valde multos* significat. Magnae strages dicto temporis spatio editae sunt Romae,

ut

sit Commodi temporibus, saevitia Commodi, seditione, incendio; et cum interfectus Pertinax Imperator, et Plautianus Praefectus Praetorio.

4. *Καὶ ὁ τρίτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τοὺς ποταμοὺς καὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων, et tertius Angelus effudit phialam suam in flumina et in fontes aquarum*] In urbes extra Romam et in vicos. Eadem aenigmatica locutio supra 8: 10.

Καὶ ἐγένετο αἷμα, et factus est sanguis] Ingentes strages editae per provincias bello Albini, Nigri, Tetrici, Zenobiae, Carausi, Alacti, et motibus Bacaudarum et Carporum.

5. *Καὶ ἤκουσα τοῦ ἀγγέλου τῶν ὑδάτων λέγοντος, et audivi Angelum aquarum dicentem*] Angelus hic tertius vocatur *Angelus aquarum*, quia in aquas immisit phialam. Sic Angeli quidam dicuntur *ignis*, *aëris*, *pulveris*, apud Rabbinos.

Δίκαιος εἶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, iustus es qui es et qui eras] De hac locutione vide supra 1: 8, 4: 8, 11: 17. Non addit hic ἐσόμενος [*qui eris*], quia hoc tantum vult, Deum tam iuste nunc agere cum Romani imperii hominibus quam olim cum Aegyptiis, Assyriis, Babyloniis, Antiocho.

Ὁ ὅσιος] Sic et supra 15: 4. Pro ὅσιος quidam Codices habent ἅγιος εἶ [*sanctus es*]. Sed rectum est ὅσιος חסיד, *misericors*. Punitio enim ista Romani imperii liberatio erat Christianorum.

Ὅτι ταῦτα ἔκρινας, quia haec iudicasti] *Ταῦτα* nempe τὰ κρίματα sive δικαιώματα, משפטים [*iudicia*].

6. *Ὅτι αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεαν, quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt*] Magistratus et populi provinciales multos occiderunt Christianos, inter quos nonnulli et Propheticis donis clarebant. Infra 18: 20 nominantur *Sancti et Apostoli ac Prophetae*.

Καὶ αἷμα αὐτοῖς ἔδωκας πιεῖν, et sanguinem iis dedisti bibendum] *Καὶ* hic valet *propterea*. Par pari retulisti. *Bibere* dicuntur *sanguinem* qui moerore implentur ob interfectos parentes, liberos, cognatos, affines, amicos, populares. Desumptum ex Abdia 16.

 Ἄξιοί

Ἄξιοί εἰσι] Hoc meruere. Sic ἄξιοι θανάτου [*digni morte*]: Rom. 1: 32. Sic Cyri caput demissum in utrem plenum sanguinis.

7. *Καὶ ἤκουσα ἄλλου ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου, λέγοντος] Audivi alium dicentem*, nempe Angelum qui spiritus Martyrum custodit. Ii enim *sub altari* supra 6: 9.

Ναὶ Κύριε, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, etiam Domine, Deus omnipotens] יהוה אל צבאות. Supra 4: 8, 11: 17.

Ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις σου, vera et iusta iudicia tua] Sensus idem qui supra 15: 3 et Ps. 19: 10:

8. *Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ἥλιον· καὶ ἐδόθη αὐτῷ καυματίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐν πυρί; et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu affligere homines et igni*] Ex hoc aestu solis, sterilitas, et eam sequens fames. Vide Matth. 13; 6, Marc. 6: 6. Fames urit, ideo *ignis* nomine non male appellatur. Fames ingens sub Commodo est apud Herodianum.

9. *Καὶ ἐκαυματίσθησαν οἱ ἄνθρωποι καῦμα μέγα, et adusti sunt homines aestu magno*] Adusta illis sunt viscera prae fame.

Καὶ ἐβλασφήμησαν οἱ ἄνθρωποι τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἔχοντος τὴν ἐξουσίαν ἐπὶ τὰς πληγὰς ταύτας, et calumniati sunt homines nomen Dei habentis potestatem super has plagas] In Manuscripto, ἐβλασφήμησαν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*calumniati sunt coram Deo*]. Sic Hebraeis על־פני [*coram*] interdum est *contra*. Dixerunt ista mala evenire ob Christianos unius Dei cultores. Dicebant, *postquam in mundo Christiana gens coepit, terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum.* Ita Arnobius lib. X. Et speciatim enumerat *pestilentias, siccitates, bella, frugum inopiam*. Cyprianus ad Demetrianum: *Sed enim cum dicas plurimos conqueri quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames saeviant, quodque imbres et pluviae serena longa suspendant, nobis imputari.* Vide et Ambrosium, et Prudentium contra Symmachum, et Augustinum libris quinque primis De Civitate Dei, et Orosium libro VII.

Καὶ οὐ μετενόησαν δοῦναι αὐτῷ δόξαν, neque egerunt poenitentiam, dare illi gloriam] Id est, εἰς τὸ δοῦναι [*ut darent*].

10.

10. *Καὶ ὁ πέμπτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν θρόνον τοῦ θηρίου, et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiae*] Non in singulos, sed in ipsum imperium per quod idololatria sustentabatur.

Καὶ ἐγένετο ἡ βασιλεία αὐτοῦ ἐσκοτωμένη, et factum est regnum eius tenebrosum] Romanum imperium multum amisit splendoris pristini, incursatum, vastatum, partim et insessum a barbaris, Persis, Boramis, Gotthis, Burgundis, Alemannis, Marcomannis, Scythis, Sarmatis, sub Alexandro, Valeriano, Gallieno, Claudio et aliis. Vide Herodianum, et Latinos qui Vitas Caesarum scripsere, et Chronica. Alluditur ad tenebras Aegypti. Pari sensu חשכה et מעוף [*caligo*] habes Esai. 8: 22.

Καὶ ἐμασσῶντο τὰς γλώσσας αὐτῶν ἐκ τοῦ πόνου, et comederunt linguas suas prae dolore] Aristophanes Vespis:

Ὑπὸ ὀργῆς τὴν χελύνην ἐσθίων.

[*Labia prae ira exedit.*]

Ubi Scholiastes: Ἀντὶ τοῦ, τὰ χείλη· οἱ γὰρ ὀργιζόμενοι ἐνδάκνουσι τὰ χείλη [*Χελύνη pro labia, irati enim labia mordent*]. Ita solent qui irascuntur, nec vindicare se possunt.

11. *Καὶ ἐβλασφήμησαν τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ τῶν πόνων αὐτῶν καὶ ἐκ τῶν ἑλκῶν αὐτῶν, et calumniati sunt Deum coeli prae doloribus et vulneribus suis*] Coniungit phialas secundam, tertiam, quartam cum prima. *Ἐκ* significat hic causam moventem, ut מן saepe apud Hebraeos. Christianos, quod unum Deum mundi opificem colerent, vocabant *atheos*.

Καὶ οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν, neque egerunt poenitentiam ab operibus suis] Non destiterunt ab idololatria. Imo et nova sacra addiderunt, Criobolia, Taurobolia.

12. *Καὶ ὁ ἕκτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν μέγαν Εὐφράτην, et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem*] Pergit *αἰνίττεσθαι* [*aenigmatice loqui*]. Nam sicut Romam non *Romam* vocat sed *Babylonem*, ita Tyberim non *Tyberim* sed *Euphratem*.

Καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ, et siccata est aqua eius] id est, Per pontem viam praebuit non minus quam si siccus esset. Alluditur ad historiam Cyri Ier. 51: 32, 36. Vide quae ibi dicta.

Ἵνα ἑτοιμασθῇ ἡ ὁδὸς τῶν βασιλέων ἀπ' ἀνατολῶν ἡλίου, ut praepararetur via regibus ab oriente sole]. Per *orientem* significat Christum, ut supra 7: 2, ubi dicta vide. *Βασιλεῖς* nostro Scriptori sunt non *Imperatores* tantum, sed et *Praesides* et *Duces*, ut diximus supra 6: 15. Intelligitur hic Constantinus cum filiis suis et ducibus. Historia est apud Zosimum et Eusebium. Hi sunt Reges quos olim figuraverant *Magi* illi *ἀπ' ἀνατολῶν* [*ab oriente*] Matth. 2: 1.

13. *Καὶ εἶδον ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ θηρίου, et vidi ex ore draconis et ex ore ferae*] Ex Diabolo et idololatria Romana, quae *fera* prior est, *ex mari.*

Καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ψευδοπροφήτου, et ex ore Pseudoprophetae] Idem est *ὁ ψευδοπροφήτης* et *fera terrestris.* Sicut *duo Prophetae* supra 11: 11, significant *coetus Prophetarum*, ita hic Pseudopropheta per *ἐναλλαγὴν* [*permutationem*] *multitudinem Prophetarum.* Sic *ἡ εἰκὼν* [*simulacrum*] *multitudo simulacrorum*, ut supra observavimus.

Πνεύματα τρία ἀκάθαρτα ὡς βάτραχοι, spiritus tres immundos in modum ranarum] Et hic allusio est ad ranas Aegypti, sed *αἰνιγματωδῶς* [*aenigmatice*]. Ranae et impurae sunt, et in coeno versantur, et coaxant nullo cum fructu. Ignaros Legis ranis comparat etiam Schemos Rabba. *Tres* isti *spiritus* qui *ranis* comparantur sunt exstispicium, auspicium et libri Sibyllini, quibus fidebat Maxentius. Vide Zosimum libro II. In Manuscripto abest *τρία.*

14. *Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων ποιοῦντα σημεῖα, sunt enim spiritus Daemonum facientes signa*] Vera interdum dicunt, Daemonis instinctu atque opera, Deo id sinente.

Ἃ ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς οἰκουμένης ὅλης, qui procedunt ad Reges totius terrae] Decipient Maxentium et proceres qui cum eo.

Συ-

Συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον τῆς ἡμέρας ἐκείνης τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος, *congregare illos in praelium ad diem illum magnum omnipotentis Dei*] *Dies illa magna* est qua Constantinus Romam cepit.

15. Ἰδοὺ ἔρχομαι ὡς κλέπτης, *ecce venio sicut fur*] Haec et quae sequuntur usque ad καὶ συνήγαγεν legenda per παρένθεσιν [*interiectionem*], et sunt verba Christi. Vide supra 3: 3. Ait Christus de improviso se superventurum idololatris.

Μακάριος ὁ γρηγορῶν, beatus qui vigilat] Admonitio est ad Christianos, ut supra 3: 2, 3.

Καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, et custodit vestimenta sua] Qui perstat in bonorum operum studio. Infra 19: 8.

Ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ, ne nudus ambulet] Ut ille de quo supra 3: 17.

Καὶ βλέπωσι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτοῦ, et videant turpitudinem eius] Et hic est activum plurale pro passivo singulari, *et appareant ea quae tegi debent*, ערוה. Αἰσχύνη γυμνότητος [*turpitudo nuditatis*] supra. Diximus autem significari priora crimina, quae Deo conspicienda se praebent nisi obtegantur per vitam meliorem.

16. *Καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς*] Nempe illa τρία πνεύματα [*tres spiritus*] in unum contraxere Reges ac Duces idololatras: *fecere ut convenirent.*

Εἰς τόπον τὸν καλούμενον Ἑβραϊστὶ Ἀρμαγεδδὼν, in locum qui vocatur Hebraice Armageddon] In Ianiculo; qui ex illo conventu recte dici posset *Mons congregationis:* id enim הר־מגדון. Coiere enim in eum locum ex parte Constantini nonaginta millia peditum, octo millia equitum, ex Germanis maxime, et Gallis et Britannis; ex parte Maxentii centum et septuaginta peditum millia, octodecim equitum millia ex Romanis, Italis, Thuscis, Siculis, Carthaginensibus. Ita enim Zosimus. Magedo vocata fuit planities ubi Iosias periit 2 Reg. 23: 29, 2 Par. 35: 22, Zach. 12: 11. Verum ea historia hic non respicitur, sed potius strages a Baraco in Cananaeos edita *ad aquas Mageddo* Iud. 5: 19. Aquae solent esse in montanis locis. הר Hebraeum solet verti per Ἀρ. Sic Ἀργαριζὶν apud Eusebium in Praeparatione, הר־גרזים. Sic *Arsamosata* apud Plinium et Tacitum הר־שמשא, id est, *mons solis.* Nimi-

rum literae ח pronuntiatio ita erat tenuis ut non audiretur. Et ipsa litera ח Graecis Ε.

17. Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τὸν ἀέρα, *et septimus Angelus effudit phialam suam in aëram*] Id est, εἰς τὸ μεσουράνημα [*in medium coelum*], ut supra 8: 13, 14: 6. Quare hoc? Quia haec mala late erant spargenda, in *mare*, *amnes*, *terram*, id est, populum Urbis, in urbes aut oppida minora, et in omnes partes ditionis Romanae.

Καὶ ἐξῆλθε φωνὴ μεγάλη ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ, et exivit vox magna a templo coeli] Ab Adyto coelesti. Ingens arcanum patefit, Romam esse mortalem. In Manuscripto, *ἐκ τοῦ ναοῦ*, sine illis *τοῦ οὐρανοῦ*. Et sic Latinus.

Ἀπὸ τοῦ θρόνου, a throno] Id est, Ab illo Adyti loco in quo magnifice Deus sedit supra Cherubinos, pedes imprimens Arcae. Ea enim figura Dei sedes concipiebatur apud Hebraeos.

Λέγουσα, Γέγονε, dicens, Fuit] *Fuit Roma*. Similis locutio infra 21: 6.

18. *Καὶ ἐγένοντο ἀστραπαὶ καὶ βρονταὶ καὶ φωναί, et facta sunt fulgura et tonitrua et voces*] Id est, φωναὶ βροντῶν [*voces tonitruorum*]. Sic et supra 4: 5, 8: 5, pro quo φωνὴν βροντῆς habemus supra 6: 1.

Καὶ σεισμὸς ἐγένετο μέγας οἷος οὐκ ἐγένετο ἀφ' οὗ οἱ ἄνθρωποι ἐγένοντο, τηλικοῦτος σεισμὸς οὕτω μέγας, et terrae motus factus est magnus qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt, talis terrae motus tam magnus] *Terrae motus* hoc loco est ingens rerum mutatio: supra 11: 13, Ps. 18: 8, et apud Prophetas veteres saepe. Illa τηλικοῦτος σεισμὸς οὕτω μέγας sunt ἐξηγητικὰ [*explicativa*] eius quod praecessit οἷος, *qualis non fuit, nempe tantus adeoque admirabilis*. Is *terrae motus*, est Ostrogotthorum dominatus in Italia Gentium Regina, adeoque in ipsa urbe Roma. In Manuscripto, ἀφ' οὗ ἄνθρωπος ἐγένετο [*ex quo homo fuit*] etc., per ἐναλλαγὴν [*permutationem*] de qua modo diximus. Daniel pro eo dixit, *Οἵα οὐ γέγονεν ἀφ' οὗ γεγένηται ἔθνος ἐν τῇ γῇ* [*Qualis non fuit ex quo facta est gens in terra*].

19. *Καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἡ μεγάλη, et facta est civitas magna*] Sic et 17: 18, infra. *Μεγάλην πόλιν* dicunt Romam indicantes Tatianus, Porphyrius, Graecorumque alii.

Εἰς τρία μέρη, in tres partes] Sumptum ex Ezech. 5: 2; ex quo loco intelliges Romae partem tertiam igne exustam, partes alias duas exhaustas atque desertas. Id factum a Totila, qui et tertiam partem moenium destruxit. Narratur res ipsa, plane ut his verbis conveniat, apud Procopium Gotthicorum III et IV.

Καὶ αἱ πόλεις τῶν ἐθνῶν ἔπεσον, et urbes gentium ceciderunt] Multae urbes in Italia et in provinciis a Gotthis eversae. *Ἐθνῶν* dicit quia ad tempora Honorii plebs plurima et Senatores multi manebant idololatrae; ut dicemus infra 17: 16.

Καὶ Βαβυλὼν ἡ μεγάλη ἐμνήσθη ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, δοῦναι αὐτῇ τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, et Babylon magna venit Deo in memoriam, dare illi calicem vini indignationis irae eius] Illud *καὶ* hic est *sic* et *ἐμνήσθη* passivum, ut Act. 10: 31. *Meminisse* Deus *malorum actionum* dicitur cum eas ulciscitur, ut Os. 7: 2, 8: 13. Illa verba *Βαβυλὼν ἡ μεγάλη* sumpta ex Dan. 4: 27. Deus ostendit illo eventu se non oblitum criminum Romae. *Τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ*, id est, vini venenati, ut diximus supra 14: 8, 10. *Τῆς ὀργῆς*, id est, quod venit ab *ira Dei*, ut dicto loco 14: 10. Hoc quid sit amplius explicabitur capite sequente.

20. *Καὶ πᾶσα νῆσος ἔφυγε, καὶ ὄρη οὐχ εὑρέθησαν, et omnis insula fugit, neque montes sunt inventi*] Eversa sunt multa oppida maritima, quae איים Hebraeis, *νῆσος* Interpretibus: multae etiam arces in mediis terris. Arcibus enim dari *montium* nomen diximus supra 8: 8. Et elegans est *ἀλληγορία* [*allegoria*]: quia per terrae motus transmoveri solere et *montes* et *insulas* diximus supra 6: 14.

21. *Καὶ χάλαζα μεγάλη ὡς ταλαντιαία καταβαίνει ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, et grando magna sicut talentum descendit de coelo in homines*] Ingens obdurationis iudicium in reliquias idololatrarum; supra 8: 7, 11: 19. Nec male servavit τὸ *πρέπον* [*decorum*] comparationis. Nam et grandinem ingentium saxorum magnitudine interdum cecidisse narrant complurium regionum ac temporum

 his-

historiae. Quae quod grave est Graecis dicitur ταλαντιαῖον vel ταλαντιαῖον, ut νοσημάτων ταλαντιαίων [*gravium morborum*] apud Alcaeum. Est autem hic applicatio allegoricae historiae quae Exod. 9: 24.

Καὶ ἐβλασφήμησαν οἱ ἄνθρωποι τὸν Θεὸν ἐκ τῆς πληγῆς τῆς χαλάζης· ὅτι μεγάλη ἐστὶν ἡ πληγὴ αὐτῆς σφόδρα, *et maledixerunt Deo homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer*] Tanta erat animorum obduratio ut reliquiae idololatrarum in imperio Romano magis magisque Christianis maledicerent, tanquam ipsorum religio omnium horum malorum causa esset. Hic fuit ultimus singultus moribundae Idololatriae. Intelligendi autem hic praecipue Senatores Romani qui per Italiam sparsi, alii hic, alii illic, a Gotthis sunt interfecti.

CAPUT XVII.

1. Καὶ ἦλθεν, *et venit*] Alio tempore. In Manuscripto ἐξῆλθεν [*exivit*].

Εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας, *unus de septem Angelis qui habebant septem phialas*] Septimus, ea quae de Romae ruina breviter dixerat clarius fusiusque explicaturus. Ideo hoc caput et sequentia puto in paucorum fuisse manibus; et inde factum ut Apocalypsis minus nota esset vulgo.

Καὶ ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ, *et locutus est mecum*] Ut amicus cum amico.

Λέγων, Δεῦρο, *dicens, Veni*] Δεῦρο idem quod Ὕπαγε supra 10: 8, *adesdum*.

Δείξω σοι τὸ κρίμα τῆς πόρνης τῆς μεγάλης τῆς καθημένης ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν, *ostendam tibi iudicium meretricis magnae, quae sedet super aquas multas*] *Ostendam tibi* et Bestiam illam maris unde regatur, et quae sit illa Babylon, de qua dixi, et quibus modis Deus sua in eam *iudicia* sit exerciturus. Πόρνη est eadem quae ante *Babylon*, ut apparet infra 3, 4, 5. Romana dominatio, sicut Babylonica dominatio, Mulieris specie describitur apud Esaiam 47: 1. Πόρνη autem ob multiplicem idolo-

latriam. Vide Esai. 1: 21, Mich. 1: 7, Nah. 3: 4, et quae supra 14: 4. *Sedet ea super aquas multas*, quia imperat et mari et fluminibus, id est, Populo qui Romae est, et qui in aliis urbibus. Vide infra 15, supra 16: 3, 4. Sunt autem verba sumpta de Ier. 51: 13, ubi in Graeco est *κατασκηνοῦντας ἐφ' ὕδασι πολλοῖς* [*qui habitant super aquas multas*].

2. *Μεθ' ἧς ἐπόρνευσαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, cum qua fornicati sunt reges terrae*] Secuti eius auctoritatem et exemplum, ut supra 12: 3, 13: 14. Imo et ipsam adorarunt. Quod ipsum etiam his verbis intelligi potest, ut videre est Ier. 3: 9, Ezech. 16. 17, 23: 37.

Καὶ ἐμεθύσθησαν οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἐκ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς, et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius] Vide supra 14: 8, et ibi dicta. Ibi *τὰ ἔθνη* [*gentes*] quod hic *τὴν γῆν*, totum complexum quantus quantus erat imperii Romani. Vide et infra 18: 3. Sumptum de Ier. 51: 7, ubi de Babylone agitur.

3. *Καὶ ἀπήνεγκέ με εἰς ἔρημον ἐν πνεύματι, et abstulit me spiritu in solitudinem*] De voce *ἐν πνεύματι* vide supra 1: 10. Vidit *solitudinem*, ut intelligeret talem fore populosae illius Urbis exitum. Vide de Babylone Ier. 50: 13, 51: 63.

Καὶ εἶδον γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θηρίον κόκκινον, et vidi mulierem sedentem super feram coccineam] *Coccineam feram*, id est, coccinatam, coccino instratam: nimirum quia eo colore tingi solebant *Imperatorum* Romanorum *paludamenta*, Plin. XXII. 2. Sic dicuntur *picti scuta Labici*. Clarius ergo significat de Idololatria se non alia quam Romana supra egisse. Ei *insidebat mulier*, quae est Romana Dominatio, Idololatriam regens et qua vellet agitans. Erat enim Decretum vetus, ne quis Deus esset nisi a Senatu probatus: testis in Apologetico Tertullianus.

Γέμον ὀνομάτων βλασφημίας, plenam nominibus maledictionis] Plena Diis, qui ita dicebantur in veri Dei iniuriam. *Ὀνόματα βλασφημίας* hic sunt *οἱ λεγόμενοι Θεοὶ* [*qui dicuntur Dii*] 1 Cor. 8: 5. De voce *βλασφημίας* vide supra 13: 5.

Ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ, habentem capita septem] Quae duplicem habent significationem, et *Imperatorum*, quos ex

 num-

nummis Iohannes noverat; eorum autem facies erant in his septem capitibus: et *septem montium* sive *collium* in quibus sitam Romam nemo ignorabat.

Καὶ κέρατα δέκα, et cornua decem] Haec *cornua decem* in hac visione significant *decem Reges*, qui tempore Iohannis nondum erant in fide et reverentia imperii Romani. Manifestum id fit infra 12 et seqq.

4. *Καὶ ἡ γυνὴ ἡ περιβεβλημένη πορφύραν καὶ κόκκινον, et mulier erat circumdata purpura, et coccino*] *Coccinum* belli gestamen Romanum, purpura pacis, tum in tota toga Imperatorum, tum in lato clavo Senatorum. Hieronymus Prologo ad Didymum: *Cum in Babylone versarer, et purpuratae Meretricis essem colonus.* Idem ad Algasiam: *Unde secundum Apocalypsin Iohannis in fronte purpuratae meretricis scriptum est nomen Blasphemiae, id est,* ROMAE AETERNAE. Et ad Esai. 24: *Babylon, quae sedet in septem montibus purpurata.* Et ad Marcellam: *Lege Apocalypsin Iohannis, et quid de Muliere purpurata, et scripta in eius fronte Blasphemia, Septem montibus, Aquis multis, et Babylonis cantetur exitu, contuere.* In Manuscripto est πορφυροῦν [*purpurea*], nempe ἱμάτιον [*veste*]. Et nota Meretricem sumpsisse sibi ornatum Tabernaculi Divini. Nam Exod. 26: 4 est ארגמן תולעת שני in Graeco πορφύραν, κόκκινον διπλοῦν [*purpuram, coccum bis tinctum*].

Κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις, inaurata auro et lapide pretioso et gemmis] Opes simul et luxum significat. Neque dubito quin imagines Urbis Romae in templis cum tali ornatu fuerint. Mulierum cultus in *auro, argento et gemmis et vestibus* deputatur apud Tertullianum. Par ornatus Regis Tyri Ezech. 27. *Κεχρυσωμένη* מדהבה de Babylone Esai 14: 4. Sed est hic σύλληψις [*complexio*]. Nam κεχρυσωμένη de *auro* proprie dicitur, de *lapidibus* et *gemmis* improprie. *Λίθος τίμιος* aut πολυτελής יקרה, אבן 2 Sam. 12: 30, 1 Reg. 5: 17, 7: 9, 10, 11, 10: 2, 10, 11, 1 Par. 20: 2, 29: 2, 2 Par. 3: 6, 9: 1, Dan. 11: 38.

Ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς γέμον βδελυγμάτων, habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus] *Aureum* dicit *poculum* ob divitas, ut

et Ier. 51: 7. *Βδελύγματα* autem in viso quidem intelligendo *humor foetens*; in re vero Dii falsi, quos Graeci vocant *βδελύγματα*, ubi in Hebraeo אלילים [*res nihili*], ut Esai. 2: 8, 20. אלהים [*Dii*] addito Gentium vocabulo, ut 1 Reg. 11: 6, 33. גלולים [*retrimenta*] 1. Reg. 21: 26, Ezech. 30: 13. חמנים [*simulacra*] Esai. 17: 8; plurimis vero in locis שקצים et תועבות [*adominationes*]. Hi sunt

—— *Quos Roma recepit*
Aut dedit ipsa Deos.

Καὶ τὰ ἀκάθαρτα τῆς πορνείας αὐτῆς, et impuritatibus scortationis ipsius] Ita habet et Manuscriptus. Quod si sequimur, illud *καὶ* est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum*] ad explicandum quid sit *poculum abominationum*, *nempe impuritates scortationis*, id est, idololatriae, *ipsius*, quas Meretrix aliis propinat. At alii Codices habent, *ἀκαθαρότητος πορνείας αὐτῆς* [*impuritate scortationis ipsius*], quomodo videtur legisse Latinus. Arethas vero, *καὶ τῶν ἀκαθάρτων τῆς πορνείας τῆς γῆς* [*et impuris scortationis terrae*].

5. *Καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον, et in fronte eius nomen scriptum*] Debebat et ipsa apparere cum *nomine in fronte*, quia aliis causa erat ut frontem nominibus inscriberent.

Μυστήριον, mysterium] רז, id est, quod nomen non est quale vulgo vocatur, sed *αἰνιγματικόν* [*aenigmaticum*]. Vocatur *μυστήριον* et *id quo latenter significatur aliquid*, et *id quod significatur*, ut supra 1: 20 et infra 7. Sed ea acceptio est *μετωνυμικὴ* [*transnominativa*], quam hic habemus magis propria.

Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, Babylon magna] Sic et 16: 19, ubi causas attulimus huius appellationis.

Ἡ μήτηρ τῶν πόρνων, mater scortatorum] *Τῶν πορνειῶν* [*scortationum*] habet Arethas, et ita legit Latinus. *Mater scortationum* est; quia latissime propagavit idololatriam suam.

Καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς, et abominationum terrae] Quia et novos Deos dederat, et ipsa inter Deos erat.

6. *Καὶ εἶδον τὴν γυναῖκα μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ, et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum et de sanguine Mar-*

martyrum Iesu] Vidit eam ore rabido, despumante et evomente sanguinem, ut ebrii solent. *Sanctos* hic vocat Christianos quosvis; μάρτυρας Doctores qui eximie supra alios testimonium Christo praebebant.

Καὶ ἐθαύμασα ἰδὼν αὐτὴν θαῦμα μέγα, et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna] *Miratus sum* feminam tam speciosam, tam ornatam, ita temulentam agere et cruentari. Hanc mulierem in illo viso capite 12, non conspexerat.

7. *Καὶ εἶπέ μοι ὁ ἄγγελος, Διὰ τί ἐθαύμασας, et dixit mihi Angelus, Quare miraris?*] Ubi rem intelliges, non miraberis hoc visum.

Ἐγὼ σοι ἐρῶ τὸ μυστήριον τῆς γυναικὸς, ego dicam tibi mysterium mulieris] Quid sub hac figura lateat. Sic supra 1: 20.

Καὶ τοῦ θηρίου βαστάζοντος αὐτήν] *Ferae cui illa invectatur.* Dicit τοῦ θηρίου, quia supra 13 eius facta mentio.

Τοῦ ἔχοντος τὰς ἑπτὰ κεφαλὰς καὶ τὰ δέκα κέρατα, quae habet capita septem et cornua decem] Supra 3, 13: 1.

8. *Τὸ θηρίον ὃ εἶδες ἦν, fera, quam vidisti, fuit*] Hic θηρίον vocat κατὰ συνεκδοχὴν [*per complexionem*] illum qui pars potissima, id est, os erat τοῦ θηρίου, supra 13: 2. Is Domitianus, patre absente, *fuerat*, id est, *nomen sedemque Caesaris acceperat*, ut ait Tacitus. Martialis de eo:

Solus Iuleas cum iam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.

Scripsit ei Vespasianus: *Gratias tibi, fili, habeo, quod mihi imperium non abstulisti*, teste Dione. *Iactavit se et patri et fratri imperium dedisse*, ut ait Suetonius. In summa, *terminos aetatis et alia concessa filio egrediebatur*, quae et ipsa Taciti sunt verba. Paria habet Iosephus fine libri quarti de Bello Iudaico.

Καὶ οὐκ ἔστι, et non est] Hoc tempus, id est, cum Vespasiano principe Ephesi ageret Iohannes, non erat cum imperio Domitianus, sed in privati modum redactus *modestiam imprimisque studium Poeticae simulabat*, ut ait Suetonius: ut vero Tacitus, *Modica quoque et usurpata antea imperii munia omittebat, simplicitatis ac*

mo-

modestiae imagine in altitudinem conditus, studiumque literarum et amorem carminum simulans.

Καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, et adscensura est de abysso] Attollet se ex suis latebris; ex obscuro potens evadet.

Καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν, et in interitum ibit] עדי אבד Num. 24: 24. *Ἀπώλεια*, hic ut et Ioh. 17: 12, 2 Thess. 2: 3, non *mortem* quamlibet, sed *pessimum exitum* significat; qualis Domitiano obtigit, interfecto domesticorum suorum manibus: de quo videri potest Suetonius et Philostratus. Notandum autem sicut Domitiano *ferae* nomen datur, ut praecipuo *ferae* membro, ita in eius rebus adumbratas res ipsius Idololatriae, quae interdum saevitiam suam exercuerat, ut sub Claudio, Nerone et aliis; interdum conquievit, ut sub Vespasiano; resumpsit saevitiam, ut sub Domitiano, Traiano et aliis; ac postremum funditus interiit, ut videbimus infra 19: 20, 21.

Καὶ θαυμάσονται οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, et mirabuntur inhabitantes terram] Mirabuntur exitum respondere multis ostentis, de quibus videri potest Suetonius et Dion.

Ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae, a condito mundo] Hac locutione quid significetur diximus supra 13: 8. Sensus est, Christianos in Scripturis versatos non miraturos evenire Domitiano Romae quod olim Baltassari Babylone, Dan. 5: 30, qui itidem praedictum exitum vitare non potuit.

Βλέποντες τὸ θηρίον ὅ τι ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ παρέσται, videntes feram, quae erat, et non est, et ventura est] *Ὅ τι* hic est pronomen, non coniunctio. In Manuscripto est *βλεπόντων*, non male. Solent enim Graeci participium etiam solum in genitivo ponere, ubi Latini ponerent nomen aut pronomen et simul participium, utraque absolute posita, ut loquuntur Grammatici.

9. *Ὧδε ὁ νοῦς*] *Haec est apertior figurarum explicatio*, quae iam sequitur.

Ὁ ἔχων σοφίαν, qui habet sapientiam] Quae explicatio ostendit mirabilem Dei *sapientiam*, res praeteritas et praesentes et futuras simul ob oculos ponentis. Vide su-

supra 13: 18. Saepe in Propheticis sermonibus cum futuris simul exhibentur praeterita ob connexum aut similitudinem, ut Ezech. 17, 19, 23, 31, Zach. 5, 6, 11.

Αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ ἑπτὰ ὄρη εἰσὶν, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπὶ αὐτῶν, septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet] Graeci dicerent ἐφ' ὧν ἡ γυνὴ κάθηται· sed Iohannes praeter caeteros amat locutiones Hebraicas. Dominatio Romana septem montibus insidet, quia *ibi erat sedes imperii*, ut Tacitus loquitur.

10. *Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν, et Reges septem sunt*] Simul per illa capita notantur et Imperatores septem, quorum facies in illis capitibus apparebant, ita ut in nummis.

Οἱ πέντε ἔπεσον, quinque ceciderunt] *Vi periere*. Id enim נפל [*cadere*] Hebraeis Exod. 32: 28, Lev. 26: 8, Ezech. 32: 22, Os. 7: 7, 16, Ps. 91: 6 et alibi. Hi *quinque* sunt Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius. Incipit a Claudio, quia Tiberio et Caio nulla notitia Christianorum. Et sicut Ezechiel semper tempora putat a sua deportatione, ita et Iohannes a sua numerat Principes.

Ὁ εἷς ἔστιν, unus est] Vespasianus: de quo nihil mali praedicitur, quia Christianis non nocuit, teste Tertulliano.

Ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθεν, et alius nondum venit] Titus, cuius facies itidem in capite ultimo conspiciebatur.

Καὶ ὅταν ἔλθῃ, et cum venerit] Nempe *ad principatum*: id enim hic ἔρχεσθαι. Qui munus aliquod auspicatur dicitur ἔρχεσθαι Matth. 17: 10.

Ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι, oportet illum breve tempus manere] Exiguo tempore victurus est post adeptum Principatum, biennio scilicet et mensibus duobus, ut notat Suetonius. *Δεῖ* hic nota futuri, ut Matth. 17: 10 et alibi.

11. *Καὶ τὸ θηρίον*] *Os ferae*. *Συνεκδοχὴ* [*complexio*] ut diximus. Os illud dentes habebat leoninos. Seneca et Paulus Apostolus Neronem *Leonem* dixere. Domitianus dictus *Calvus Nero; portio Neronis de crudelitate*, in Apologetico Tertulliani.

Ὃ ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, quae erat et non est, ipse octavus est] *Καὶ* postremum hic abundat, mo-

more Hebraeo. Is quem *ferae os esse* dixi, est *octavus* in ordine Principum quibus res fuit cum Christianis.

Καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐςι, et de septem est] *Natus est ex uno illorum septem* quos dixi, nempe ex Vespasiano. *Ἐκ vel ἐξ poni solet in significanda alicuius origine, ut Matth. 1: 3, 5, 6, Luc. 1: 27, Ioh. 1: 13, Act. 17: 26, Rom. 1: 3, 9: 10, 2 Tim. 2: 8, Hebr. 7: 5, supra 7: 5 et sequentibus. Deinde ἐκ τῶν breviter dictum pro ἔκ τινες τῶν [*ex aliquo de*] de quo loquendi genere egimus ad Matth. 23: 34, Luc. 21: 16.

Καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει, et in interitum vadit] *Mala morte peribit.* Praesens pro futuro, more Prophetico.

12. *Καὶ τὰ δέκα κέρατα ἃ εἶδες, et decem cornua quae vidisti*] Nempe in hoc Viso postremo. Alii enim Reges significati erant in Viso cap. 12. Sed ut illi reverentiam exhibuerant Romano imperio, ita et hi exhibebunt, suo tempore.

Δέκα βασιλεῖς εἰσιν, decem Reges sunt] Successiones Regum *Reges* vocat, ut Dan. 7: 17, in Hebraeo, et 8: 20, ut ibi annotavit Hieronymus. Sic et Ier. 25: 11.

Οἵτινες βασιλείαν οὔπω ἔλαβον, qui regnum nondum acceperunt] Nempe in partibus imperii Romani.

Ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient cum bestia] Simul et Regna accipient intra Romani imperii limites, et Romana sacra amplectentur, sed ad modicum tempus. Id enim vult *μίαν ὥραν*. Reperitur hoc sensu in Graeco Dan. 4: 16, ubi in Chaldaico כשעה חדא. Pro eodem dixit Paulus πρὸς ὥραν [*ad horam*] Philem. 15, πρὸς καιρὸν ὥρας [*ad tempus horae*] 1 Thess. 2: 17. Et ita hunc locum explicant Andreas et Arethas. Sic et infra 18: 16.

13. *Οὗτοι μίαν γνώμην ἔχουσι, καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ διδόασιν, hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiae tradent*] *Recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et Reges*, ut Tacitus loquitur in soceri vita. Lucanus:

Atque omni Latio quae servit purpura ferro.

Vi-

Vires, inquit, *suas et ius imperii eo conferent ut et Romanis et eorum religioni inserviant.* Primi omnium Gotthi facti sunt federati Romanorum. Docet nos id Procopius Gotthicorum IV, ante tempora Maximini, ut ex Iornande discimus. *Decem* autem illi *Reges* barbari qui in reverentia fuere Romani Imperii *ad breve tempus*, sunt, Ostrogotthi, Wisigotthi, Vandali, Gepidae, Langobardi, Heruli, Burgundiones, Hunni, Franci, Angli sive Saxones. Hi omnes Regna habuere intra fines veteres imperii Romani, ut ex Procopio, Iornande, Orosio, Paulo Diacono discas. Wisigotthi contra Attilam Romanis adfuere; contra Herulos Ostrogotthi; contra Suevos Wandali; contra eos quos dixi Herulos Gepidae, et contra Ostrogotthos; Langobardi contra Gepidas, deinde contra Ostrogotthos et Francos; Heruli contra Persas, deinde contra Wandalos; Burgundiones contra Francos et contra Ostrogotthos; Hunni contra Persas et Wandalos et Ostrogotthos; Franci contra Ostrogotthos et Wisigotthos et Suevos; Anglosaxones contra Pictos et Britones.

14. *Οὗτοι μετὰ τοῦ ἀρνίου πολεμήσουσι, hi cum Agno pugnabunt*] Id est, In Christianos saevient Romanorum exemplo. Eo sensu *ποιεῖν πόλεμον* [*bellum facere*] habuimus supra 11: 7, 12: 17, 13: 7. Eadem locutio apud Ieremiam 1: 19.

Καὶ τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτοὺς, et Agnus vincet illos] Christus efficiet ut omnes illi Populi eorumque Reges tandem fiant Christiani. Hieronymus ubi Christianos populos sui temporis enumerat, addit et Gotthos. De caeteris quoque res in aperto.

Ὅτι Κύριος κυρίων ἐςὶ καὶ Βασιλεὺς βασιλέων, quoniam Dominus dominorum est et Rex regum] Deus iam olim promiserat fore ut Christo plurimi Reges ac Dynastae obedirent, Ps. 2, Dan. 7: 27. Vide supra 1: 5. *Κύριος κυρίων* sive *Κύριος τῶν κυριευόντων*, ut 1 Tim. 6: 15. אדון אדונים.

Καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ καὶ πιςοὶ, et qui cum illo sunt vocati, electi et fideles] Etiam illi sua patientia et bonae vitae exemplo et sanis sermonibus Reges vincent. Sic et supra 12: 11. Nota tres gradus,

vo-

vocari, deinde *eligi*, Matth. 20: 16, 22: 14, postremum *perseverare*, 2 Petr. 1: 1.

15. *Καὶ λέγει μοι, Τὰ ὕδατα ἃ εἶδες, οὗ ἡ πόρνη κάθηται, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι, et dixit mihi, Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguae*] Hanc distributionem iam aliquoties habuimus, ut supra 5: 9, 7: 9, 11: 9, 13: 7, 14: 6. Multarum linguarum homines sub imperio Romano fuisse notum ex Virgilio et Martiale. De his populis vide Appianum initio. Per *aquas* intelligi Gentes habes apud Achmetem CLXXVIII. Aqua aquae succedit, et manet idem mare aut amnis; sic homines hominibus, et manet idem populus. Utuntur hac similitudine Philosophi, quorum meminimus lib. II de Iure Belli ac Pacis 9. 3. Apud Nahumum 2: 8, *Ninive piscina aquarum*, id est, *urbs populosa*, interprete Chaldaeo.

16. *Καὶ τὰ δέκα κέρατα ἃ εἶδες καὶ τὸ θηρίον, et decem cornua quae vidisti et bestia*] Ἐπὶ τὸ θηρίον [*in bestia*] habet Arethas et libri multi: nec aliter legit Latinus.

Οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην, hi odient fornicariam] Suo tempore insurgent hostiliter in dominationem Romanam. Hoc maxime conspectum Honorii temporibus, ut videre est apud Procopium et historicos alios. Haec est *Romani status abscessio in decem Reges* apud Tertullianum, *regni Romani defectio* apud Ambrosium, *discessio Gentilium a Romano imperio* apud Hieronymum: εἰς δέκα βασιλείας διῃρῆσθαι τὴν οἰκουμένην [*orbem terrarum in decem regna fuisse divisum*], ait Arethas.

Καὶ ἠρημωμένην ποιήσουσιν αὐτὴν, et desolatam facient illam] Magnis afficient cladibus. *Τούς τε ἀνθρώπους ἅπαντας ἔκτεινον, ὅσοι ἐγένοντο ἐν ποσὶν, ὁμοίως μὲν πρεσβύτας, ὁμοίως δὲ νέους, οὔτε γυναικῶν, οὔτε παίδων φειδόμενοι* [*Homines omnes quos repererant occidebant, pariter senes, pariter iuvenes: ne mulieribus quidem parcentes aut pueris*].

Καὶ γυμνὴν ποιήσουσιν αὐτὴν, et nudam facient illam] Abstrahent aurum, lapides, uniones. Hoc factum est per Alaricum Gotthum, et per Genzericum Wandalum. De illo Procopius: Ἐν Ῥώμῃ τῶν τε δημοσίων καὶ τῶν ἰδίων οὐδοτιοῦν ἀπολιπόντες [*Nihil Romae relinquebant publica-*

rum privatarumve rerum]. De altero vero: *Χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου καὶ τῶν ἄλλων βασιλέως κτημάτων πολύ τι χρῆμα ἐν ταῖς ναυσὶν ἐνθέμενος εἰς Καρχηδόνα ἔπλει· ἐσύλησε δὲ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου νεών* [*Cum ingentem vim auri argentique rerumque aliarum ad Imperatorem pertinentium imposuisset navibus, Carthaginem navigavit: etiam templum Iovis Capitolini spoliavit*].

Καὶ τὰς σαρκὰς αὐτῆς φάγονται, et carnes eius comedent] Provincias in suos usus vertent, spreta Romanorum amicitia. Sic Daciam, Pannoniam, Thraciam, Illyricum modo hi, modo illi populi invasere; praeterea Galliam Gotthi utrique, Burgundiones, Franci; Hispaniam Wandali primum, deinde Wisigotthi; Africam Wandali; Britanniam Anglosaxones; Italiam ipsam cum Dalmatis, Alpibus, Norico, Ostrogotthi, deinde Langobardi. Locutio sumpta ex Esai. 10: 18 et 49: 26.

Καὶ αὐτὴν κατακαύσουσιν ἐν πυρί, et ipsam igne comburent] *Ipsam* Babylonem, *ipsam* Meretricem *comburent*, nempe *τρίτον μέρος* [*tertiam partem*], quod subintelligendum ex superioribus 16: 19. Est talis *συνεκδοχὴ* [*complexio*] etiam Historicis frequens. Sic 1 Macc. 1: 33 ab Antiochi hominibus *exusta* Hierosolyma; quod de pulcherrimis quibusdam aedificiis interpretatur Iosephus, et consequens in utroque Maccabaico historia ostendit. Prophetis autem frequentissima talis locutio, ut Ezech. 29: 12 et alibi saepe. Fuit vetus traditio apud Iudaeos fore ut Roma incenderetur. Habes eius indicia apud Bachaium et apud Ionathanem 1 Sam. 2: 5, Ezech. 39: 16. Eam Iohannes hic approbat, ut et alia eius generis non pauca. Impletum hoc per Ostrogotthos sub Totila. Procopius Gotthicorum IV: *Ἐτύγχανε δὲ Τωτίλας πολλὰς μὲν ἐμπρησάμενος τὰς τῆς πόλεως οἰκοδομίας* [*Multa urbis aedificia Totilas incenderat*]. Nec est quod quisquam opponat tunc Romam fuisse Christianam. Contra enim verum est, etiam postquam Imperatores facti erant Christiani, Romae mansisse idololatriam tum in Senatu tum in plebe. Nec in Senatu tantum erant Pagani, sed et Consulatus adipiscebantur, ut Symmachus, cuius oratio exstat pro Sacris Paganicis. Hieronymus ad Esai. 57 de suis temporibus agens: *Ipsaque Roma orbis domina in singulis in-*

su-

culis domibusque tutelae simulacrorum deres venerans nec lucernis, quam ad tuitionem aedium isto appellant nomine; ut tam intrantes quam exeuntes domum suam semper inoliti admoneantur erroris. Et haec est causa cur idem Hieronymus cum Romae viveret, se *purpuratam Meretricis colonum* fuisse dicit in Prologo ad Didymum. Cum Totilas Urbem invasit, iam plerique cives effugerant, multi fame exstincti, multi trucidati, ita ut de plebe aegre restarent quingenti. Ad haec, cum secutum est multarum aedium Romae incendium, portae dirutae, moenium pars tertia disiecta, noluerunt Romani redire Senatores, et alii qui exierant Paganismo contacti. Sunt quae hic sunt verba, sumpta de loco Dan. 7: 11. In pari causa par eventus. Vide quanta fuerit Dei patientia in expectanda idololatrarum conversione.

17. Ὁ γὰρ Θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ καὶ ποιῆσαι γνώμην μίαν, *Deus enim dederat in corda eorum ut facerent quod placitum est illi, et ut facerent unam sententiam*] Loquitur tanquam viveret tempore illorum decem Regum. Deus illis Regibus usus erat tum ad augendum, tum ad labefactandum Romanum Imperium. Illa καὶ ποιῆσαι γνώμην μίαν absunt a Manuscripto, ut et a Latino.

Καὶ δοῦναι τὴν βασιλείαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ ἄχρι τελεσθήσονται οἱ λόγοι τοῦ Θεοῦ, *ut darent regnum suum bestiae donec consummarentur verba Dei*] Ut non diutius obedirent Romae, et simul Romanae idololatriae, quam id Deo videretur. Λόγοι Θεοῦ hic sunt *Dei decreta*, nempe illa de discerpendo in multos Reges imperio Romano. Dei decreta apud Hebraeos vocantur *verba*, ut et hominum cogitata. Est et in eo Hebraismus, quod dixit οἱ λόγοι τοῦ Θεοῦ, cum potuisset dicere αὐτοῦ [*eius*]: nam Θεὸς praecesserat.

18. Καὶ ἡ γυνὴ ἣν εἶδες, *et mulier quam vidisti*] *Cuius vidisti figuram.*

Ἔστιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη, *est urbs magna*] Supra 16: 19, et hoc capite 1: 5. Sic solent prophetiae posteriores per gradus quosdam clarius eloqui id quod priores dixerant occultius.

Ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *quae habet*

bet regnum super Reges terrae] Post descriptionem ex septem *montibus* non poterat adferri altera clarior quam ista. Vide supra 12. *Intelligitur sub figura Mulieris non sola Urbs, sed dominatio in ea Urbe sedem habens,* ut iam diximus.

CAPUT XVIII.

1. *Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον ἄλλον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα ἐξουσίαν μεγάλην, et post haec vidi alium Angelum descendentem ex coelo, habentem potestatem magnam*] Ille Angelus consequentia incendium Romae nunciat, cum quadam ante dictorum explicatione. Sicut Babylonis veteris devastatio non semel sed saepius praedicitur apud Esaiam et Ieremiam, interdum cum iis poeticis coloribus, ut lector velut in rem praesentem adductus cadaver urbis adspiciat, ita et de altera Babylone faciendum fuit. Quare quod paucis verbis indicatum fuerat supra 16: 19 et 17: 16, id nunc tanquam in pictura subiicitur oculis. *Angelus* hic est qui a Deo *potestatem* acceperat sane *magnam*, ostendendi Mundo Romam nec aeternam esse nec invictam. *Descendere* ergo *ex coelo visus est* is *Angelus*, ad exercendam scilicet illam *potestatem*. שר גדול [*princeps magnus*] Dan. 12: 1.

Καὶ ἡ γῆ ἐφωτίσθη ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ, et terra illuminata est fulgore eius] Verba ex Ezech. 43: 2. *Δόξα* hic, ut כבוד Hebraeis, *fulgorem* significat, Exod. 40: 34, 35, Num. 14: 10, 2 Cor. 3: 7. Hic splendor significabat fore ut per eum discerent homines quod ignorabant, Romam, ut dixi, non esse aeternam.

2. *Καὶ ἔκραξεν ἐν ἰσχυρᾷ φωνῇ, et exclamavit voce magna*] Rem magnam *magno clamore* significavit.

Λέγων, Ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna] Est aoristus hic pro praesenti. Nam res velut praesens ostenditur. *En cadit Roma.* Verba desumpta ex Esai. 21: 9 et Ier. 51: 8, ut diximus supra 14: 8. Haec est illa dies quam sibi cum lacrymis imaginabatur Scipio ardente Carthagine. Vide Polybium et Plutarchum.

Καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, et facta est habitatio Daemonum] Graeci שעירים, quod est de Babylone Esai. 13: 21, vertunt *δαιμόνια* et in Manuscripto hoc loco est *δαιμονίων*. Sunt autem שעירים *δαιμόνια τραγόμορφα* [*Daemonia forma hircina praediti*], ut diximus ad Lev. 17: 7. Solent autem quaedam Daemonum genera delectari locis desertis, Matth. 12: 43. Idem affirmant ad Esaiam Cyrillus et Procopius. Vide et Cassianum Coll. VII. 23.

Καὶ φυλακὴ πάντος πνεύματος ἀκαθάρτου, et statio omnis Spiritus immundi] Hoc καὶ est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum*] eius quod praecessit. Nam *δαιμόνια* sunt *πνεύματα ἀκάθαρτα*, Matth. 10: 1, Marc. 1: 23, 26, 27, 3: 11, 30, 5: 8, 13, 6: 7, 7: 25, 9: 25, Luc. 4: 33, 36, 6: 18, 8: 29, 9: 42, 11: 24, Act. 5: 16, 8: 7. *Φυλακὴ* est *statio*, vox militaris, Bar. 3: 34.

Καὶ φυλακὴ πάντος ὀρνέου ἀκαθάρτου, et statio omnis volucris immundi] Avium rapacium quae cadaveribus pascuntur, quales designat Esaias dicto loco 13: 21 et 14: 23 et 34: 11 et Sophonias 2: 14. Talia sunt איים, ציים [*feles silvestres, ferae*] et similia.

Καὶ μεμισημένου, et odibilis] Quales sunt bubones, *ferales* Virgilio, *Dirum mortalibus omen*, Ovidio.

3. *Ὅτι ἐκ τοῦ θυμοῦ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς πεπώτικε πάντα τὰ ἔθνη, quia vino irae fornicationis eius potavit omnes gentes*] *Θυμὸς* iterum hic est *venenum*, ut et supra 14: 8, ubi de isto vocis illius significatu egimus. In Manuscripto, *πέπωκεν πάντα τὰ ἔθνη* [*biberunt omnes gentes*] et sic legit Latinus.

Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς μετ' αὐτῆς ἐπόρνευσαν, et reges terrae cum illa fornicati sunt] Eius exemplum secuti sunt, imo et ipsam coluere. Vide supra 17: 2, ubi verba eadem.

Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν, et mercatores terrae vi luxus eius divites facti sunt] Sensus par Esai. 47: 15 et infra 23. *Στρῆνος* est *luxus* Romanus; de quo complures Viri eruditi libros scripsere. *Δύναμις* vero חיל *divitiae* ad tantum luxum suppetentes.

4. *Καὶ ἤκουσα ἄλλην φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν, et audivi aliam vocem de coelo, dicentem*] Hoc velut per-

 πα-

παρένθεσιν [parenthesin] interiicitur: nam coeptus sermo resumitur ibi, ὅτι ἐκολλήθησαν.

Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς, ὁ λαός μου, *exite ex illa, Populo mi*] Hac voce ostenditur Deum ita sua in Romam indicia exercuisse ut pios de communi malo servaverit. *Tu popule mi*, id est, vos qui nec idola colitis, nec claudicatis, sed sincera fide estis Christiani, ubi Totilae apparuerit exercitus, *exite* ad basilicas Apostolorum extra Urbem, ubi ego vos tutos praestabo, sicut tutos vos praestiti eodem modo Alarici temporibus. Sumpta verba ex Esai. 48: 20 et Ier. 5: 8, 51: 6, 45, Zach. 2: 7. Sic cum Hierosolyma a Nabuchodonosoro caperetur, Legis observatores servaverat Deus; et priusquam eandem urbem Titus caperet, eduxerat Christianos, ita ut olim Lothum e Sodomis.

Ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς ἵνα μὴ λάβητε, *ne participes sitis delictorum eius, neque de plagis eius accipiatis*] Hic quoque membrum posterius servit explicando priori. Nam ἁμαρτίας vocarat Hebraeorum more *poenas* sive *calamitates*. Confer Gen. 19: 15 et Matth. 24: 15—17.

5. Ὅτι ἐκολλήθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ, *quoniam coacervatae sunt peccata eius usque ad coelum*] Absoluta illa voce coelesti pergit loqui Angelus et causas modumque vastitatis Romae explicare. Ἐκολλήθησαν hic per κατάχρησιν [*abusionem*] quandam valet *coacervatae sunt*. Dictum id olim de Sodomis Gen. 18: 20 et de Ninive Ion. 1: 2. Sic et Homerus:

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει.

[*Quorum visque nefasque poli petit aenea tecta.*]

Καὶ ἐμνημόνευσεν αὐτῆς ὁ Θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς, *et recordatus est eius Deus criminum eius*] Prius illud αὐτῆς abest a Codicibus multis et apud Aretham. Sensus qui supra 17: 17. Dicitur *Deus recordari criminum* ubi ea punit.

6. Ἀπόδοτε αὐτῇ, *reddite illi*] Vos Gotthi. Sic Medos alloquitur Deus Ier. 50: 14 et seqq.

Ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν, *sicut et ipsa reddidit vobis*] Sicut ipsa tractavit omnes populos. Sicut ipsa exciderat Corinthum, Numantiam, Carthaginem, tot urbes alias.

Sed

Sed ὑμῖν abest in Manuscripto non male. Vide Ier. 50: 15, 51: 24, 49 et Ps. 137: 8.

Καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς, et duplum ei reddite secundum opera eius] *Duplum reddere* et in bonam partem dicitur, ut Zach. 9: 12, Esai. 61: 7, et in malam Ier. 16: 18. Nihil in hac re iniqui est. *Οὐ δίκαιον, εἴτις τὸν ὀφθαλμὸν ἐξέκοψέ τινος, ἀντικκοπῆναι μόνον, ἀλλὰ πλείονα παθεῖν* [*Iustum est, si quis oculum alteri effoderit, non tantundem modo, sed et amplius patiatur*], ait Aristoteles. Vide nostra lib. II de Iure Belli ac Pacis 20 § 32. Dixerat olim Mithridates, *nisi silva excisa nunquam quieturos lupos.*

Ἐν τῷ ποτηρίῳ ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλοῦν, in poculo quo miscuit, miscete illi duplum] *Poculi* duplex significatio est et in hoc libro et alibi. Interdum ad vitia, hic ad calamitates pertinet. Vide supra 14: 10, 16: 19.

7. *Ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ὅσα ἐστρηνίασε*] *Quantum se iactavit et luxuriata est.* De voce στρηνιάζειν vide 1 Tim. 5: 11. Sensus idem Prov. 16: 18.

Τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμὸν, tantum date illi tormentum] *Βασανισμὸς* dicitur omnis *vexatio*, ut supra 9: 5. In quibusdam Codicibus *βασανισμὸν καὶ πένθος* [*tormentum et luctum*], תאניה ואניה Lam. 2: 5.

Ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει, quia secum dicit] Cogitavit nihil tale sibi eventurum. Claudianus:

Simili bacchatur crimine quisquis
Adspirat Romae spoliis aut solis habenis.

Κάθημαι βασίλισσα, sedeo regina] Praesens hoc sumendum pro omni tempore. Quasi dicat, *Regno in perpetuum.* Est explicatio verborum Babylonis apud Esaiam, *Ἐγώ εἰμι, καὶ οὐκ ἔστιν ἑτέρα* [*Ego sum, neque est altera*], quae habes apud Sophoniam 2: 15.

Καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, et vidua non sum] In Esaia *οὐ καθιῶ χήρα* [*non sedebo vidua*]. Ero semper regnantium sedes.

Καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω, et luctum non videbo] Hoc positum pro illis Esaiae *οὐδὲ γνώσομαι ὀρφανίαν, non orbabor prole*, id est, populo. Vide Matth. 23: 37. *Videre* apud Hebraeos frequens pro *experiri.*

8. *Διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξονται αἱ πληγαὶ αὐτῆς, ideo*

ideo una die venient plagae eius] Sensus par ei qui apud Esaiam 47: 9. *Ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ* hic est *subito*, locutione Hebraea, quae et infra occurret.

Θάνατος] *Pestilentia*, ut diximus supra 6: 8, Matth. 24: 7. De ingenti pestilentia per orbem Romanum Iustiniani tempore vide Procopium Persicorum secundo. Id Esai. 47: 11 est הוה.

Καὶ πένθος] *Luctus* ob interfectos a Gotthis. Id dicto Esaiae loco est שכל.

Καὶ λιμὸς] Haec est illa *fames* Romae quam describit Procopius Gotthicorum III, ubi leges patrimoniis emptum frumentum et furfurem; pro beato habitum qui animal morbo emortuum adipisci posset; urticis pastam aliquamdiu plebem; ubi eae defecerant, macie confecta corpora; Quosdam stercus esitasse; multos se ob famem interfecisse; multos fame consumptos; patrem cum quinis liberis ob id se iecisse in Tyberim. *Fames* est שאה dicto Esaiae loco, qui hic explicatur.

Καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται, et igne comburetur] Nempe tertia sui parte, ut diximus supra 16: 19, 17: 16, portis insuper omnibus incensis.

Ὅτι ἰσχυρὸς Κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνας αὐτὴν, quia fortis est Dominus Deus qui iudicabit illam] Id est, *κατακρίνας* [*damnabit*]. Deus, qui Romam in haec mala damnavit, facillime decreta sua exsequitur. Parent illi creaturae omnes. Vide Ier. 51: 6 de Babylone.

9. *Καὶ κλαύσουσι καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὴν*] *Fletu et planctu moerorem suum testabuntur.* Vide supra 1: 7, Matth. 11: 17.

Οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, Reges terrae] Nempe qui non defecerunt. Sub *Regum* nomine comprehenduntur et Senatores et Praefecti.

Οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες, qui cum illa fornicati sunt] Qui aut palam aut clam adhuc erant idololatrae.

Καὶ στρηνιάσαντες, et in deliciis vixerunt] Qui nullum sumptibus modum fecerant.

Ὅταν βλέπωσι τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, cum viderint fumum incendii eius] Tale illud:

— *Omnis humo fumat Neptunia Troia.*

Seneca de eadem re:

Troes hoc signo patriam videbunt.

10.

10. *Ἀπὸ μακρόθεν ἑστηκότες, longe stantes*] Sic et infra 15, 17. Longe stare solent qui nolunt agnosci pro amicis miserorum, Matth. 26: 58, 27: 55.

Διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, propter timorem tormentorum eius] Metu ne in eadem mala incidant. Vide supra 7.

Λέγοντες, Οὐαὶ, οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη Βαβυλὼν, dicentes, Vae, vae civitas illa magna, Babylon] Vae interdum minantis est, interdum condolentis.

Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae.

De cognomine *magnae* vide supra 16: 19 et Dan. 4: 27.

Ἡ πόλις ἡ ἰσχυρὰ, civitas illa fortis] עיר מבצר Ier. 1: 18.

Ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἦλθεν ἡ κρίσις σου, quoniam una hora venit iudicium tuum] *Poena tua. Μιᾷ ὥρᾳ, intra breve tempus.* Vide supra 17: 12.

11. *Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς κλαίουσι καὶ πενθοῦσιν ἐπ' αὐτῇ, et negotiatores terrae flebunt et lugebunt super illam*] Non tantum Babyloni aperte, sed et tacite Tyro Romam comparat, ob ingentia eius cum toto orbe commercia. Desumpta haec ex Ezech. 27: 36, et quae sequuntur ex eodem capite.

Ὅτι τὸν γόμον αὐτῶν οὐδεὶς ἀγοράζει οὐκέτι, quoniam merces eorum nemo emet amplius] *Γόμος* משא dicitur quod iumentis fertur, Exod. 23: 5 sed et quod navibus. In Glossario, *Γόμος, onus.*

12. *Γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθου τιμίου καὶ μαργαρίτου, merces auri et argenti et lapidis pretiosi et margaritae*] Vide supra 17: 4, Ezech. 27: 12, 22, 28: 4, 13.

Καὶ βύσσου καὶ πορφυροῦ καὶ σηρικοῦ καὶ κοκκίνου, et byssi et purpurae et serici et cocci] Vide supra 17: 4. *Byssus* est tenuissimum ac praestantissimum lini genus. *Sericum* est a *Seribus* dictum, id est, a Sinensibus, quod vermes nent. Haec olim ab ultimo orbe petita Iustinianus curavit ut in imperio Romano fierent. *Metaxam* vocat Procopius Persicorum I. Suidas, *Σηρικὴ ἡ μέταξά ἐστιν* [*Serica est metaxa*]. Petronius in descriptione luxus Romani,

Hinc Numidae crustas, illinc sua vellera Seres.

Vide Ezech. 27: 16, 24.

Καὶ πᾶν ξύλον θύϊνον, et omne lignum thyinum] *Thyina*

vertit Latinus, ubi in Hebraeo אלמגים, aut transpositis literis אלגומים: Septuaginta 1 Reg. 10: 11, 12 vertunt πελεκητὰ [*dolata*]. At Theodotion, cuius versio in Paralipomenis recepta est, 2 Par. 2: 8, 9: 10, 11, πεύκινα [*pinea*]; quomodo et Iosephus πεύκας. Puto esse vocem Arabicam, et אל esse articulum, *ligna undulata*, a מג, quod Arabibus est *fluctuare*. Hic vero sub nomine generali significari *citra*, unde erant divitum Romanorum mensae, ut Martialis compluribus locis nos docet, et Plinius XIII. 15, qui idem ait *thyam* et *thyon* appellari. Petebatur maxime ex Mauritania, Ezech. 27: 5, 6. In Manuscripto, σκεῦος θύϊνον [*vas thyinum*], id est, mensas.

Καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον, et omnia vasa eboris] Ut lectos ex ebore quos iam sua aetate usitatos nos docet Varro de Lingua Latina. Meminit et Celsus, L. *Labeo*, De Supellectile legata, Ezech. 27: 15.

Καὶ πᾶν σκεῦος, et omnia vasa] Hoc nomine omnis *supellex* atque *instrumentum* intelligitur. כלי [*vas*]. Vide quae diximus Act. 9: 15, 10: 16. Vide Ezech. 27: 9.

Ἐκ ξύλου τιμιωτάτου, e ligno pretioso] Uti ex buxo, unde nomen πυξίδων [*pyxidum*], ex ebeno, Ezech. 27: 15.

Καὶ χαλκοῦ, et aere] Unde lebetes, Ezch. 27: 13.

Καὶ σιδήρου, et ferro] Unde arma bellica, venatoria, culinaria, Ezech. 27: 12, 19.

Καὶ μαρμάρου] *Marmoris* Parii aut Laconici, unde columnae et statuae.

13. *Καὶ κινάμωμον, et cinamomum*] Vide quae diximus Exod. 30: 23. Hebraice scribitur קנמון, exstatque ea vox Prov. 7: 17, Cant. 4: 14. *Pretium erat in libras denariûm mille et quingentorum*, teste Plinio XII. 19. Falluntur qui esse putant quam *canellam* dicimus: ea enim cassiae est species. In Manuscripto hic additur *καὶ ἄμωμον* [*et amomum*].

Καὶ θυμιάματα] קטרת, *suffitus*, non tantum in sacrorum usu, sed et in deliciis. Vide Prov. 7: 17, Ezech. 27: 19, 22.

Καὶ μύρον, et unguentum] Potabant enim unguentata.

Καὶ λίβανον] *Thus* et in sacrorum usu et potui miscebatur. Magnum etiam eius usus adversus ulcera vulnerave, teste Dioscoride I. 81.

Καὶ

Καὶ οἶνον καὶ ἔλαιον, et vinum et oleum] Res iucundae magis quam necessariae. Vide supra 6: 6. Oleo multo opus ad palaestram. Vina potabantur usque a Meroe, Ezech. 27: 17, 18.

Καὶ σεμίδαλιν] Quae Latinis *simila* vel *similago*, Hebraeis סלת. Inde fiebant placentae.

Καὶ σῖτον, et triticum] Frumentum ab Africa et Aegypto. Sic et Ezech. 27: 17.

Καὶ κτήνη, et iumenta] Sic vertunt Septuaginta vocem בהמה, qua comprehenduntur animalia omnia pedibus gradientia, sive ea fera sint, sive mansueta. Utraque usum habebant in epulis: ferae etiam ad editiones venatorias.

Quaeritur in silvis Mauri fera, et ultimos Ammon
Afrorum excutitur.

Καὶ πρόβατα, et oves] Non ad epulas tantum et vestes, sed et ad lac in quo feminae lavarentur, Ezech. 27: 18, 21.

Καὶ ἵππων, et equorum] Quorum usus non tantum ad bella et itinera, sed et ad ludos Circenses. Genitivus hic et sequentibus ἔλλειψιν [*defectum*] ante se habent: subauditur enim πλῆθος [*multitudo*]. Similis constructio Exod. 20: 17. Habes *equos* et apud Ezechielem 27: 14.

Καὶ ῥαίδων, et rhedarum] Alii libri ῥεδῶν. Perinde est utro modo scribas. Est enim vox Gallica, ut Quintilianus nos docet I. 9, a *rheiden* scilicet, quod est *vehi*. Latini priorem producunt, ut Horatius,

Quem tollere rheda
Vellet.

Cicero *Epistolam se scripsisse* ait *in rheda cum ad castra proficisceretur.*

Καὶ σωμάτων, et corporum] Intellige homines liberos qui pro pecunia se prostituebant, tam mares quam feminae: mares vero etiam in arenam se auctorabant. Σώματα δὲ ἁπλῶς, οὐκ ἂν δοῦλα σώματα [*Corpora simplipliciter si dicas, non sunt ea serva corpora*] ait Pollux. Sic Virgilius:

Excepto Laurentis corpore Turni.

Καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων, et animas hominum] Hoc, sed et multa praecedentia, ex Ezechiele de Tyro 27: 13, ubi quod in Hebraeo est נפש אדם Septuaginta vertunt

ἐν

ἐν ψυχαῖς ἀνθρώπων, Hieronymus erudite *mancipia*. Sic et Graecia posterior servos appellavit ψυχάρια [*animulas*]. Corpus est domini, animum tantum habent suum. *Servitus in totum animum descendit*, ait Seneca.

14. *Καὶ ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου ἀπῆλθεν ἀπό σου, et autumnus desiderii animae tuae discessit a te*] Est in his verbis et sequentibus, usque ad illa οἱ ἔμποροι, allocutio Regum ad Romam, qualem Graeci ἀποστροφὴν vocant. Habes parem Ezech. 27: 32. Ὀπώρα *autumnum* significat, per κατάχρησιν [*abusionem*] vero hoc loco *tempus fruendi: sicut Veneris fructus carpere* dicunt Latini. Sensus est: *Non ultra poteris indulgere amoribus.*

Καὶ πάντα τὰ λιπαρὰ, et omnia lauta] *Lauta*: hoc ad epulas pertinet.

Καὶ τὰ λαμπρὰ ἀπώλετο ἀπό σου, et splendida perierunt a te] *Splendida*: hoc ad vestes.

Καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρήσεις αὐτὰ, et amplius illa iam non invenies] Ita illi Reges credebant. Et certe Imperium nunquam postea ad Romam rediit. Qui *Imperatores Romani* dicti sunt, sive Graeci, sive Germani, alibi sedem habuere. Loquendi genus quale supra 12: 8, 16: 20. In Manuscripto, οὐ μὴ αὐτὰ εὑρήσουσι [*illa iam non invenient*].

15. *Οἱ ἔμποροι τούτων, mercatores horum*] A Regibus venit ad *mercatores*, deinde ad nautas venturus, ut Ezechiel. *Τούτων*, id est, omnium *istarum mercium* quae iam indicatae sunt.

Οἱ πλουτήσαντες, ἀπ' αὐτῆς, qui divites facti sunt per eam] Vide supra 3, Ezech. 27: 33.

Ἀπὸ μακρόθεν στήσονται διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, longe stabunt propter timorem tormentorum eius] Ut supra 10. *Stabunt*, nempe ubi rem cognoscent: aberant enim.

Κλαίοντες καὶ πενθοῦντες, flentes ac lugentes] *Πενθοῦντες* hic, quod supra κόψονται [*plangent*].

16. *Καὶ λέγοντες, Οὐαὶ, οὐαὶ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφυροῦν καὶ κόκκινον, καὶ κεχρυσωμένη ἐν χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις, et dicentes, Vae, vae urbs illa magna, quae amicta erat bysso et pur-*

purpura et cocco, et deaurata erat auro et lapide pretioso et margaritis] Supra 17: 4. Est autem hic σύλληψις [*complexus*]; ut et supra diximus: nam κεχρυσωμένη ad *aurum* recte refertur, quanquam κατὰ πλεονασμόν τινα [*per abundantem locutionem quandam*], ad lapides vero et margaritas improprie. Talia illa:

—— *Danaos et pinea furtim*
Laxat claustra Sinon. ——

Et:

Quem sepire plagis saltum canibusque ciere.

Scholiastes Sophoclis ad Electram, voce ἀπερίστροφος [*non versatilis*], sic ait: Πολλάκις τὸ κατὰ κοινοῦ λαμβανόμενον διαφόρως νοεῖται. Καὶ Ὅμηρος·

Ἔνθ' ἑλέτην δίφροντε καὶ ἀνέρε δήμου ἀρίστω.

Τὸ ἑλέτην, κατὰ κοινοῦ ἐστιν, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοῦ δίφρου ἀντὶ τοῦ, ἔλαβον, ἐπὶ δὲ τῶν ἀνδρῶν ἀντι τοῦ, ἐφόνευσαν [*Saepe fit, ut si quod verbum pluribus apponitur, diversimode accipiatur. Ita Homerus:*

Hic currum cepere duosque e Gente probatos.

Verbum cepere universae orationi quadrat: verum in curru pro accepere, in hominibus pro occidere ponitur].

Ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη ὁ τοιοῦτος πλοῦτος, *quoniam una hora destitutae sunt tantae divitiae*] Μιᾷ ὥρᾳ, ut supra 10. Est hic ὑπαλλαγὴ [*inversio*]. Proprie enim si loquamur, Urbs ἐρημοῦται [*destituitur*] a divitiis. Simile Ezech. 32: 15, Καὶ ἠρημώθη ἡ γῆ σὺν τῷ πληρώματι [*Et deserta fuerit terra a plenitudine sua*]; sed ibi σύλληψις [*complexus*] est qualem iam annotavimus.

17. Καὶ πᾶς κυβερνήτης, καὶ πᾶς ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων πλέων, καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται, *et omnis gubernator, et omnis qui in navibus navigat, et qui in mari operantur*] *Naucleri, vectores et remiges.* Desumptum ex Ezech. 27: 26—29. In Manuscripto, πᾶς ὁ ἐπὶ τόπον πλέων, supple τοῦτον, *qui ad ista loca navigat:* unde corrigenda versio Latina, *omnes qui in locum navigant*, non *in lacum*. Ποιοῦντες ἐργασίαν ἐν ὕδασι πολλοῖς [*facientes opera in aquis multis*] habemus Ps. 107: 23. Sed et ἐργάζεσθαι θάλασσαν elegans locutio, pro τὴν θαλασσικὴν [*rem navalem*], sicut dicunt Graeci ἐργάζεσθαι χρυσοχοϊκὴν [*aurificinam exercere*], et similia. Quidam Codices hic

post

post πλέων habent καὶ ναῦται [*et nautae*], sed nihil eo opus.

Ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν, longe steterunt] Utitur ἀορίστῳ [*tempore indefinito*] vice praesentis. Erant enim nautae propinqui tum ad Ostiam tum ad locum qui *Portus* dicebatur. Vide Procopium Gotthicorum III.

18. *Καὶ ἔκραζον, βλέποντες τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, et clamaverunt videntes fumum incendii eius*] Supra 9. At in Manuscripto τὸν τόπον τῆς πυρώσεως [*locum incendii*]. Et sic legit Latinus. Tale illud:

Et campos ubi Troia fuit.

Λέγοντες, Τίς ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ, dicentes, Quae similis Urbi huic magnae] Supple, *fuit*. At nunc φροῦδα πάντα [*evanuere omnia*].

19. *Καὶ ἔβαλον χοῦν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, et pulverem capiti iniecerunt*] Nempe nautae ex Syria et Aegypto: nam istis mos erat eo modo moerorem testari: Iob. 2: 12, 1 Sam. 4: 12, Ier. 25: 34, Ezech. 27: 30.

Καὶ ἔκραζον κλαίοντες καὶ πενθοῦντες καὶ λέγοντες, et clamaverunt flentes et lugentes et dicentes] Supra 15. In Manuscripto abest hic κλαίοντες καὶ πενθοῦντες.

Οὐαὶ, οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη, vae, vae, Urbs illa magna] Supra 10.

Ἐν ᾗ ἐπλούτησαν πάντες οἱ ἔχοντες τὰ πλοῖα ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς, in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari de excellentia eius] Hebraismo pro ἐξ ἧς τῆς τιμιότητος, *per cuius excellentiam*. Est hoc vocabulum eius temporis de quo haec praedictio est.

Ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη, quoniam una hora desolata est] *Ὅτι* hic est interrogativum, ut Marc. 9: 11, 28. למה.

20. *Εὐφραίνου ἐπ' αὐτῇ οὐρανὲ, exsulta super eam coelum*] Angelus post adscriptam Romae vastitiem, et admirationem doloremque eorum qui ex ea urbe commoda perceperant, pergit excitare pios ad approbandum laudandumque hoc Dei iudicium. Alloquitur hic *coelum*, ut supra 12: 12. Coeli laetitiam ex lapsu Babylonis etiam Ieremias praedicat 51: 48.

Καὶ οἱ ἅγιοι, et Sancti] Nempe τετελειωμένοι [*perfecti*], Hebr. 12: 23.

Καὶ

Καὶ οἱ ἀπόστολοι, et Apostoli] Id est, Apostolorum spiritus. Vide supra 14: 3, 15: 2. Solet spiritibus dari hominum nomen, ut Luc. 16: 23, ubi dicta vide.

Καὶ οἱ προφῆται, et Prophetae] Qui haec praedixistis et abiistis ex hac vita.

Ὅτι ἔκρινεν ὁ Θεὸς τὸ κρῖμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς, quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illa] Vindictam ob mortem iniuriasque vobis illatas sumpsit de hac Babylone. *Iudicium laesi* vocatur talio quae laeso satisfacit, Ps. 9: 4, 17: 2, Mich. 7: 9. *Iudicium iudicare* sic dicitur, sicut *mori mortem*, *servitutem servire*.

21. *Καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς, et sustulit unus Angelus fortis*] Alius ab illo qui locutus est. Is diuturnitatem explicabit malorum post incendium Urbis.

Λίθον ὡς μύλον μέγαν, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν θάλασσαν, λέγων, Οὕτως ὁρμήματι βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη πόλις, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι, lapidem instar molae magnae, et misit in mare, dicens, Hoc impetu mittetur Babylon Urbs illa magna, et ultra iam non invenietur] In Manuscripto ὡς μυλινὸν μέγαν [*quasi molarem magnum*], non male. Sic λίθος μυλικὸς [*lapis molaris*] Marc. 9: 42. A nomine μύλη [*mola*] adiectivum fit aut μυλικὸς aut μυλινός. Utrumque est secundum ἀναλογίαν [*analogiam*]. Adumbratum ex Ier. 51: 63, ubi lapide iacto in Euphratem significatur sic Babylonem in longo tempore non resurrecturam. Est enim similitudo lapidis in mare iacti aut magnum amnem valde ad hoc accommodata. Horatius:

Sed iuremus in haec, simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas.

Quod desumptum de historia Phocaeorum quae est apud Herodotum, nisi quod ibi pro lapide est massa plumbea. Par similitudo Neh. 9: 11. Roma diu iacuit deserta aut a paucis habitata, nunquam resurrexit ad veterem magnitudinem. Nunquam sedes imperii post id fuit. — *Βληθήσεται* תשקע Ier. 51: 64. — *Οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι*, ut supra 9: 6, 12: 8, 16: 20. Sic supra 14. Ieremias pro eo dicit לא תקום [*non consurget*] dicto loco 51: 64.

22. *Καὶ φωνὴ κιθαρῳδῶν καὶ μουσικῶν καὶ αὐλητῶν καὶ σαλπιστῶν οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι, et vox citharaedorum et musicorum et tibia canentium et tuba non audietur in*

te

te amplius] Rursus ἀποστροφὴ [*allocutio*] ad Urbem, qualis supra 14. Frequens apud Prophetas talis transitio a tertia persona ad secundam, et contra. Latius per species suas explicat quod Ieremias solet dicere, *perituram vocem gaudii ac laetitiae*, 7: 34, 16: 9, 25: 10. Esaias vero in eodem sensu et *tympana* et *citharam* et *modos laetos* memorat.

Καὶ πᾶς τεχνίτης πάσης τέχνης οὐ μὴ εὑρεθῇ ἐν σοὶ ἔτι, et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius] Cessabunt tot officinae et tabernae. Vide Ier. 24: 1, 29: 2. *Πάσης τέχνης* deest in Manuscripto.

Καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι, et vox molae non audietur in te amplius] Strepitus tot molarum ad alenda tot hominum millia. Ex Ier. 25: 10.

23. *Καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι, et lux lucernae non lucebit in te amplius*] Sumptum indidem. Explica ex illo Lucretii:

Si non aurea stant iuvenum simulacra per aedes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris.

Καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι, et vox sponsi et sponsae non audietur amplius in te] Solemnes cantus ad thalamum. Ex Ier. 7: 34, 16: 9, 25: 10. *Vocem sponsi et sponsae* vocat carmina de sponso et sponsa. Sic genitivus saepe sumitur obiective. Contrariis verbis laeta significantur tempora Esai. 62: 5, Ier. 33: 11.

Ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς, quia institores tui erant principes terrae] Causas huius iudicii Divini reddit tres, Luxum summum, Idololatriam summam, summamque Saevitiam. Luxum eo indicat quod non Senatores tantum et Magistratus sed et institores velut Principes ibi viverunt. Sumptum ex Esai. 33: 8 de Tyriis. De voce *μεγιστάνων* diximus supra 6: 15. Par causa excidii Moabitarum est apud Sophoniam 2: 10.

Ὅτι ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη, quia veneficiis tuis in errorem ducta omnes gentes] Sensus idem qui supra 13: 14. *Φαρμακεία* hic idem est quod *οἶνος θυμοῦ* [*vinum irae*] 14: 8, 18: 3, quia veneno recte comparatur quicquid corrumpit animos. Sic כשפיך ad Babylonem dicit Esai. 47: 9. Et Babylon *corruptrix* Ier. 51: 25.

24. *Καὶ ἐν αὐτῇ αἷμα προφητῶν καὶ ἁγίων εὑρέθη, et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est*] Id est, Contaminata fuit sanguine Christianorum, inter quos nonnulli erant etiam propheticis donis conspicui. Locutio sumpta de Ier. 2: 34. Sensus etiam Ier. 51: 35.

Καὶ πάντων τῶν ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς, et omnium qui occisi sunt in terra] Aliorum etiam occisorum per bella iniusta. *Occisi in terra*, id est, occisi et in terram deiecti, Ier. 51: 49.

CAPUT XIX.

1. *Καὶ μετὰ ταῦτα, et post haec*] Alio tempore. Visum capitis 17 et Mulierem ostenderat et Feram. Explicavit quid Mulieri, id est, Urbi dominationique Romanae, eventurum esset, quomodo ea Urbs per gradus quosdam labefactata, tandem ruitura esset. Nunc idem de Fera, id est, de Idololatria, ostendit. Quare non mirum est si hic recurritur ad tempora quae ruinam Urbis praecessere. Exigebat enim rerum series ut primum omnia quae ad Urbem pertinent dicerentur, deinde ea quae ad Idololatriam. Sic Polybius, sic Tacitus saepe temporum ordinem negligunt, ut contexant ea quae rebus cohaerent.

Ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo] Significat ingentia incrementa Christianae plebis per annos trecentos. Ecclesia *in coelo* esse dicitur, quia coelestia curat ac cogitat: supra 4: 4, 13: 6.

Λεγόντων, Ἀλληλούϊα, dicentium, Alleluia] Quasi dicat, Canentes in honorem Dei similia viginti illis psalmis, in quibus est laeta exclamatio הללו יה. Habemus eam vocem quater hoc capite, et Tob. 13: 20, in Graeco. Perditio impiorum est causa iustissima τοῦ Ἀλληλούϊα Ps. 104: 35, ubi id notavit Kimchi. Canticum in quo est Ἀλληλούϊα per excellentiam dicitur שיר vel שירה [*canticum*]. Et talibus uti solebant Christiani inter Pascha et Pentecosten.

Ἡ σωτηρία] *Laus* ob acceptam salutem, ut supra 7: 10, 12: 10.

Καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, et virtus et gloria Dei nostri sunt] Eius sunt, ad eum pertinent. Supra 4: 11, 7: 12.

2. *Ὅτι ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις αὐτοῦ, quia vera et iusta iudicia sunt eius*] Supra 15: 3, 16: 7.

Ὅτι ἔκρινε τὴν πόρνην τὴν μεγάλην, ἥτις διέφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς, qui iudicavit meretricem magnam, quae corrupit terram prostitutione sua] Agitur hic non de omnibus Dei iudiciis in Mulierem, sed de primis illis quinque Phialarum. Et egregie ponitur hic vox *διέφθειρε*, qua de Babylone agens utitur Ieremias 51: 25. Clarius id explicat id quod figurate dictum erat de poculo venenato.

Καὶ ἐξεδίκησε τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius] Nempe illorum qui interfecti sunt sub Nerone, Domitiano, Traiano ac deinceps. Sed sub primis illis tribus persecutionibus intelligendae similes caeterae, ut diximus. Sumpta verba de Deut. 32: 43.

3. *Καὶ δεύτερον εἴρηκεν, ἀλληλούϊα, et iterum dixerunt, Alleluia*] Nempe ob anticipatam animo ex vaticiniis ruinam Urbis.

Καὶ ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας, et fumus eius adscendit in secula] Praesens pro futuro, more Prophetico. Ideo Latinus recte vertit *adscendet*. Casuram Romam, neque longe id tempus abesse, credebant Christiani, ut ex Tertulliano, Lactantio et aliis apparet. *Εἰς τοὺς αἰῶνας* apud Prophetas, et maxime ubi de excidiis urbium agitur, saepe significat *diu*. Vide Esai. 34: 10.

4. *Καὶ ἔπεσον οἱ πρεσβύτεροι οἱ εἰκοσιτέσσαρες, et ceciderunt Presbyteri viginti quatuor*] *Presbyteri* eius Ecclesiae quae erat Aeliae sive Hierosolymis post Adrianum.

Καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα, et quatuor Animalia] Spiritus quatuorvirûm qui primi auctoritate Apostolica Ecclesiam Hierosolymitanam rexerant.

Καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, et adoraverunt Deum sedentem in solio] Sic supra 4: 10, 5: 14.

Λέγοντες, Ἀμὴν, Ἀλληλούϊα, dicentes; Amen, Alleluia] *Amen*, id est, certo id eveniet quod Prophetae nobis praedixere. *Amen* et *Alleluia* simul habes Ps. 106: 48.

5. *Καὶ φωνὴ ἐκ τοῦ θρόνου ἐξῆλθε, et vox de solio exivit*] Vox Christi ad Constantinum, per quam conversus est. Narratio est apud Eusebium.

Αἰνεῖτε τὸν Θεὸν ἡμῶν πάντες οἱ δοῦλοι αὐτοῦ, καὶ οἱ φοβούμενοι αὐτὸν, οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι, laudem dicite Deo nostro omnes servi eius, et qui timetis eum pusilli et magni] Apposite ad rem. Volo, ait Christus, ut non plebs tantum sed et viri summi, quales Constantinus et qui ei aderant, Deum colant, idque ex meo praescripto. Pars verborum ex Ps. 134: 1 et 135: 1. Pars altera ex Ps. 114: 13.

6. *Καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ, καὶ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν βροντῶν ἰσχυρῶν, λεγόντων, Ἀλληλούϊα, et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Alleluia*] Non *plebis* tantum, ut supra 1, sed et *multorum populorum* (supra 17: 15, Ezech. 43: 2) et *virorum efficaciter loquentium*, quales dicuntur *υἱοὶ βροντῆς* [*filii tonitru*], Marc. 3: 17. Conversio Constantini immensum auxit Christianorum numerum, ita ut brevi provinciae totae et viri doctissimi et eloquentissimi Christianam religionem profiterentur. Verba ferme sumpta sunt ex Ezech. 1: 24.

Ὅτι ἐβασίλευσε Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ παντοκράτωρ, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens] Id est, Regnare incepit in ipsos Reges. Recte addit παντοκράτωρ, ut supra 1: 8, 4: 8, 11: 17, 15: 3, 16: 14. Infra 21: 22. Ingens enim omnipotentiae signum subigere capita imperii illius, tanto tempore assueti Idololatriae et Idololatriam foventis. *Deus regnavit* semper in Psalmis magnum aliquid significat, ut 47: 9, 93: 1, 96: 10, 97: 1, 99: 1.

7. *Χαίρωμεν καὶ ἀγαλλιώμεθα, καὶ δῶμεν τὴν δόξαν τῷ Θεῷ, gaudeamus et exsultemus et demus gloriam Deo*] Significatur magnum gaudium. Sic *χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε* Matth. 5: 12. *Ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ* 1 Petr. 1: 8. *Χαρῆτε ἀγαλλιώμενοι* 1 Petr. 4: 13. *Χαρὰ καὶ ἀγαλλίασις* Luc. 1: 14. *Ἀγαλλιᾶσθαι* גיל est *omni modo gaudium ostendere*, ut Esai. 25: 9. *Dare gloriam Deo*, ut Luc. 17: 18, est Deo gratias agere pro beneficiis.

Ὅτι ἦλθεν ὁ γάμος τοῦ ἀρνίου, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἡτοίμασεν

σεν ἑαυτὴν, quia venerunt nuptiae agni, et uxor eius praeparavit se] Omnis Ecclesia Christi sponsa, Matth. 22: 2 et seqq., 2 Cor. 11: 2, Eph. 5: 32, quae loca manant ex vetere Prophetia Os. 2: 19, Esai. 54: 5—8. Sed hic specialiter intelligitur Ecclesia collecta ex domo et comitatu Constantini Magni. Sub uno autem intelligenda similia alia, id est, aliorum quoque Regum conversiones.

8. *Καὶ ἐδόθη αὐτῇ ἵνα περιβάληται βύσσινον λαμπρὸν καὶ καθαρὸν, et datum est isti ut cooperiat se byssino splendenti et candido*] Antehac Christiani erant in palliolo plebeio; nunc etiam in aulico habitu. Nam in comitatu Regum qui vivunt, solent splendidius vestiri, Matth. 11: 1. Inter splendidos vestitus prima sunt *byssina*, supra 18: 16. Gen. 41: 42, 1 Par. 15: 27, Esth. 6: 8, 8: 15, Prov. 31: 22, Ezech. 16: 10, 13. Respicitur locus Esai. 52: 1. *Byssus* Hebraeis בוץ. Vides hic cultum gravem, ut matronae; non pompaticum, qualis meretricis ante descriptus.

Τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων ἐςὶ, byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum] Digni sunt qui sic vestiantur. Actiones enim eorum vestitui respondent. Sunt enim et splendidae et purae, ut byssina. Erant inter proceres aulae Constantini viri magnarum virtutum. Vide Eusebium. *Δικαιώματα* vocantur *Dei praecepta* Luc. 1: 6. Hic vero per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] *actus Dei praeceptis congruentes.*

9. *Καὶ λέγει μοι, Γράψον, et dixit mihi, Scribe*] Res magna est et memoriae ad posteros mandanda. Sic supra 1: 11, 19, 14: 13. *Dicit*, nempe Angelus. Id enim nomen intelligitur ex loco supra 1: 1, et multis aliis.

Μακάριοι, beati] Supra caeteros felices illi. Supra 1: 3, 14: 13, Dan. 12: 12.

Οἱ εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ ἀρνίου κεκλημένοι, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt] Qui spectatores erunt illius tam admirandae mutationis. Nuptiae cum convivio celebrabantur; Gen. 29: 22, Iud. 14: 10, Esth. 2: 18.

Καὶ λέγει μοι, et dixit mihi] Angelus, qui subintellectus et supra.

Οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοί εἰσι τοῦ Θεοῦ, haec verba Dei vera sunt] Omnino futurum ut Imperatores, Duces et Comites Christiani fiant. Talis affirmatio et infra 22: 6.

10.

10. *Καὶ ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ, προσκυνῆσαι αὐτῷ, et accidi ad pedes eius, ut adorarem eum*] Nempe summo honore afficiens rei tantae nuntium. Sic et infra 22: 8. *Ad pedes accidere* honos erat qui Regibus virisque summis exhibebatur in Orientis partibus.

Γονυπετεῖς ἕδρας προσπιτνῶ,
Σ', ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα,
[*Supplex te, Rex, venerans genubus*
Patrio advolvor de more tuis],

aiunt Phoenissae Regis filio apud Euripidem. *Legatos Carthaginensium* Livius dicens *more adorantium procubuisse*, addit, *accepto credo ritu ex ea regione unde oriundi erant*, id est, ex Phoenice. Scriptor Vitae Cononis: *Venerari Regem, quod προσκυνεῖν ipsi vocant.* Plura de hoc ritu attulimus in maiore nostra ad Decalogum Commentatione. Solebant Sancti veterum temporum pari modo adorare Angelos de rebus magnis missos, tanquam Satrapas Regni coelestis. Exempla habes Gen. 17: 17, Iud. 13: 20.

Καὶ λέγει μοι, Ὅρα μή, et dicit mihi, Vide ne feceris] Sic et infra 22: 9. *Cave feceris: ὁρᾷν, cavere* 1 Thess. 5: 15 et alibi.

Σύνδουλός σου εἰμι καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ, conservus tuus sum et fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu] Honos ille exhiberi solet multo maioribus: nos inter nos pares sumus eiusdem Regis legati. Per *fratres habentes* (sive *servantes*) *testimonium* hic intellige Apostolos et alios donis Apostolicis praeditos. Manifestum id ex loco simili infra 22: 9. Philo Abrahamum vocat *Angelorum σύνδουλον*, libro de Abrahamo.

Τῷ Θεῷ προσκύνησον, Deum adora] Non dicit προσκύνησιν soli Deo licite exhiberi: repugnat enim tota vetus Historia, et ea quae diximus ad Matth. 8: 2. Sed benigne agit, ut si quis collega collegae dicat, *Serva hunc honorem Regi.*

Ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ ἐςὶ τὸ πνεῦμα προφητείας] *Spiritus Propheticus*, qui tibi datus est, *testimonium est quo Iesus* ostendit te suum esse legatum. Non minor est nuntius de remissione peccatorum et de vita aeterna per

 Chris-

Christum data credentibus quam de Imperatorum Conversione. Omnes Christiani per Christum sunt Reges: Inter eos vero excellunt Apostoli.

11. *Καὶ εἶδον τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, et vidi coelum apertum*] Magni Visi antecessio. Supra 4: 1, 11: 19. Vide Matth. 3: 16 et ibi dicta.

Καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκὸς, et ecce equus albus] Euangelium, ut supra 6: 2.

Καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν, et qui sedebat super eum] Christus, ut dicto loco 6: 2.

Καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, vocabatur fidelis et verax] Supra 3: 14. Semper quidem talis est Christus, sed eximie sic vocatur cum promissa sua implet. Illud *καλούμενος* abest in Manuscripto.

Καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει] *Iustissima exercet iudicia* in Maxentium et alios idololatras et Christianorum persecutores.

Καὶ πολεμεῖ] *Bella* ex coelo *gerit* quibus hostes suos deiicit. Supra 2: 16. Solent novi mariti in nuptiarum honorem ludis certare. Quod ibi ludicrum, id hic serium est.

12. *Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρὸς, oculi autem eius sicut flamma ignis*] Supra 1: 14. Intimos animorum recessus inspicit. Scit quos frangere, quos flectere debeat.

Καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλὰ, et in capite eius diademata multa] Egregie. Solebant enim Reges, quot alios Reges devicerant, totidem sibi imponere diademata, 2 Sam. 12: 30, 1 Macc. 11: 13.

Ἔχων ὀνόματα γεγραμμένα, habens nomina scripta] *Multa nomina*, ut *Υἱὸς Δαβὶδ, Ἀνατολὴ, Σωτὴρ κόσμου, Φῶς ἐθνῶν* [*Filius Davidis, Oriens, Salvator mundi, Lux gentium*].

Καὶ ὄνομα γεγραμμένον ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς, et nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse] Sicut Dii Gentium habent nomen arcanum, sic et ille habet, nulli cognitum homini. Id nomen significat auctorem bonorum quae nemo intelligit, vitae scilicet alterius. Vide 1 Cor. 2: 9, 1 Ioh. 3: 2.

13.

13. *Καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι, et vestitus erat pallium tinctum sanguine*] *Tinctum* non piorum *sanguine*, ut Roma, sed impiorum. Eius rei figura Esai. 63: 2, ex quo loco deprompta verba etiam iam mox habebimus. Color hic non poterat non placere novae nuptae.

Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, et vocatur nomen eius, Verbum Dei] Verbo Deus mundum creavit: Verbo etiam mundum reformavit in melius. De hoc nomine λόγος Θεοῦ vide hunc Apostolum in Euangelio 1: 1 et ibi dicta.

14. *Καὶ τὰ στρατεύματα τὰ ἐν οὐρανῷ ἠκολούθει αὐτῷ, et exercitus qui sunt in coelo, sequuntur eum*] Militia coelestis hic sunt Angeli, ut Luc. 2: 13, Matth. 22: 7, ubi dicta vide.

Ἐπὶ ἵπποις λευκοῖς, equis albis] Servientes et ipsi Euangelio.

Ἐνδεδυμένοι βύσσινον λευκὸν καὶ καθαρὸν, vestiti byssino albo et mundo] Tanti sunt virtutes Christianorum apud Deum ut Angelorum virtutibus aequentur. Vide supra 8.

15. *Καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἐκπορεύεται ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα, et ex ore eius venit gladius anceps acutus*] *Gladius acutus et anceps* modo Euangelium totum significat, modo partem eius, id est, minas adversus impios, easque certo eventuras. Vide Hebr. 4: 12, supra 1: 16; 2: 12, infra hic 21.

Ἵνα ἐν αὐτῇ πατάξῃ τὰ ἔθνη, ut ipso percutiat gentes] Τὰ ἔθνη intellige idololatras contumaces. Quod in Maxentio fecerat Deus, idem facturus erat in Licinio et Maximino.

Καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, et ipse pascet eas virga ferrea] Est μετάληψις [*transsumptio*]. Nam per *virgam ferream* gladius, per gladium Dei decreta intelliguntur. Et per ποιμαίνειν intelligitur *regere*, per *regere* vero, punire. Vide supra 2: 27, 12: 5.

Καὶ αὐτὸς πατεῖ τὸν ληνὸν τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος, et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis] Adumbratum ex Esai. 63: 3. Sed ibi *sanguis* fluit e torculari, hic οἶνος θυμοῦ, id est, ut iam aliquoties diximus, *vinum venenatum*. Per id in-

telligitur mors cum cruciatibus. In Glossario: *Ληνοβάτης, calcator, torculator. Λανὸν ἐπιθρώσκειν [insilire in torcular]* dixit Theocritus. Vide supra 14: 20.

16. *Καὶ ἔχει ἐπὶ τὸ ἱμάτιον, et habet super vestimentum*] Super paludamentum suum Imperatorium.

Καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ, et in femore suo] Id est, in capulo ensis qui pendebat ad femur.

Ὄνομα γεγραμμένον, Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος κυρίων, nomen scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium] Hoc est *nomen* illud *novum* quod innui diximus supra 3: 12. Vere *novum* si non ius spectes, sed iuris eventum. Nabuchodonosor hoc nomen Deo dat postquam audivit destructionem Regnorum, Dan. 2: 47.

17. *Καὶ εἶδον ἕνα ἄγγελον ἑστῶτα ἐν τῷ ἡλίῳ, et vidi unum Angelum stantem in sole*] Significatur valde conspicuum fore id quod hic Angelus nunciat.

Καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ, λέγων πᾶσι τοῖς ὀρνέοις τοῖς πετωμένοις ἐν τῷ μεσουρανήματι, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus quae volabant per medium coeli] In aëre, ut supra 8: 13, 14: 6. Sumpta haec ad volucres poetica allocutio ex Ezech. 39: 17 et seqq. Paria habes Ier. 12: 9. Adde 1 Sam. 17: 46 et Esai. 18: 6, Ier. 7: 33.

Δεῦτε, συνάχθητε, venite, congregamini In Ezechiele *συνάχθητε καὶ ἔρχεσθε [congregamini et venite]*. Similis allocutio Ier. 12: 9.

Εἰς τὸ δεῖπνον τὸ μέγα τοῦ Θεοῦ, ad coenam magnam Dei] Deus apud Ezechielem, *ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἣν τέθυκα ὑμῖν, θυσίαν μεγάλην [ad victimam, quam immolavi vobis, victimam grandem]*. Post sacrificium sequi solebant epulae: ideo sequitur apud Ezechielem, *ἐπλήσθητε τῆς τραπέζης μου [saturabimini ad mensam meam]*. Ita hic vocatur strages magna. Adde Esai. 25: 6, 34: 6.

18. *Ἵνα φάγητε σάρκας βασιλέων, ut comedatis carnes regum*] In Ezechiele, *κρέα γιγάντων φάγεσθε [carnem gigantum comedetis]*. Intelligendum id hic de Iuliano, Anatolio, et aliis quos Persae occiderunt. Iuliano digiti abscissi in terram cecidere esca volucribus. Vide Zosimum et Ammianum ipsum. *Βασιλεῖς* nostris Scriptoribus vocantur etiam Praefecti.

Καὶ

Καὶ σάρκας χιλιάρχων, καὶ σάρκας ἰσχυρῶν, et carnes tribunorum et carnes fortium] In Ezechiele, *καὶ αἷμα ἀρχόντων τῆς γῆς πίεσθε* [*et sanguinem principum terrae bibetis*]. Milites vocantur גבורים, id est, *ἰσχυροί*, Ier. 46: 5.

Καὶ σάρκας ἵππων καὶ τῶν καθημένων ἐπ' αὐτῶν, et carnes equorum et sedentium in ipsis] In Ezechiele, *ἵππον καὶ ἀναβάτην* [*equum et equitem*].

Καὶ σάρκας πάντων ἐλευθέρων τε καὶ δούλων, μικρῶν τε καὶ μεγάλων, et carnes omnium liberorum et servorum, et pusillorum et magnorum] Similis partitio supra 13: 16.

19. *Καὶ εἶδον τὸ θηρίον, et vidi feram*] Idololatriam.

Καὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς, et reges terrae] Iulianum cum suis proceribus.

Καὶ τὰ στρατεύματα αὐτῶν συνηγμένα, et exercitus eorum congregatos] Nam et exercitibus in Christianos usus Iulianus. Vide quae adducta libro II de Iure Belli ac Pacis cap. 26. § 3.

Ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου, ad faciendum praelium cum illo qui sedebat in equo] Hic *ποιῆσαι* est in sensu plusquamperfecto. *Videbam eos intulisse bellum Christo.* Sic intelligebam causam illius cladis. Hebraei uno praeterito pro omnibus utuntur. Unde saepe praeterita vel *ἀόριστοι* verti debent per plusquamperfectum. Notavimus hoc ad Matth. 14: 3 et ad complura loca Veteris Testamenti.

Καὶ μετὰ τοῦ στρατεύματος αὐτοῦ, et cum exercitu eius] In Ecclesiam, supra 13: 6. *Μετὰ* hic hostilitatem significat, ut supra 2: 16, 11: 7, 12: 17, 13: 4, 7, 17: 14.

20. *Καὶ ἐπιάσθη τὸ θηρίον, et apprehensa est fera*] Idololatria publica imperii. *Ἐπιάσθη* תפש. In praelio quidam occiduntur, quidam capiuntur, de quibus postea indicium fit.

Καὶ μετ' αὐτοῦ ὁ ψευδοπροφήτης, et cum ea Pseudopropheta] Est hic iterum singularis pro plurali, quia designatur universitas falsorum Doctorum; quomodo et *δύο μάρτυρες* [*duo testes*] et *δύο προφῆται* [*duo prophetae*] supra 11: 3, 10. In Manuscripto etiam clarius patet quod dicimus: scribitur enim, *καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, ὁ ψευδοπροφήτης* [*et qui cum ea, Pseudopropheta*], per *σύνθεσιν* [*constructionem rem non voces spectantem*]. Inter illos autem

falsos Doctores praecipuus fuit Iamblichus, Magicis artibus clarus, qui semet veneno interemit. Narrant id in Historia Socrates, Sozomenus, Zonaras, Paulus Diaconus.

Ὁ ποιήσας τὰ σημεῖα ἐνώπιον αὐτοῦ, qui fecit signa coram ipsa] Id est, in honorem Idololatriae, ut supra 13: 12. Iamblichum in aërem raptum narrat Eunapius: in balneo subito apparere duos pueros, quos vocabat *Ἔρωτα καὶ Ἀντέρωτα* [*Erotem et Anterotem*], fecit, multaque alia eiusmodi.

Ἐν οἷς ἐπλάνησε τοὺς λαβόντας τὸ χάραγμα τοῦ θηρίου καὶ τοὺς προσκυνοῦντας τῇ εἰκόνι αὐτοῦ, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem ferae et qui adoraverunt imaginem eius] Iulianum et alios aut ad idololatriam traduxit aut in idololatria confirmavit. Vide Nazianzeni Orationem alteram in Iulianum. Iterum *εἰκόνι* singulare pro plurali, ut supra 13: 14, 15, 14: 9, 11, 15: 2, 16: 2. Quid sit *χάραγμα* diximus 13: 16, 17, 14: 9, 11, 15: 2, 16: 2.

Ζῶντες ἐβλήθησαν δύο εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν θείῳ, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure] Repetitur idem hoc infra 20: 10, ubi et *Diabolus* additur. Intelligit Idololatriam et doctrinam idololatricam publice sic exstinctam ut eius non magis quicquam appareret quam rei combustae, puta Sodomorum et vicinarum urbium. Sic Regna quatuor *quasi in favillam redacta* ait Daniel 2: 35. Vide infra 20: 14, ubi par locutio de Morte et Inferno, et comparationem non dissimilem Esai. 30: 14. Ignis sulphuratus vehementior aliis, Ps. 11: 6, Esai. 34: 9. Vide supra 9: 17. Theodosius Magnus sustulit sacrificia publica Paganorum. Contra Magos leges sunt Valentiniani et Valentis, item Theodosii Magni et Arcadii.

21. *Καὶ οἱ λοιποὶ, et caeteri*] Clandestini idololatrae, qui multi fuere ad tempora Iustiniani. Vide Procopium Arcana historia.

Ἀπεκτάνθησαν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου τῇ ἐξελθούσῃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit ex ore ipsius] Decreto Christi, qui ad id Iustiniano usus est ut morte puniret idololatras. Lex ea est Graeco sermone scripta, et ultimum

mum habuit locum titulo Codicis, de Paganis. Meminit eius ex dicto libro Procopius.

Καὶ πάντα τὰ ὄρνεα ἐχορτάσθησαν ἐκ τῶν σαρκῶν αὐτῶν, et omnes aves saturatae sunt carnibus eorum] Sic,

Pasces in cruce corvos,

dixit Horatius. Adde Gen. 40: 19, 2 Sam. 21: 10.

CAPUT XX.

1. *Καὶ εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et vidi Angelum descendentem de coelo*] Aliud est Visum, significans tranquillitatem quae Ecclesiis per Constantinum erat primum data, aucta per successores, fore quidem longam, non tamen usque ad mundi interitum. *Descensus Angeli de coelo* magnum Dei beneficium significat, ut supra 3: 12, infra 21: 2, 10, alibi iudicium, ut 10: 1.

Ἔχοντα κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, habentem clavem abyssi] Id est, *profundi carceris*. Supra 9: 1, 2, Luc. 8: 31. Et haec ipsa interpretatio huius vocis ponitur infra 7.

Καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ, et catenam magnam manu sua] Solent enim sontes vinciri, ut in carcerem ducantur, ne elabi possint.

2. *Καὶ ἐκράτησε, et apprehendit*] Nempe ista catena.

Τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐςι Διάβολος καὶ Σατανᾶς, draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus et Satanas] Repetitum ex loco qui supra 12: 3, 9, ubi dicta vide. In Manuscripto rursus est rectus pro obliquo, frequens Iohanni, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος.

Ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, qui seducit universum orbem] Repetitum ex eodem loco. Et est hic πλανῶν positum pro πλανήσας [*qui seduxit*], more Hebraeorum, qui cum participia praeterita non habeant, praesentibus pro omni tempore utuntur.

3. *Καὶ ἔδησεν αὐτὸν χίλια ἔτη, καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισε, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum et clausit*] Transpositio et simul Hebraea locutio, pro quo dicere liceat, καὶ δεθέντα αὐτὸν καὶ βληθέντα εἰς τὴν ἄβυσσον ἔκλεισεν εἰς χίλια ἔτη [*et li-*

ga-

gatum eum et missum in abyssum, conclusit per annos mille]. Sic religatur et concluditur Daemon, ne noceat, Tob. 8: 3. Apud Valerium Maximum I. 7, 6 est somnium de Dionysio ferreis catenis vincto ad Iovis solium, deinde soluto vinculis multarum urbium cum exitio. Libertas autem hic intelligenda illa ἐξουσία [*potestas*], de qua actum supra 13: 3, saevitiam suam in Christianos exercendi per idololatriam Romanam sive per Principes idololatras; ideoque *mille* istorum *annorum* initium duci debet ab Edicto Constantini quod est apud Eusebium, in quo *vincti Draconis* est mentio. Romani autem Imperatoris exemplum secuti sunt Reges, alii citius, alii serius, sicut ante Imperatorum saevitiam in Christianos imitati fuerunt. Ad *mille annos felices* Iudaei referunt loca Dan. 7: 25, 8: 14, ubi Iacchiadem vide: Esai. 11: 6 et seqq., 60: 18, 22, 65: 19, 20. Vide Iustinum Colloquio cum Tryphone. *Anni mille felices* per secundum Adamum respondent annis ferme mille per quos duravit Adami prioris miseria.

Καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, et obsignavit super illum] *Carcerem obsignavit*, ne quis aperiret. Vide Dan. 6: 17. In Manuscripto, *καὶ ἐσφράγισεν ἐμμενῶς αὐτόν* [*et signavit firmiter eum*].

Ἵνα μὴ πλανᾷ ἔτι ἔθνη] *Gentes*, nempe quae imperii Romani fuerunt. *Ne deciperet*, nempe eas inflammando ad caedem piorum. Vide infra 7.

Ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, donec consummentur mille anni] Tunc enim alia erat suscitaturus mala, de quibus infra 7.

Καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον, et post haec oportet illum solvi in exiguum tempus] Diximus supra 1: 3 *exiguum tempus* in Prophetis dici annos etiam quingentos. Sed ibi comparatio fit ad durationem populi Iudaici, hic ad durationem mundi.

4. *Καὶ εἶδον θρόνους, et vidi sedes*] Nempe ut olim Dan. 7: 9.

Καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτούς, et sederunt super eas] Nempe iidem qui apud Danielem, Deus et Angeli praecipui velut adsessores Dei, qui Decreta Dei subsignant, Dan. 4: 17. Sed addendus hic ex natura Novi Testamenti

Chris-

Christus, medio inter Deum et Angelos loco: quod ipsum satis intelligitur ex eo quod infra est 22: 1 et 3. Hebraei autem saepe verba ponunt, subintellectis nominativis. Quod vero hic dicitur ad sequentia pertinet, ut norimus factum iustissimo Dei iudicio, ab Angelis approbato, quod Martyribus data est praerogativa quaedam resurrectionis, nec dilata est illorum gloria ad iudicium usque universale. Quae toto hoc capite dicuntur fere omnia erant in Iudaeorum traditionibus, de Duabus resurrectionibus, de Mille annis felicibus inter utramque, de Bello Gogi et Magogi: de quibus videri possunt Targum Megilla II. 12. Abenesdra et Saadia ad Danielem, Vaiicra Rabba c. 28, et alii, Hieronymus fine libri quinti ad Esaiam, initio libri 15 ad eundem, et initio libri 18, et ad Ezechielis cap. 36. Sed ostenditur hic sensus esse alius quam Iudaei putabant, ut et de novis Hierosolymis: quod non bene intellectum multis occasionem dedit Apocalypsin reiiciendi, tanquam opus Cerinthi aut alterius Iudaizantis.

Καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, et animas decollatorum propter testimonium Iesu et propter verbum Dei] Intelligit *interfectos propter testimonium de rebus Christi, simulque ob doctrinam ipsius.* Similis locutio 1: 2, 9, 6: 9, quo loco dixerat ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων τῶν ἐσφαγμένων [*animas hominum interfectorum*], pro quo hic τῶν πεπελεκισμένων, nempe specie frequentiore posita vice generis. Frequentissimum enim apud Romanos securis supplicium: ideo Magistratus incedebat cum securibus. Pro πεπελεκισμένων tamen in Manuscripto est τῶν πεπολημένων. Sed puto Scribam scribere voluisse, πεπολεμημένων. Dicuntur bene Graece πολεμεῖσθαι qui *bello impetuntur.* Et πόλεμον ποιεῖν pro *atrociter persequi* habuimus iam aliquoties, ut 11: 7, 12: 17, 13: 7.

Καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ οὔτε τῇ εἰκόνι αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔλαβον τὸ χάραγμα ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν, et qui non adoraverunt feram, neque imaginem eius, neque acceperunt characterem in frontibus aut in manibus suis] Illud καὶ οἵτινες est quasi dicas, *qui iidem*, ut Esai. 62: 8 et alibi. Describit eos pri-

primum ex actibus positivis, nunc et negativus. Non tantum testimonium reddiderunt de Christi vita, morte et resurrectione, doctrinamque eius sparserunt quam latissime poterunt, sed et abstinuerunt ab omni actu qui cum ea doctrina pugnaret, quales adhuc sunt, *sacra facere Diis falsis, ad eorum imagines procumbere, notas sumere in fronte aut manu.* Iam ante aliquoties vidimus *προσκυνεῖν τῷ θηρίῳ* esse *servire idololatriae*, et *εἰκόνι* esse singulare in sensu multitudinis, et per speciem *χαράγματος* intelligi totum genus, sub quo sunt et nomina expressa, et per numeros significata. Vide supra 12. Quod autem dicit eos ab his abstinuisse intelligendum est, cum tamen spe vitae et mortis et cruciatuum metu tentarentur.

Καὶ ἔζησαν, et vixerunt] Animae quae sunt בשאול, *ἐν ᾅδου* [*in inferno*] non dicuntur *ζῆν*, sed eae demum quae *translatae sunt sub solium gloriae*, ut loquuntur Hebraei. Sic vocant perfectissimum statum animarum ante resurrectionem universalem. *Μαρτύρων ἀθρόα κατὰ τὴν πρᾶξιν μετάνοια ἀποκάθαρσις ἁμαρτιῶν μετὰ δόξης* [*Martyrum et subita nec eo minus tamen absoluta poenitentia, cum sit vera vitae ac morum emendatio, gloriosa peccatorum expiatio est*], ait Clemens Alexandrinus. Tertullianus vero: *Ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.*

Καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ τοῦ Χριστοῦ χίλια ἔτη, et regnaverunt cum Christo per mille annos] Sicut Christus ex coelo in terras regnat, sic et Martyres sub Christo, nempe per dona sanationum quae conspiciebantur apud ipsorum memorias, et per honorem quem ipsis Ecclesiae palam habuere. Ante tempora Constantini neque tutum erat ad monumenta Martyrum concurrere, et vigente Paganismo metui poterat ne honor Martyrum a Paganis in superstitionis suae defensionem raperetur. Quod autem additur *χίλια ἔτη*, eo pertinet ut sciamus post mille illos annos a multis imminui coepisse honorem Martyrum, ab iis scilicet qui pietatis partem in eo posuerunt, si loca Martyrum memoriae dicata frangerent, et sanationum veteres historias fabulis accenserent: quas ad res non le-

levis occasio data est ab iis qui falsa miracula commiscebantur, quique in Martyrum honore non servabant eum modum quem vetus Ecclesia servaverat.

5. *Καὶ οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν, et caeteri mortuorum*] Praeter Martyres scilicet, aut si quos Dei gratia Martyribus aequavit.

Οὐκ ἔζησαν ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, non vixerunt, donec consummentur mille anni] *Οὐκ ἔζησαν*, id est, mansere *ἐν ᾅδου*, in eo statu qui congruens erat vitae in seculo actae. Cum autem dicit *per mille annos*, intelligendum est, ut durantibus illis Gogi et Magogi bellis quae supra mille annos excurrunt.

Αὕτη ἡ ἀνάστασις πρώτη, haec est resurrectio prima] Illa Martyrum in coelum evectio potest *ἀνάστασις* dici, id est, תקומה. Vide Lam. 3: 63 et Hebr. 11: 35.

6. *Μακάριος καὶ ἅγιος ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ, beatus et sanctus qui habet partem in resurrecrectione prima*] *Sanctus* hic idem quod *semotus ab omni malo*. Omne enim quod inviolabile est *sanctum* dicitur.

Ἐπὶ τούτων ὁ δεύτερος θάνατος οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, in hos secunda mors non habet potestatem] *Mortis secundae* mentio apud Onkelosum Genesis fine et Deut. 33: 16, et apud Ionathanem Esai. 22: 14, et passim apud Rabbinos. De eadem agi capite primo et secundo Sapientiae diximus ad ea loca. Vide quae supra 2: 2 et infra 21: 8.

Ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ, sed erunt sacerdotes Dei et Christi] Sicut olim Deus preces Sacerdotum exaudiebat pro populo, ita nunc preces Martyrum exaudit pro Ecclesia.

Καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ χίλια ἔτη, et regnabunt cum illo per mille annos] Ubique in terris publice honorabuntur ut Reges.

7. *Καὶ ὅταν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, et cum consummati fuerint mille anni*] Constantini Edictum pro Christianismi libertate datum fuit circa annum Christi CCCXI. Mille post annis orta est domus Ottomannica, quae non in Persidem aut oras Romani imperii, sed in partes eius intimas atque potissimas, in Asiam Graeciamque, invexit Mahumetis religionem, Satanae repertum.

Αυ-

Λυθήσεται ὁ Σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ, solvetur Satanas de carcere suo] Φυλακὴν vocat quod ante ἄβυσσον. Sub quibus verbis significatur saevitiae Diabolicae coërcitio. *Qui peccat Diabolum vinctum liberat;* est in libro de Vita ac Morte Mosis. Sic mala illa Ecclesiae evenere quo tempore gravissimum schisma ex ambitione ortum est Romae: et ii fuere mores qui et secutis postea schismatibus occasionem dedere. Propterea adversus priorum temporum mala, quae tantum Christianorum ostendebant virtutem, multa allata vidimus solatia: adversus haec nulla nisi finem seculi. Haec enim sunt illa tempora de quibus loquitur Christus Luc. 18: 8, Matth. 24: 12.

8. *Καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, et exibit ut seducat Gentes quae sunt in quatuor angulis terrae*] Id est, ad saevitiam excitare, ut supra 2. *In quatuor angulis*, id est, ab omni parte, Iob. 1: 19, Ezech. 43: 20, 45: 19, supra 7: 1. Sic et *a quatuor ventis*, Marc. 13: 27, supra 7: 1.

Τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ, Gog et Magog] Ex Ezech. 38 et 39, ubi eundem notari gemino nomine, Antiochum scilicet in Asia Syriaque regnantem, ad eum locum ostendimus. At Rabbini plerique ea omnia referunt ad finem mundi. Ostendit Apocalypsis in ea traditione non minus quam in aliis aliquid subesse veri. Hic ergo per *Gogum* intelligenda domus Ottomannica, quae primum in ea parte Asiae se ostendit quae olim *Gygaea* dicta, et Reges *Gygae* aut *Gypidae*, id est, in Lydia locisque vicinis. Sic et Sibyllina Poemata veterum Christianorum *Gog* exponunt *Pamphylos* et *Lydos*. Per *Magog* autem hic intelligitur, non urbs Syriae, sed ea gens unde ipsa urbs Syriae nomen accepit, ut et *Scythopolis*, nempe gens Scythica: et sic sensisse sui temporis Iudaeos ait ad Ezechielem Hieronymus. Iosephus: *Μαγώγης δὲ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ᾤκισε, Σκύθας δὲ ὑπ' αὐτῶν προσαγορευομένους [Magoges vero Magogarum ab se denominatorum fuit auctor, qui ab ipsis vocantur Scythae*].

Συναγάγειν αὐτοὺς εἰς τὸν πόλεμον, ut congreget eos in praelium] Nempe ad evertenda vel occupanda aedificia sacra Martyrumque memorias.

Ὧν

Ὧν ὁ ἀριθμὸς ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, quorum numerus est sicut arena maris] Ingentes exercitus. Quod numeri est ingentis arenae comparatur, ut diximus Gen. 22: 17, 32: 12, 41: 49. Sic ψαμμακόσια [*vel arenam numero superantia*] dixit Aristophanes. In Manuscripto cum Hebraismo, ὧν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν [*quorum numerus eorum*].

9. *Καὶ ἀνέβησαν ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς γῆς, et adscenderunt super latitudinem terrae*] Late suos terminos extenderunt illi qui Asiam tenebant. Sic πλάτος τῆς χώρας Esai. 8: 8. Praeteritum pro futuro, sed quasi praesenti. Ἀνέβησαν est vox militaris 1 Sam. 11: 1, 1 Reg. 20: 1, Esai. 36: 1, 10.

Καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων] *Undique includent suis castris Dei castra*, id est, septem illas Ecclesias quibus praecipue dedicata est haec Apocalypsis. Sumpta locutio ex Dan. 8: 10. צבא השמים [*exercitus coelorum*]. Vide supra 13: 6.

Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην, et civitatem dilectam] Capient et Constantinopolim, quam *Sionem novam* dicunt Graeci, non immerito. Nam egregii ibi fuere Episcopi et Presbyteri, plebs religiosa, Principes eximie Christiani. Huius urbis aedem toto orbe Christiano pulcherrimam, dictam *Sophiae*, Mahumetes secundus Ottomanicae stirpis Princeps Christianis ablatam Mahumetismo propriam fecit anno Ghristi, ut censent viri doctissimi, CIƆCCCCLIII.

Καὶ κατέβη πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ κατέφαγεν αὐτούς, et descendit ignis a Deo de coelo, et devoravit eos] Sumptum ex loco Ezech. 38: 21, 22 et 39: 6. Solent Prophetae *ignis* voce uti cum celerem designant exitum, ut de Sennacheribi clade Esaias 9: 5, 10: 16, 26: 11. Cum haec res nondum evenerit, exspectandus erit Turcico Regno exitus non dissimilis ei quem habuere exercitus Sennacheribi, aut Antiochi Illustris.

10. *Καὶ ὁ διάβολος ὁ πλανῶν αὐτοὺς ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς καὶ θείου, et Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris*] Quo ministeria eius praecesserant, ibit ipse: nec iam vinculis coërcebitur eius potestas, sed plane auferetur, nullis manentibus reliquiis. Vide quae dicta supra 19: 20. *Angelos peccantes mitti a Deo in stagnum ignis* est in Echa Rabtha.

'O πλανῶν αὐτοὺς; is qui Gogum et Magogum contra Christianos incitaverat. Vide supra 3 et 8. De *sulphure* dictum supra 19: 20.

"Οπου καὶ τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, ubi et fera et Pseudopropheta] Vide supra dicto loco 19: 20.

Καὶ βασανισθήσονται ἡμέρας καὶ νυκτὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et torquebuntur die ac nocte in secula seculorum] Tormentis malae conscientiae; ut supra 14: 10, et praeterea poenis quas Deus reddiderit. Vide quae dicta a nobis ad Matth. 25: 46. Sic *irrisores Dei ac Legis aeterna sensuros supplicia* aiunt Hebraei. *Torquebuntur*, nempe *Diabolus*, *Gog* et *Magog*.

11. *Καὶ εἶδον θρόνον μέγαν λευκὸν, καὶ τὸν καθήμενον ἐπ' αὐτοῦ, et vidi thronum magnum et candidum, et sedentem super eum*] Christum, cui hoc iudicium Deus tradidit Ioh. 5: 22, Act. 17: 31. *Λευκὸν* hic intellige *splendidum cum maiestate*. Vide supra 3: 4, 5, 18, 4: 4. Quorumdam ergo poena iudicium illud ultimum antecedet, sicut Martyrum gloria antecedit idem iudicium. Vide quae allata ad Matth. 25: 32.

Οὗ ἀπὸ προσώπου ἔφυγεν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, a cuius conspectu fugit coelum et terra] Abiit vetus haec rerum conditio. Vide quae dicta ad Rom. 8: 21, 22, 2 Petr. 3: 7.

Καὶ τόπος οὐχ εὑρέθη αὐτοῖς, neque locus iis est inventus] Ex Graeco Danielis de statua 2: 35. Similis locutio supra 12: 8.

12. *Καὶ εἶδον τοὺς νεκροὺς, τοὺς μεγάλους καὶ τοὺς μικροὺς, ἑστῶτας ἐνώπιον τοῦ θρόνου, et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni*] Christianos, iudicandos scilicet secundum Euangelii leges, Rom. 2: 16.

Καὶ βιβλία ἠνεῴχθησαν, et libelli aperti sunt] Ex Dan. 7: 10. Per *libellos* intellige acta litis: per acta autem litis, hominum cogitata, dicta, facta. Ex his apparebit quam recte alii libro Vitae inscripti fuerint, alii non scripti aut deleti. Sic Reges commentarios habere solebant rerum gestarum, Esth. 6: 1, Mal. 3: 16. Eodem respicit locus Esai. 65: 6. Multa sunt apud gentes dissitas similiter dicta, non quod alius ab alio sumpserit, sed quod cogitata similia multis incidant. Graeci dicebant, *ἀδικήματα γράφεσθαι ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς* [*iniurias*

riae Iovis pugillaribus inscribi]. Discimus id ex Theodecte.

Καὶ ἄλλο βιβλίον ἀνεῴχθη, ὅ ἐςι τῆς ζωῆς, et alius liber apertus est, qui est vitae] Hic liber est velut matricula civium Regni coelestis, unde nomina legentur eorum qui ad mortem usque in ea matricula scripti permanserint. Deletorum nulla habebitur ratio, quia ius quod habuerant amisere.

Καὶ ἐκρίθησαν οἱ νεκροὶ ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν, et iudicati sunt mortui ex iis, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum] Id est, Iudicium perscriptum in libro Vitae de eis pronuntiatur, apparetque ex actis id iudicium operibus ipsorum externis et internis esse congruens.

13. *Καὶ ἐδώκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκροὺς, et dederat mare mortuos qui in eo erant*] Hic ἐδώκεν est plusquamperfectum, quale et supra notavimus 19: 19. Omnes partes naturae sua deposita exhibebant. Notant Scholiastae ad Homerum veteres exhorruisse naufragii mortem, quod animas, utpote igneas, a vi humoris crederent exstingui. Nihil hoc est. Omnia in Christi sunt manu: nec refert ubi mortem obierimus, sed quales.

Καὶ ὁ θάνατος, et mors] Qui morbo erunt mortui itidem exsurgent. Θάνατος ita sumi solet, genus in sensu speciei. Diximus de eo supra 6: 8.

Καὶ ὁ ᾅδης, et infernus] Hoc caeteros omnes mortuos complectitur, qui aut violento fato aut senectute obierint, Et per προσωποποιΐαν [*personae fictionem*] ostenduntur Mare, Mors, Ἅιδης quasi debitores depositi. Habes Mortem et Ἅιδην in personarum modum depictas et Esai. 28: 15, 18 et 38: 18.

Ἔδωκαν τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς] Ἔδωκαν *exhibuerant suos mortuos*; id est, quibus illa ipsa causam dederant mortis. Marcellus Eprius dicebat: *Quid tibi cum meis mortuis?*

Καὶ ἐκρίθησαν ἕκαςος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν, et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum] Nullo discrimine fati quo vitam hanc amiserant.

14. *Καὶ ὁ θάνατος, καὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς, et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis*] Pertexit προσωποποιΐαν [*personae fictionem*], et sig-

significat post iudicium nullam in eos secundum quos lis erat data, fore vim aut morborum aut mortis. Quod de Christo dicitur Hebr. 7: 28, Rom. 6: 9. Adde locum huic persimilem 1 Cor. 15: 54.

Οὗτός ἐςιν ὁ θάνατος δεύτερος, ἡ λίμνη τοῦ πυρὸς, haec est mors secunda, stagnum ignis] Vide supra 6 et ibi dicta.

15. *Καὶ εἴτις οὐχ εὑρέθη ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς γεγραμμένος ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς, et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis*] Qui in Christo diem non obierit, is mortem secundam non evadet. Non sufficit scriptum aliquando fuisse in Vitae libro: opus est ut scriptus ibi quis reperiatur iudicii tempore. Per *λίμνην* hic et supra intelligitur magna quaedam capacitas. Vide Zach. 9: 11, ubi in Hebraeo בור, in Graeco *λάκκος*, in Latino *lacus*. Vide et Gen. 37: 20, 28, 29, ubi in Latino non minus improprie ponitur nomen *cisterna*.

CAPUT XXI.

1. *Καὶ εἶδον οὐρανὸν καινὸν καὶ γῆν καινήν, et vidi coelum novum et terram novam*] Est aliud Visum, sed quod occasionem sumpsit ex viso priore. Quo magis credatis summam illam felicitatem seculi futuri, aliquam eius imaginem Deus nobis dedit in florentissimo Ecclesiae statu qui fuit a temporibus Constantini ad tempora usque Iustiniani. Fuit quidem Christianorum tribus primis seculis magna pietas, sanctitas, constantia: sed multorum virtutes tegebantur iis ipsis latebris quibus ipsa Ecclesia tegebatur. Postquam vero secundum vetera Vaticinia accessit Ecclesiae tutela Principum, illustres admodum et conspicuae fuere Christianorum virtutes. Ad pietatem accessit eruditio et eloquentia multorum Episcoporum: constituta est certior regiminis et consonantium rituum forma decretis Conciliorum Universalium: denique tanta facta est mutatio ut ea Prophetico more *coeli novi* et *terrae novae* nomine recte nuncupari posset. Nam et Esaias eadem verba usurpaverat ad describendum sta-

statum illum felicem populi Iudaici post debellatas Antiochi copias 65: 17, quod clarius patet collato loco eiusdem Prophetae 66: 22. Coelum ipsum favit humano generi ob Ecclesiam florentem, sicut de Theodosio Magno dictum est:

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Terra non ultra impurata fuit, innocentium, et piorum sanguine. Saepe Scriptura res principales et rerum principalium praesagia paribus insignit nominibus.

Ὁ γὰρ πρῶτος οὐρανὸς, primum enim coelum] Coelum illud quod pestilentiam famemque immiserat, supra 16: 2, 8.

Καὶ ἡ πρώτη γῆ παρῆλθεν, et prima terra transiit] Terra non ultra bibit innocentum, ut dixi, sanguinem. In Manuscripto *ἀπῆλθεν*, ut infra 4.

Καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἔτι, et mare iam non est]. Ingens illa idololatrarum multitudo non mansit; Mansere tantum flumina et fontes, et haec quoque paulatim exaritura. Vide supra 8: 10, 14: 7, 16: 4. In Manuscripto, *καὶ τὴν θάλασσαν οὐκ εἶδον ἔτι* [*et mare non vidi amplius*].

2. *Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ εἶδον καταβαίνουσαν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et vidi sanctam civitatem Hierosolyma descendentem de coelo a Deo*] In Manuscripto *Ἱερουσαλὴμ καινὴν* [*Hierosolyma nova*], quomodo legit et Latinus. *Τὴν ἁγίαν*, ירושלם עיר הקדש, Esai. 52: 1. *A Deo descendere* dicuntur ea quae in terris magno Dei beneficio eveniunt, Ioh. 3: 13, hoc libro supra 10: 1, 18: 1. Huius visi mentio *κατὰ πρόληψιν* [*per anticipationem*] facta supra 3: 12. Vide quae ad omnia illa loca diximus. Nolite, Christiani, lugere Hierosolyma excisa, deinde restituta in formam veteri minorem. Habebitis *Hierosolyma nova*, id est, mystica. Ita enim vox *καινοῦ* sumitur Matth. 26: 29, ubi de ea et similibus locutionibus egimus. Etiam Paulus Gal. 4: 26 Ecclesiam Christianam vocat *Ἱερουσαλὴμ τὴν ἄνω* [*quae sursum sunt Hierosolyma*]. Verum hic ea cum novo cultu procedit, late conspicua et fulgore suo hostibus aciem oculorum praestringens, nomen originis suae, quae est *pacis visio*, duplici modo praeferens, conscientiae tranquillitate, ac praeterea singulari Dei tutela per Principes omnia ei tuta

praestantes, secundum id quod iam olim Ecclesia Deum rogaverat 1 Tim. 2: 2. Sed his temporibus erat reservatum.

Ἡτοιμασμένην ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, *paratam sicut sponsam ornatam marito suo*] Quod ante de Ecclesia quae erat in familia et comitatu Constantini conspectum fuerat, supra 19: 17, id longius procedente Principum cura in toto illo Ecclesiae per Romanum imperium diffusae corpore apparuit. Processit in publicum ornata ut novae nuptae solent, mariti sui potentiam omnibus modis ostendens. Τῷ ἀνδρὶ, id est, *in honorem mariti*. Alluditur ad Esai. 54: 5 et seqq.

3. Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *et audivi vocem magnam ex coelo*] *Ex summo coelo*, id est, a Christo. In Manuscripto ἐκ τοῦ θρόνου [*de throno*].

Λεγούσης, Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, *dicentem, ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis*] Id est, ἐν ῇ σκηνώσει [*in quo habitabit*]. Vide supra 13: 6. Magnifica fuit Dei habitatio in Tabernaculo per Mosem structo, Lev. 26: 11. At multo haec magnificentior, Ioh. 1: 14. Sumpta haec et sequentia ex Ezech. 37: 27. Solent urbes sub nomine *tentoriorum* exprimi, ut Esai. 33: 20, 54: 2.

Καὶ αὐτοὶ λαὸς αὐτοῦ ἔσονται, *et ipsi populus eius erunt*] Illi qui in Ecclesia erunt palam et aperte Deo servient.

Καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔςαι μετ' αὐτῶν, *et ipse Deus cum eis erit*] Sensus est, *Deus eos tutabitur*. De hac locutione vide Luc. 1: 28, Matth. 28: 20.

4. Καὶ ἐξαλείψει πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, *et absterget omnem lacrymam ab oculis eorum*] Vide supra 7: 17. Felicitas illa facile abolebit veterum malorum memoriam. In Manuscripto ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν, quomodo et supra.

Καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔςαι ἔτι, *et mors ultra non erit*] Pestilentia et morbi ob idololatriam publicam immissi cessabunt. Vide supra 6: 8 et 16: 2. Par locutio apud Esaiam 25: 8, de temporibus Ezechiae, unde et illa verba petita quae proxime praecessere. Magna fuit et virtutum et rerum similitudo inter Ezechiam et Theodosium Magnum.

Οὔτε

Οὔτε πένθος] *Nullus luctus* Christianorum ob fratres eorum per Iudicum saevitiam interfectos, qualis fuerat super Stephano, Act. 8: 2.

Οὔτε κραυγὴ, neque clamor]. Nulla seditio populi contra Christianos. Hoc sensu *κραυγάζειν* habes Ioh. 18: 40; 19: 6. Non ultra clamabunt, *Christianos ad leonem*, et; *Usquequo genus tertium?* Applicatio loci Esai. 65: 23.

Οὔτε πόνος οὐκ ἔςαι ἔτι, neque dolor erit ultra] Non amplius agentur Christiani in carcerem, in metalla, in latomias. *Πόνον* pro *molestia* aut *dolore* habuimus et supra 16: 10, 11. Sic et Esai. 66: 7 et alibi.

Ὅτι τὰ πρῶτα ἀπῆλθεν, quia prima abierunt] In Manuscripto deest ὅτι.

Sed haec prius fuere: nunc recondita
Sedet quiete.

Transiere illa tempora Draconis Feram inspirantis. Sic ἀπῆλθεν habuimus et supra 18: 14, עבר.

5. *Καὶ εἶπεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου, et dixit qui sedebat in solio*] *In primo solio*, id est, Deus. Vide supra 4: 2, 9, 10, 5: 1, et alibi hoc libro saepe.

Ἰδοὺ καινὰ ποιῶ πάντα, ecce nova facio omnia] Habet haec verba Esaias 43: 19, ubi de populo agitur reduce ex Babylonia.

Καὶ λέγει μοι, Γράψον, et dixit mihi, Scribe] Ut supra 19: 9. Res magna est et bene retinenda.

Ὅτι οὗτοι λόγοι ἀληθινοὶ καὶ πιςοί εἰσι, quia haec verba fidelissima sunt et vera] Sic et dicto loco 19: 9. Mira sane sunt quae iam a Christo audisti, sed ita evenient. Sic et infra 22: 6. Dicuntur haec sincera fide: nec potentia deerit ad haec effecta danda.

6. *Καὶ εἶπέ μοι, Γέγονα τὸ Ἄ καὶ τὸ Ὦ, ἀρχὴ καὶ τέλος, et dixit mihi, Factus sum Ἄ et Ὦ, initium et finis*] Repetit dicta supra 1: 8. Arethas habet, *Γέγονα ἐγὼ* [*Factus sum ego*]. Et est *γέγονα* pro omni tempore, more Hebraeo.

Ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεὰν, ego sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis] In Manuscripto non est *τῆς πηγῆς*. Si in his promissis temporalibus fidus fui, ero et in aeternis, quorum haec imago et arrha sunt. *Aqua viva* מי חיים alibi Spiritum

significat, hic vero vitam ipsam aeternam, quia nunquam desinit, sicut aqua suo modo perpetuum fluit. *Dabo*, ait, *sitienti*, id est, avide vitam aeternam cupienti. Vide Matth. 5: 6 et ibi dicta. At cur addito *gratis?* Quia cum vitam aeternam dabit, nihil pro ea stipulabitur. At vitae aeternae honos etiam *merces* dicitur. Sic est, sed merces immensum maior opera. Pro aeterno bono Deus potuisset aeternas operas stipulari; contentus fuit operis non longi temporis. Nam vitae aeternae actiones praemia sunt, non opera.

7. *'Ο νικῶν, qui vicerit*] Qui nec metu nec voluptate vinci se patietur. Vide supra 2: 7, 11, 17: 26, 3: 5, 12, 21, 15: 2.

Κληρονομήσει ταῦτα] Sic et Manuscriptus κληρονομήσει, id est, *perpetuo iure possidebit*, quomodo res soli tenebantur apud Hebraeos. *Ταῦτα* est constructio magis rem respiciens quam verba, quia in illa *aqua viva*, id est, in vita, multa pariter intelliguntur bona.

Καὶ ἔσομαι αὐτῷ Θεὸς, et ero illi Deus] Id est, perpetuo ei benefaciam. Vide Matth. 22: 32. Pro eodem dicitur, *Ero illi Pater.*

Καὶ αὐτὸς ἔςαι μοι υἱὸς, et ille erit mihi filius] Id est, Mei similis erit aeterna beatitudine. Vide hunc nostrum in Euangelio 1: 12 et in Epistola 3: 2, Paulum Rom. 8: 23, Luc. 20: 36, Matth. 19: 28.

8. *Τοῖς δὲ δειλοῖς, timidis autem*] Id est, qui incommodorum metu Christianam professionem deseruerint.

Καὶ ἀπίςοις, et incredulis] Pari in causa erunt qui Euangelium recipere noluerunt, Ioh. 3: 36.

Καὶ ἁμαρτωλοῖς, et peccatoribus] Hoc abest in optimis libris.

Καὶ ἐβδελυγμένοις, et exsecratis] Sub hoc nomine significantur qui ἀρσενοκοῖται [*masculorum concubitores*] et μαλακοὶ [*molles*] 1 Cor. 6: 9. Vocatur id facinus תועבה Lev. 18: 22, Graece βδέλυγμα. Est autem hic more Hebraeo participium pro plurali. Eadem vox pari sensu in Graeco Os. 9: 10.

Καὶ φονεῦσι, et homicidis] Habes hanc vocem 1 Petr. 4: 15. Sic et φόνος inter crimina a Regno coelorum arcentia Gal. 5: 21.

Καὶ

Καὶ πόρνοις, et fornicatoribus] Sume ut 1 Cor 5: 9—11, 6: 9, Eph. 5: 5, 1 Tim. 1: 10. Adulteri hic vel praecipue comprehenduntur.

Καὶ φαρμακοῖς, et veneficis] Sic et Manuscriptus hoc loco, et infra 22: 15. Est vox sumpta ab interpretibus LXX, Exod. 7: 11, 9: 11, 22: 18, Deut. 18: 10, Ier. 27: 9, Dan. 2: 2, Mal. 3: 5. Vocari autem sic solent non tantum venefici sed et qui malis Magiae artibus utuntur. Φαρμακεῖα inter crimina memorata dicto loco Gal. 5: 20.

Καὶ εἰδωλολάτραις, et idololatris] Nam et quidam qui Christiani dici volebant contaminabant se thurificando, aut edendo de immolatitiis. Confer 1 Cor. 6: 9, Eph. 5: 5, 1 Tim. 1: 9, 10, et dictum ad Galatas locum.

Καὶ πᾶσι τοῖς ψευδέσι, et omnibus mendacibus] In Manuscripto καὶ πᾶσι τοῖς ψεύςαις. Sic et dicto ad Timotheum loco inter eos qui deplorati sunt ponuntur ψεῦςαι quo nomine diximus intelligi *eos qui pacta contractusve violant*, Esai. 68: 6.

Τὸ μέρος αὐτῶν, pars illorum] Subauditur verbum τηρεῖται [*reservatur*], quod ponitur 2 Petr. 2: 17, aut τίθεται [*ponitur*], quod cum nomine μέρος habes Matth. 24: 51, ubi dicta vide.

Ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ, in stagno ardenti igne et sulphure] Id est, *quae ardet igne sulphurato*. Vide supra 19: 20.

Ὅ ἐςιν ὁ θάνατος ὁ δεύτερος, quod est mors secunda] Vide supra 20: 14.

9. *Καὶ ἦλθεν εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας γεμούσας τῶν ἑπτὰ πληγῶν τῶν ἐσχάτων, et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis*] Sextus Angelus, qui Constantini victoriam nuntiaverat: quod initium fuit maximae huius mutationis.

Καὶ ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ, λέγων, Δεῦρο, et locutus est mecum, dicens, Veni] Sic supra 17: 1.

Δείξω σοι τὴν γυναῖκα τὴν νύμφην τοῦ ἀρνίου, ostendam tibi sponsam uxorem Agni] Id est, Ecclesiam Catholicam, quae modo ostensa fuit in specie novae Nuptae, ostendam tibi expressius sub forma Urbis monti imposi-

 tae,

tae, unde longe lateque conspici possit. Vide Matth. 5: 14, Esai. 2: 2, Ezech. 40: 2, ad quem locum maxime hic respicitur. *Γυναῖκα* hic est nomen sexus: nam libri optimi hanc vocem ponunt ante illud *τὴν νύμφην*.

10. *Καὶ ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι, et sustulit me in spiritu*] Eadem locutio quae supra 17: 3.

Ἐπ' ὄρος μέγα καὶ ὑψηλὸν, in montem magnum et altum] Nempe ut Iohannes urbem non eminus sed prope, nec extra tantum sed et intus conspiceret, simulque reminisceretur loci Esai. 2: 2. Conspiciebatur haec urbs sita in aequali montis planitie. Sic de via ad virtutem Hesiodus:

Μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δὲ εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.
[*Et longa huc et celsa simul via ducit euntem:*
Ardua principio, sed ubi est ad culmina ventum,
Incipiet molli sese submittere clivo.]

Καὶ ἔδειξέ μοι τὴν πόλιν, et ostendit mihi Urbem] Ita vocatur Ecclesia, quia est corpus quoddam communi regimine sociatum.

Τὴν μεγάλην] Recte *magnam* vocat, quae tam late se extendebat quam imperium Romanum. Sed *μεγάλην* abest in Manuscripto, ut et in Latino.

Τὴν ἁγίαν, Ἱερουσαλὴμ, sanctam, Hierosolyma] *Unam Ecclesiam sanctam*, ut est in Symbolo non uno. *Sancta* erat quae hic monstrabatur Ecclesia et per praecepta Christi et per disciplinam.

Καταβαίνουσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, descendentem de coelo a Deo] Supra 2.

11. *Ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ*] *Praeditam eo splendore quem Deus ei procuraverat.* Nam genitivus hic Causam efficientem designat. De voce *δόξης* saepe iam diximus. Describit Urbem totam multo pulchriorem Salomonis Templo.

Ὁ φωστὴρ αὐτῆς, lumen eius] Id est, vice solis. Nam Sol et Luna *φωστῆρες* Gen. 1: 14, 16, Sap. 13: 2. Inter haec duo astra cum potior sit lux solis, merito ei nomen *φωστῆρος* singulariter datur.

Ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι]

Id

Id est, Deus ipse, *qui in Eccelesia fulget ad modum pretiosissimi lapidis, nempe iaspidis*, nec cuiusvis iaspidis, sed *κρυσαλλίζοντος* [*crystallo similis*], de quo Dioscorides videndus V. 160. Deum ipsum hic describi apparet ex eo quod infra 24. Is autem iaspidi comparatur etiam supra 4: 3, nempe ob vim invictam, ut ibi diximus. Sed hic additur, *iaspidem* istam *crystallo* fuisse *similem*, ut intelligamus a Deo Ecclesiae conferri et robur et puritatem. *Iaspis* utriusque est generis. Itaque dici potest *κρυσαλλίζων* vel *κρυσαλλίζουσα*, sicut alia iaspis *ἀερίζουσα* [*aeri similis*] dicitur. Illud *ὡς* hic valet *nempe*.

12. *Ἔχουσαν τεῖχος μέγα καὶ ὑψηλὸν, et habebat murum magnum et altum*] Moenia excludunt hostem, cives tutos servant, Iob. 1: 10, Esai. 26: 1, Zach. 2: 5. Talis est in hac re doctrina Euangelii, *magna et sublimis*. In Manuscripto hic et in sequenti *ἔχουσα*, ut rursum sit rectus pro obliquo.

Ἔχουσαν πυλῶνας δώδεκα, atque portas duodecim] Aditus ad hanc doctrinam per promissa olim Patribus facta de Christo. *Πυλῶνες* פתחים.

Καὶ ἐπὶ τοῖς πυλῶσιν ἀγγέλους δώδεκα, et in portis Angelos duodecim]. Nempe eos Angelos qui Patribus apparuere.

Καὶ ὀνόματα ἐπιγεγραμμένα, ἅ ἐςι τῶν δώδεκα φυλῶν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, et nomina inscripta, quae sunt duodecim tribuum filiorum Israelis] In Manuscripto, *ἅ ἐςι τὰ ὀνόματα τῶν δώδεκα* [*quae sunt nomina duodecim*], etc. id est, nomina Patriarcharum, unde Tribus nomen dicunt. Quare *Iosephus* hic sumendus pro *Ephraim* et *Manasse*, ut Ezech. 48 31 et sequentibus.

13. *Ἀπὸ ἀνατολῶν πυλῶνες τρεῖς, καὶ ἀπὸ βοῤῥᾶ πυλῶνες τρεῖς, καὶ ἀπὸ νότου πυλῶνες τρεῖς, καὶ ἀπὸ δυσμῶν πυλῶνες τρεῖς, ab Oriente portae tres: ab Aquilone portae tres: ab Austro portae tres: et ab Occasu portae tres*] Ut ab omni parte eo pateat aditus, sicut olim ad urbes confugii. Quatuor isti cardines totum orbem significant, ut videre est Luc. 13: 29, hic supra 7: 1, 20: 8. *Ternae* autem *portae* in quoque cardine, ob professionem fidei in Patrem, Filium et Spiritum, sponsores salutis.

14. *Καὶ τὸ τεῖχος τῆς πόλεως ἔχον θεμελίους δώδεκα, et murus civitatis habens fundamenta duodecim*] Sicut fundamento innititur structura, ita fides Christiana testimonio Apostolorum, qui a Christo accepta orbi tradiderunt, ore omnes, quidam et scriptis implentes μυςικῶς [*sub figura*] verba Esaiae 58: 12.

Καὶ ἐπ' αὐτῶν δώδεκα ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποςόλων, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum] Id est, Per fundamenta significantur duodecim illi Apostoli de quibus agitur Act. 1. Ita Iohannes

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,

ut se Aeneas agnovit in tabula Didonis. Paulum et Barnabam diximus haberi velut supernumerarios, supra 12: 1.

15. *Καὶ ὁ λαλῶν μετ' ἐμοῦ, et qui loquebatur mecum*] Angelus.

Εἶχε μέτρον κάλαμον χρυσοῦν, habebat mensuram perticam auream] Est appositio. Sensus: Habebat perticam auream, quae erat mensorium instrumentum. Vide supra 11: 1, Ezech. 40: 3. Et praeterea κατάχρησις [*abusio*]. Pertica enim illa *calamus* dicitur, quia plerumque perticae erant ex arundine. Sic *pyxida auream* dicimus, cum πυξὶς sit proprie e buxo. *Aurea* autem erat illa pertica ut congrueret aedificio. Omnia praestantia.

Ἵνα μετρήσῃ τὴν πόλιν, ut metiretur civitatem] Supra 11: 2. Iohannes vetitus erat urbem Hierosolyma metiri, ut quae futura esset nulli bono usui: nunc mystica Hierosolyma, ut summi ac perpetui usus, metitur ipse Angelus, ut apud Zachariam 2: 2.

16. *Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, et Urbs in quadro posita est*] Sic Roma a Romulo condita quadrata. Ea figura perfectionem significat. Ita Simonides virum ad regulam exactum vocat χερσί τε καὶ ποσὶ νόῳ τε τετράγωνον [*manibus pedibusque et mente quadratum*], id ipsum interpretans ἄνευ ψόγου τετυγμένον [*sine vituperatione structum*] Meminere Plato Protagora, Aristoteles in Rhetoricis et in Nicomachiis. Sic in Ezechielis structura multa quadrata 41: 21, 42: 20, 43: 16, 17, 45: 2, 48: 16, 17, 20. Adde Iosephum de Altari, Belli Iudaici V. 14.

Καὶ

Καὶ τὸ μῆκος αὐτῆς ἴσον τὸ πλάτος, et longitudo eius tanta est quanta et latitudo] *Latitudo* capacitatem, *longitudo* durationem significat. Haec urbs omnes capit homines, et semper durabit. Vide Eph. 3: 18. Figuratum hoc in aedificio apud Ezechielem 48: 16.

Καὶ ἐμέτρησε πόλιν τῷ καλάμῳ ἐπὶ ςαδίους δώδεκα χιλιάδων δώδεκα, et mensus est civitatem calamo per stadia duodecim millia] Illud δώδεκα non repetitur in libris optimis, ut nec in Latino. Eousque se extendit illa urbs quousque duodecim Apostoli currere potuerunt. *Stadium* est mensura cursus 1 Cor. 9: 24. *Mille stadia*, id est, cursus immensus. Nam *mille* ponitur pro *infinito*.

Τὸ μῆκος καὶ τὸ πλάτος καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐςὶ, et longitudo et latitudo et altitudo eius aequalia sunt] Non idem dicit quod modo cum quadratam formam explicaret, sed aliud, nempe quaqua iret altitudinem et murorum et aedificiorum fuisse aequalem, sicut de longitudine et latitudine dictum fuerat. Haec aequalitas significat omnes Christianos in negotio religionis dignitate esse pares. Nam per *altitudinem* significari dignitatem diximus ad illum locum Eph. 3: 18.

17. *Καὶ ἐμέτρησε τὸ τεῖχος αὐτῆς, et mensus est murum eius*] Muri altitudinem.

Ἑκατὸν τεσσαράκοντα τεσσάρων πηχῶν, centum quadraginta quatuor cubitorum] Id est, duodecies duodecim. Magna hic fuit Apostolorum dignitas: at immenso maior erit in altero seculo quorumvis Christianorum. Eam illi iam velut praesentem animo possident.

Μέτρον ἀνθρώπου, ὅ ἐςιν ἀγγέλου, mensura hominis, quae est Angeli] Sensus est: Illa pertica tanta erat quanta erat statura formae humanae, in qua Angelus apparebat; ac proinde ad eum modum etiam cubiti. Ea significabatur homines aliquando fore ἰσαγγέλους [*aequales Angelis*], Luc. 20: 36. Angeli *viri* vocantur ubi virili specie apparent, Gen. 18: 2, Iud. 13: 6, 8, 10, 11.

18. *Καὶ ἦν ἡ ἐνδόμησις τοῦ τείχους αὐτῆς ἴασπις, et erat structura muri eius ex lapide iaspide*] Id est, invictum opus. Vide supra 2 et 4: 3. In Orphicis de iaspide:

Ἐν δέ σοι ἀντίπολον κεῖται μένος.
[*Invictum est in te robur.*]

Est

Est et hic *κατάχρησις* [*translatio*] facta a domo ad urbem. Talis illa:

Equum divina Palladis arte
Aedificant.

Καὶ ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν ὅμοιον ὑέλῳ καθαρῷ, ipsa vero Urbs aurum mundum, simile vitro mundo] Color quidem auri, sed ipsa materia transparens ad modum vitri. Id significat excellentiam Ecclesiae Deo soli perfecte cognitae. Vide supra 4: 6, 15: 2, et adde Maimonidem Doctore dubitantium II. 30.

19. *Καὶ οἱ θεμέλιοι τοῦ τείχους τῆς πόλεως παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι, et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata*] Illud *παντὶ* explicandum ex sequentibus, ut intelligantur genera lapidum pretiosissima. Non est dubium quin in Templis quibusdam et Palatiis evenerit ut ex lapide admodum pretioso essent fundamenta. Vide Esai. 28: 16, 54: 11, ubi dicta vide, et ad Tob. 13: 21. Id hic applicatur *μυστικῶς* [*sub figura*] ad significandas Apostolorum virtutes eximias. Sic lapides pretiosos in terra coelesti ponit Plato in Phaedone.

Ὁ θεμέλιος ὁ πρῶτος, ἴασπις, fundamentum primum, iaspis] Pleraque haec lapidum nomina habes Exod: 28: 17—20 et 39: 10 et seqq., et apud Iosephum III. 8. in pectorali Pontificio: quaedam et Ezech. 28: 13, in ornamentis Regis Tyrii. Iaspis est ישפה Exod. 28: 18, 39: 11. In Ezechiele plura sunt nomina in Graeco quam in Hebraeo, nec ordo idem; ita ut inde sciri non possit quod nomen cui respondeat. Apud Chaldaeum interpretem Cant. 5: 14 duodecim gemmarum nomina duodecim tribubus aptantur, eadem quae hic, nisi quod ibi pro *Chrysopraso Achates* ponitur, pro *Hyacintho Ligyrius*.

Ὁ δεύτερος, σάπφειρος, secundum, sapphirus] Nomen idem in Hebraeo ספיר, quod habemus et Iob. 28: 6, 16, Cant. 5: 15, Esai. 54: 11, Lam. 4: 7, Ezech. 1: 26, 10: 1, 28: 13. Sapphirus coelo concolor significat omnes cogitationes Apostolorum fuisse coelestes. Coelo concolorem sapphirum dicunt Hieronymus et Theodoretus; ideo eum gestabant Aegyptiorum Sacerdotes.

Ὁ τρίτος, χαλκηδὼν, tertium, chalcedonius] Respondet *ἄνθρακι* [*carbunculo*] in Exodo. Est enim species *ἄνθρακος*

νος quae reperiri solebat apud Chalcedonem: unde *Chalcedonium* hic dixit Latinus. Nec abludit a *Chalcedone* vox כרכר Esai. 54: 12 et Ezech. 27: 16. In Hebraeo Exodi est נפך. Significabat hic lapis ardentem zelum Apostolorum pro domo Dei. Vide Ioh. 2: 17.

Ὁ τέταρτος, σμάραγδος, quartum, smaragdus] ברק a *coruscando* Hebraeis. Is suavitatem morum significat. Smaragdus enim adspectu iucundissimus. Vide supra 4: 3.

20. *Ὁ πέμπτος, σαρδόνυξ, quintum, sardonyx*] Est onychii species: unde respondet *ὀνυχίῳ* in Exodo, ubi in Hebraeo ישפה: quanquam huius vocis Hebraeae sonus propius ad iaspidem accedit. Sardonyx triplicem habet colorem. Sic Apostoli varios exhibebant sermonum colores pro audientium animis, 1 Cor. 3: 1, Hebr. 5: 13, 1 Ioh. 2: 12 et seqq.

Ὁ ἕκτος, σάρδιος, sextum, sardius] אדם Hebraeis a *sanguinis* colore. Rubram esse in India gemmam hanc dicit Plinius. Significat promptitudinem Apostolorum ad testimonium suum sanguine obsignandum.

Ὁ ἕβδομος, χρυσόλιθος, septimum, chrysolithus] Hebraice תרשיש, quia trans Oceanum petebatur ab Hispania, ut Plinius [illegible] docet. Significat is, nihil Apostolis invium fore

[illegible] *ὄγδ[illegible] βήρυλλος, octavum, beryllus*] Sic in Exodo vertitur [illegible], ubi et Rabbini אל בריל cum Arabico articulo. At שהם A[illegible]bus *audaciam* significat: crediturque beryllus gestan[illegible]bus animos addere. Significatur ergo Apostolorum erectus semper animus.

Ὁ ἔννατος, τοπάζιον, nonum, topazius] פטדה non in Exodo tantum, sed et Iob. 28: 19. Color erat quasi recentis olei, ut Alexander Polyhistor et Agatharchides prodidere. Id significat vim sanatricem in Apostolis. Dicitur specialiter ea gemma mederi oculis: et Apostoli animarum caligini remedium attulere.

Ὁ δέκατος, χρυσόπρασος, decimum, chrysoprasus] Non reperitur hoc nomen in Graecis Veteris Testamenti. Est austeri coloris, ac proinde severitatem Apostolorum contra peccatores significat.

Ὁ ἑνδέκατος, ὑάκινθος, undecimum, hyacinthus] Ne hoc quidem nomen est in Graecis Interpretibus. Sunt qui לשם pu-

putant ei respondere. Id vero *λιγύριον* vertitur. Ideoque *Hyacinthum* et *Ligyrium* idem putat esse Hieronymus Epist. 129. Sunt Hyacinthi optimi *coloris aerii*, ut hic notat Arethas: et Philo *hyacinthinum colorem* exponit *aerium*. Quare recte is significat Apostolorum animum patientem omnium tempestatum quas Mundus in eos excitabat.

Ὁ δωδέκατος, ἀμέθυσος, duodecimum, amethystus] Nomine ipso significat sobrietatem, et ex simili omne temperantiae genus. Hebraice אחלמה. Significationibus quas diximus non absurdum est addere, per hos lapides et gemmas simul adumbrari diversitatem terrarum unde isti lapides veniunt, et ubi Apostoli virtutum suarum dedere specimen. Errant vero qui a singulis Apostolis singulos articulos ad Symbolum collatos putant. In Symbolis enim vetustissimis non sunt tot articuli.

21. *Καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες δώδεκα μαργαρῖται· ἀνὰ εἷς ἕκαςος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου, et duodecim portae duodecim margaritae sunt, et singulae portae erant ex singulis margaritis*] *Margaritae* proprie sunt uniones in conchis nascentes. Sed non dubitandum quin hic per *κατάχρησιν* [*abusionem*] *marmor* intelligatur candens ad modum margaritarum, quod אקדח Esai. 54: 12. Nec aliter puto sumi מרגלית a Rabbinis ad Ps. 87: 1. Sic lapides nigri vocantur sub *stibii* nomine Esai. 54: 11. *Marmoris Parii* mentio 1 Par. 29: 2. Vide et Esai. 54: 12. Significatur hic puritas quae d[illegible] fuisse in Vetere Testamento, at non is virtutum splendor qu in Novo. Vide supra 12. *Ἀνὰ εἷς, singuli.* Est enim *ἀνὰ* distributivum, ut Matth. 20: 9, 10, Marc. 6: 40, 7: 31, Luc. 9: 3, 14, 10: 1, Ioh. 2: 6.

Καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως, χρυσίον καθαρὸν, et platea urbis, aurum mundum] *Πλατεῖαν* hic et infra 22: 2 vocat *forum urbis*, ut 2 Par. 32: 6, Iob. 29: 7 et alibi. Per *forum* autem intelligendi conventus Christianorum. Ii conventus erant incorrupti, ut *aurum depuratum*.

Ὡς ὕελος διαυγὴς, tanquam vitrum perlucidum] Altera comparatio. Vivunt semper ut in Dei conspectu. Vide supra 18.

22.

22. *Καὶ ναὸν οὐκ εἶδον ἐν αὐτῇ, et templum non vidi in ea*] Non unum vidi locum orationibus destinatum, ut in veteribus Hierosolymis, nullam sanguinis effusionem. Christiani loca suorum conventuum non vocabant *templa*. Vide quae dicta ad Act. 7: 48.

Ὁ γὰρ κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ναὸς αὐτῆς ἐςὶ καὶ τὸ ἀρνίον, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus] Ubicunque est Deus et Christus, ibi Templum spirituale, Ioh. 4: 23, 1 Cor. 1: 2, 4: 17, Phil. 4: 6.

23. *Καὶ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει ἡλίου οὐδὲ τῆς σελήνης, neque urbs opus habet sole vel luna*] Nimirum quia lux eius non externa sed interna est, pertinet ad τὸν ἔσω ἄνθρωπον [*internum hominem*]. *Non opus habet*, nempe ad suum cultum. Semper Deo servit, non ad Aequinoctia aut novas Lunas.

Ἵνα φαίνωσιν ἐν αὐτῇ, ut luceant in ea] Ut aut sol aut luna tempora cultus indicant. In Manuscripto ἵνα φαίνωσιν αὐτῇ [*ut luceant ei*].

Ἡ γὰρ δόξα Θεοῦ ἐφώτισεν ἐν αὐτῇ, nam gloria Dei illuminavit eam] Ἀόριςος pro omni tempore. Ἐφώτισε pro φωτίζει [*illuminat*]. Δόξα Θεοῦ כבוד, τὸ νοητὸν φῶς [*lux intelligibilis*] et πανανγεια [*lux ex omni parte lucens*] Philoni de Mundi fabrica. Vide supra 2 et ibi dicta. Sumpta verba ex Esai. 60: 19. Sed hic in sensu subliminiore. Deus Ecclesiam docebit per Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum et alios. Et allusio est ad primam creationem, ubi lux fuit pro sole.

Καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον, et lucerna eius est agnus] Id est, Christus erit vice lunae, ut Deus vice solis. Lunae lux dicitur נגה [*splendor*] Esai. 60: 19, ut et stellarum. Id minus est quam אור [*lux*] Abac. 3: 4. *Lucerna* lucet lumine aliunde accepto. Duae hae luces, altera pro sole, altera pro luna, Iohanni visae sunt procedere ex soliis regalibus, quae erant in media urbe, infra 22: 1.

24. *Καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη διὰ τοῦ φωτὸς αὐτῆς, et ambulabunt gentes in lumine eius*] Ex Esai. 60: 3, ubi priore sensu agitur de statu Hierosolymorum felice post reditum ex Babylonia. Sed adumbratur id quod hic apertius describitur. *Διὰ τοῦ φωτὸς* idem quod apud Esaiam

 in

in Graeco τῷ φωτί σου. Gentes plurimae ab Ecclesia ea quae erat in imperio Romano recta edocebuntur, ut Indi, Aethiopes, Persae, Abasgi, Colchi, Iberi.

Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς φέρουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν αὐτῶν εἰς αὐτήν, et reges terrae adferent gloriam suam et honorem in illam] Egregie dictum. Sensus depromptus ex Esai. 49: 23, 60: 10, 16. Agitur ibi de auxilio quod Reges tulere Iudaeis et de donis quae miserunt in Templum secundum. At quanto haec impleta magnificentius, cum Imperatores Romani non modo in Ecclesiam venere cum omni sua maiestate, sed et disciplinae eius se submisere, ut Theodosius Magnus.

25. *Καὶ οἱ πυλῶνες αὐτῆς οὐ μὴ κλεισθῶσιν ἡμέρας, nec portae eius claudentur per diem*] *Diem* hic sume pro spatio horarum viginti et quatuor. Semper eo patebit auditus. Pro eodem Esaias dixit *die et nocte*, 60: 2.

Νὺξ γὰρ οὐκ ἔςαι ἐκεῖ, nox enim non erit illic] Nocte solent claudi urbium portae: in hac urbe nunquam nox est: lux enim est perpetua a Deo et Christo. Philo de coelo loquens in Vita Iosephi: *Εὑρήσει τὸν οὐρανὸν ἡμέραν αἰώνιον νυκτὸς καὶ πάσης σκιᾶς ἀμέτοχον, ἅτε περιλαμπόμενον ἀσβέςοις καὶ ἀκράτοις ἀδιαςάτως φέγγεσιν [Inveniet coelum esse diem sempiternum umbrae et noctis expertem, quippe illustratum inextinguibilibus purissimisque splendoribus]*.

26. *Καὶ οἴσουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῶν ἐθνῶν εἰς αὐτήν, et adferent gloriam et honorem gentium in illam*] Sensus intelligendus ex obliquo. Idem enim est quasi dixisset, *καὶ τὰ ἔθνη οἴσουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν αὐτῶν εἰς αὐτὴν [et gentes adferent gloriam et honorem suum in illam]*, eo loquendi genere quod iam habuimus 24. Et per *honorem et gloriam* intellige opes honoris causa datas. Par locutio Esai. 61: 6, 66: 12. Sensus hic idem qui mystice latet apud eundem Esaiam 60: 5 ac seqq.

27. *Καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινὸν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος, neque intrabit in eam aliquod inquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium*] Illud οὐ μὴ εἰσέλθῃ est modi δυνητικοῦ [*potentialis*]. *Non possunt intrare flagitiosi*, qui nempe tales manent. Arcentur enim per stipulationes Baptismi. Est hic applicatio mys-

mystica verborum Esai. 52: 1 et 60: 18 et seqq. Origenes Celso obiicienti, ad Christianorum τελετὰς [*sacra arcana*] admitti malae vitae homines, respondet, tales adduci ad poenitentiam; ubi poenitentiam testantur, ad τελετάς. Deinde κοινὸν et ποιοῦν sunt neutra pro masculinis sive communibus. Frequens hoc Iohanni, ut in Euangelio 6: 37, 38, collato loco ibidem 40. Sic et 1 Cor. 2: 27, 28, cum dicit πᾶν κοινὸν, explicat id quod latet sub interdicto legali de Animalibus immundis. Nam sus denotat foede viventes; aves carnivorae, raptores; ut cognosci potest ex Barnabae Epistola et iis quae diximus ad Act. 10: 14. Ποιοῦν βδέλυγμα eos denotat *qui idololatriam exercent*. Nam βδέλυγμα שקץ modo est *idolum*, modo *actus idololatrici*. Per ποιοῦν ψεῦδος intellige eos qui in pactis et contractibus iniusti sunt. Vide supra 8 et ibi dicta. Ποιεῖν ψεῦδος habes et infra 22: 15 et Ier. 8: 10. Id ἐργάζεσθαι ψεύδη Os. 7: 1.

Εἰ μὴ, nisi] Non est hoc excipientis hoc loco, sed adversantis, ut supra 9: 4.

Οἱ γεγραμμένοι ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου]. *Qui ei vitae adscripti sunt quam iam vivit Agnus.* Vide supra 3: 5, 13: 8, 17: 8, 20: 12, 15.

CAPUT XXII.

1. *Καὶ ἔδειξέ μοι ποταμὸν καθαρὸν ὕδατος ζωῆς, et ostendit mihi flumen purum aquae vivae*] Haec avelli a superioribus non debuere: cohaerent enim. Significatur autem hic Baptisterium, quod eis temporibus quae hic designantur esse solebat in area ante Basilicas, ut ex Eusebio in Vita Constantini, et aliis diximus. Vocatur ποταμὸς, quia fons perennis influebat in Baptisterium. Omnis autem aqua profluens ποταμὸς Hebraeis Graece loquentibus, Ezech. 47: 5, Prov. 18: 4. Vide quae diximus ad Gen. 2: 10 et ad Ioh. 7: 38. Sic et *fluminum* vocem usurpant Iurisconsulti. *Purum* dicitur hoc *flumen*, quia puritatem vitae promittit is qui baptizandus est 1 Petr. 3: 21. *Aquae vivae*, quia ducit ad vitam aeternam, Marc. 16: 16, Hermas III. 9. *Aqua est in*

quam descendunt homines morti obligati, adscendunt vero vitae assignati. Tam autem in *flumine* quam in *arbore* allusio est ad primam creationem, cui secunda praefertur.

Λαμπρὸν ὡς κρύσαλλον, splendidum tanquam crystallum] Vide supra 4: 6.

Ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου, procedentem de sede Dei et agni] Hae sedes regiae duae apparebant in media Urbe, et significabant Ecclesiam a Deo et Christo regi. Haec solia sunt perpetua, non illud quod dicebatur esse in Sancto Sanctorum. *Fluere* autem inde dicitur aqua Baptismi, quia institutio eius est a Deo per Christum. Similis ἔννοια [*sententia*] Sir. 1: 6—8.

2. *Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, in media platea eius*] Id est, in medio loco conventus, ut supra diximus 11: 8, 21: 21.

Καὶ τοῦ ποταμοῦ ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, et ex utraque parte fluminis] Haec eo modo connectenda sunt. Et significatur utraque margo Baptisterii. In Manuscripto est ἐντεῦθεν καὶ ἐκεῖθεν [*hinc et illinc*], non male: sed altera illa locutio reperitur in huius Apostoli Euangelio 19: 18. Est autem in his sequentibus allusio ad Psalmum primum.

Ξύλον ζωῆς, lignum vitae] Crux Christi, causa nobis optimarum actionum. Sic Plato in terra coelesti arbores ponit. Et Philo in Mundi creatione *arborem vitae* exponit θεοσέβειαν [*pietatem*].

Ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕκασον ἀποδιδοῦν τὸν καρπὸν αὐτοῦ, ferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum] Fructifera est Crux, non ut aliae arbores, certo anni tempore, sed semper. Sumpta haec et sequentia ex Ezech. 47: 12, sed ibi plures arbores, hic una pluribus in locis: quia omnes illae figurae unam Crucem referunt. Dici hic potest:

Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει
Χείματος οὐδὲ θέρους.
[*Quarum non aestate deest, nec tempore brumae*
Deficit aut moritur fructus.]

Ex

Ex hoc loco factum videtur ut Virtutum nomina quaedam addita sint in Latino Gal. 5: 22, ut Duodenarius fructuum numerus impleretur.

Καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν, et folia ligni ad sanitatem gentium] Sermo Crucis gentes convertit ad Deum, 1 Cor. 1: 18.

3. *Καὶ πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔςαι ἐκεῖ, neque ullum maledictum erit amplius*] *Κατάθεμα* habet et Manuscriptus et *καταθεματίζειν* [*detestari*] Matth. 26: 74, ut *Κατάθεμα τὸ συνθέσθαι τοῖς ἀναθεματίζουσι* [*Catathema est, iungere se anathematizantibus*], ait Scriptor Responsionum ad Orthodoxos. Sensus est, in Ecclesia non tolerari prolapsos in facinora talia qualia supra memorantur 21: 8. Est abstractum pro concreto, more Hebraeo. *Qui de disciplina recedunt, desinunt esse nostri*, ait Tertullianus.

Καὶ ὁ θρόνος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου ἐν αὐτῇ ἔςαι, et sedes Dei et Agni in illa erunt] Semper scilicet; non auferetur, ut alia imperia. Sensus mysticus loci Dan. 2: 44.

Καὶ οἱ δοῦλοι αὐτοῦ λατρεύσουσιν αὐτῷ, et servi eius servient illi] Nempe in illa urbe, id est, Ecclesia.

4. *Καὶ ὄψονται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, et videbunt faciem eius*] Sunt amici Dei, et quidem intimae admissionis, quos Deus consiliorum suorum participes facit. Futurum pro quovis tempore. De hac amicitia vide dicta ad Iac. 2: 23, Ioh. 15: 14, 15.

Καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, et nomen eius in frontibus eorum] Tam aperte Deum agnoscunt Dominum suum, quam servi qui nomen herile in fronte scriptum gerant. Erunt omnes Aaroni similes. Vide supra 14: 1.

5. *Καὶ νὺξ οὐκ ἔςαι ἐκεῖ, neque nox illic erit*] Repetit quod dixerat supra 21: 25. Sic Prophetae saepe. In Manuscripto pro *ἐκεῖ* est *ἔτι* [*ultra*], quomodo legit Latinus. Vide Rom. 13: 12, 1 Thess. 5: 5.

Καὶ χρείαν οὐκ ἔχουσι λύχνου καὶ φωτὸς ἡλίου, et opus non habent lumine lucernae neque lumine solis] *Καὶ* hic valet *ideo*. *Opus non habent*, nempe illi *Θεῷ λατρεύοντες*. Et *λύχνον* intellige lunam, aut, ubi luna silet, aliud quod eius sit vice; sicut,

Lamina noctivagae tollit pharus aemula Lunae.
In Manuscripto, *καὶ οὐκ ἔχουσι χρείαν φωτὸς λύχνου, καὶ φῶς ἡλίου*, eodem nomine diverse constructo. Utrumque enim recte dicitur, *Opus habeo hac re*, et, *Opus habeo hanc rem.*

Ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς φωτιεῖ αὐτοὺς, quoniam Dominus Deus illuminat illos] Supra 21: 24. *Φωτιεῖ*, יאר, praeclaros illis temporibus Doctores dabit. Vide Esai. 60: 1.

Καὶ βασιλεύσουσιν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et regnabunt in secula seculorum] Promissa habent futurae gloriae Regnique aeterni, 2 Tim. 2: 12; Rom. 5: 17.

6. *Καὶ λέγει μοι, Οὗτοι οἱ λόγοι πιστοὶ καὶ ἀληθινοὶ, et dicit mihi, Haec verba fidelissima sunt et vera*] Nempe quae dicta de splendore Ecclesiae sub Principibus Christianis. Similis affirmatio supra 19: 9. *Λέγει μοι*, nempe Angelus. Hic incipi debuit nova sectio.

Καὶ Κύριος ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων τῶν προφητῶν, et Dominus Deus spirituum Prophetarum] A quo omnia dona Prophetica ortum habent. Vide Hebr. 12: 9. *Κύριος* hic valet יהוה.

Ἀπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, misit Angelum suum] Nempe *tibi Iohanni*, ut supra.

Δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, ut ostendat servis suis quae oportet cito fieri] Et haec repetita ex huius libri initio. Ideo Angelum misit ut per te patefierent Christianis res illae magnae quae exstiturae sunt intra annos ducentos ferme et quinquaginta.

7. *Ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχὺ, ecce, venio brevi*] Hic subauditur *λέγων* [*dicens*], ut Esai. 42: 14, Ier. 4: 10, 6: 9, et alibi saepe apud Prophetas. *Dicens se brevi venturum. Venire* Deus dicitur cum magnum aliquid exsequitur. Vide supra 2: 16, maxime ubi pios liberat, Ps. 80: 2 et 101: 2.

Μακάριος ὁ τηρῶν τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου, beatus qui custodit verba prophetiae libri huius] Qui memori animo ista retinet, magnum inde solatium habiturus durante crucis tempore; supra 1: 3.

8. *Κἀγὼ Ἰωάννης ὁ ἀκούων καὶ βλέπων ταῦτα, et ego Iohannes qui audiens et videns haec*] Subauditur *sum*, ut saepe apud Hebraeos: et praesens pro praeterito proximo.

ximo. Iohannes saepe in operibus suis aut nomen aut descriptiones nominis vice pronominis ponit, ut Thucydides et Virgilius. Vide in Euangelio 19: 35, 21: 23.

Καὶ ὅτε ἤκουσα καὶ ἔβλεψα] *Ubi audivi* verba Angeli, *et vidi* formas omnes quas mihi monstravit.

Ἔπεσον προσκυνῆσαι ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν τοῦ ἀγγέλου τοῦ δεικνύοντός μοι ταῦτα, cedidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi haec ostendebat] Ut honore quem poteram summo afficerem nuntium rerum tantarum. Illud ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν construitur cum ἔπεσον, ut supra 19: 10. In Manuscripto est πρὸ ποδῶν.

9. *Καὶ λέγει μοι, Ὅρα μή· σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν προφητῶν τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου, τῷ Θεῷ προσκύνησον, et dicit mihi, Vide ne feceris: conservus enim tuus sum et fratrum tuorum Prophetarum eorum qui servant verba libri huius, Deum adora*] Eadem quae supra: nisi quod ibi deest τῶν προφητῶν, et pro τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου est τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ [*eorum qui habent testimonium Iesu*], *Prophetarum* nomen hic additur quia non omnibus hunc librum, extra ea quae sunt in Epistolis ad septem Ecclesias, commisit Iohannes, sed paucis quos et magna esse virtute et magnis a Deo donis praeditos sciebat.

10. *Καὶ λέγει μοι, et dicit mihi*] Sequitur hic dialogus inter Dominum Iesum et Iohannem, non appositis personarum nominibus, sed quae facile ex verbis subintelliguntur. Hic loqui incipit Iesus. Simile habes apud Esaiam 8, 27, 48, Ieremiam 5, 8, 9, 15, 22, circa finem.

Μὴ σφραγίσῃς τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου, ne signaveris verba prophetiae libri huius] Id est, Ne includas librum in testa, ut Ieremias iussus est facere, 32: 14 et Dan. 8: 26, 12: 9.

Ὅτι ὁ καιρὸς ἐγγύς ἐστι, tempus enim prope est] Id est, Brevi multa evenient, ut de rebus Iudaicis, de Domitiano: ideoque in promptu esse debet liber, ut cum eventibus comparetur.

11. *Ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι· καὶ ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω ἔτι, qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est,*

sordescat adhuc] Est συγχώρησις [*concessio*], qualis illa;

I, sequere Italiam ventis. —

Nec caret illa sua vi. Significat enim neminem a Deo cogi. Vide hunc Apostolum in Euangelio 6: 67. Simul intellige Christianos offendi non debere si idololatrae saeviant. Illa καὶ ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω, aut, ut alii libri habent, καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι, absunt in Manuscripto. Videntur tamen retinenda, ut duplex sit ἀντίθετον [*oppositum*], iniustitiae cum iustitia, et sordium cum puritate. Et legit hanc particulam Cyprianus. *Sordium* autem nomine hic intellige vitia omnia extra *iniustitiam* specialiter sic dictam. Vide Iac. 1: 21.

Καὶ ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι, et qui iustus est, iustitiam faciat adhuc] Sic habet et Manuscriptus. Ποιεῖν δικαιοσύνην dixit hic Apostolus etiam 1 Epist. 2: 29, 3: 7. Alibi pro eodem est ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην, ut Act. 10: 35, Hebr. 11: 33, aut κατεργάζεσθαι, ut Iac. 1: 20.

Καὶ ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc] Id est, *sanctimoniam servet.* Sic ζωοποιεῖσθαι [*vivificari*] dicitur *qui in vita servatur.* Plerumque in Scriptura *iustitia* est initium, *sanctitas* profectus in maiora. Vide quae prelocuti sumus in Epistolam ad Romanos. Sicut quae modo hic praecesserant dicta sunt figurate κατὰ συγχώρησιν [*per concessionem*], ita haec seria et salutaria sunt monita.

12. *Ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχὺ, ecce, venio cito*] Nempe tum ad liberandos Christianos, tum ad puniendos idololatras. Quia enim omnium temporum Christiani unum corpus sunt, bona etiam posteriorum aetatum ad nunc viventes pertinent. Talia multa etiam apud Prophetas.

Καὶ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ] Id est, *Mecum fero mercedem.* Locutio ex Esai. 40: 10 et 42: 11.

Ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὸ ἔργον αὐτοῦ, ut reddam unicuique secundum opus suum] Ut et sanctos faciam illustres, et idololatras destruam.

13. *Ἐγὼ τὸ Ἀ καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ego sum Ἀ et Ω, principium et finis*] Id est, Implens promissa. Quod Deo tributum fuerat 1: 8 et 21: 6, hic Christo tribuitur, ut qui paternae fidelitatis genuina sit imago.

Apud

Apud Hermam Christus *petra vetus et porta nova*, 3: 9: Philo de Somniis: Ὁ λόγος Θεοῦ κεφαλὴ καὶ τέλος [*Verbum Dei principium et finis*]. Vide et 2 Cor: 1: 20.

Ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *primus et novissimus*]. Supra 1: 17. Ego dignitate summus ad infimam sortem redigi me sum passus: ne ergo vos durum vobis putetis quod mihi evenit. Liberatus ego sum et Ecclesia liberabitur.

14. *Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, beati qui faciunt mandata eius*] Iohannes hic loquitur sua lecturis. *Αὐτοῦ*, id est, Christi: de cuius praeceptis vide Matth. 5: 19, Ioh. 14: 15, 21, 15: 10, 1 Cor. 14: 37. Ita ut hic verba posuimus, legerunt et Arethas et Cyprianus. At in Manuscripto est, μακάριοι οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν [*beati qui lavant stolas suas*]; et sic legit Latinus, qui interpretandi causa addidit *in sanguine Agni* ex iis quae supra 7: 14, ubi dicta vide.

Ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, ut sit potestas eorum in lignum vitae] Ἵνα hic valet ὅτι, ut supra 14: 13. Ἐξουσία est *ius*, ut Ioh. 1: 12. Et est hic μετωνυμία [*transnominatio*]. Nam *ius in lignum vitae* dicitur, pro *iure ad vitam adipiscendam per lignum*, id est, per crucem. Vide supra 2: 7.

Καὶ τοῖς πυλῶσιν εἰσέλθωσιν εἰς τὴν πόλιν, et per portas intrent in urbem] Qui tales erunt Constantini temporibus et postea, ii videre poterunt splendorem Ecclesiae Patribus antiquis promissum, et eius esse participes. Vide supra 21: 12 et ibi dicta.

15. *Ἔξω οἱ κύνες, foris canes*] *Canes* hic vocantur qui supra ἐβδελυγμένοι [*exsecrati*] 21: 8. Sic Hebraei quidam exponunt id quod est Deut. 23: 18.

Καὶ οἱ φαρμακοὶ καὶ οἱ πόρνοι καὶ οἱ φονεῖς καὶ οἱ εἰδωλολάτραι καὶ πᾶς ὁ φιλῶν καὶ ποιῶν ψεῦδος, et venefici et impudici et homicidae et idolis servientes et omnis qui amat et facit mendacium] Repetitum ex iis quae supra 21: 8, nisi quod ibi καὶ πᾶσι τοῖς ψευδέσι [*et omnibus mendacibus*]; pro quo ποιῶν ψεῦδος 21: 27. Tales qui sunt aut ad Baptismum non admittuntur, aut si ante admissi sunt, excluduntur ab Ecclesia. Videantur ea de re Canones tum Synodorum Universalium, tum Particularium quae ab Universalibus sunt approbatae.

16.

16. Ἐγὼ Ἰησοῦς ἔπεμψα τὸν ἄγγελόν μου μαρτυρῆσαι ὑμῖν ταῦτα ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις, *ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis haec Ecclesiis*] Hic rursum Iesus loquitur. *Vobis*, id est, Iohanni, et per Iohannem viris eximiis. Ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις, id est, *Ecclesiarum bono*. Sic ἐφ' ᾧ, id est, *quamobrem*, Matth. 26: 50. In Manuscripto est, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.

Ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ, *ego sum radix et genus Davidis*] Hic καὶ est ἐξηγητικὸν [*explicativum*]. Per *radicem* enim surculus intelligitur, per *surculum* progenies. Vide supra 5: 5. Quid mirum est si Reges ego subigam? Facio rem avitam. Fecit hoc David in Syris, Idumaeis, Moabitis. *Filium Davidis* notatio Messiae, Matth. 1: 1, 9: 27, 12: 23, Luc. 1: 32 et alibi.

Ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ὁ πρωϊνός, *stella splendida matutina*] Sicut Luciferi sidus diem promittit, ita ego splendorem illum eventurum Ecclesiae. De voce πρωϊνὸς vide supra 2: 28. Similitudines ab iisdem rebus sumuntur, modo hae, modo illae.

17. Καὶ τὸ πνεῦμα, *et spiritus*] Id est, Viri propheticis donis clari. Vide supra 6. Est abstractum rursus pro concreto. *Spiritus* pro *habentibus spiritum*. Hic rursus Iohannes loquitur.

Καὶ ἡ νύμφη, *et sponsa*] Caeteri ad Ecclesiam pertinentes.

Λέγουσιν, Ἔρχου, *dicunt, Veni*] Quasi dicunt, *Illa dies propera*, cum non amplius dicemur lucifugae, cum non amplius de stupris et infantibus occisis accusabimur. Videtur λέγουσιν positum pro λέγωσιν [*dicant*], ob sequentia.

Καὶ ὁ ἀκούων εἰπάτω, Ἔρχου, *et qui audit dicat, Veni*] Excitat Iohannes omnes qui per alios haec intelligent, ut precibus faveant. Vide supra 1: 3.

Καὶ ὁ διψῶν ἐρχέσθω, *et qui sitit, veniat*] Qui rerum futurarum cognitionem appetit.

Ὁ θέλων λαβέτω ὕδωρ ζωῆς δωρεάν, *et qui vult accipiat aquam vitae gratis*] Sicut aqua perennis in aestu reficit viatorem, ita haec Prophetia aestuantes sub adversis.

Quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

Ad-

Adde Epigrammata Graeca de fontibus in via, et Ps. 36: 8, 9 et Esai. 32: 2, 49: 10. *Gratis* dicit, quia nec ipse Apostolus quicquam pro hoc beneficio postulat, nec illi quibus hunc librum commendaverat erant postulaturi. Vide Matth. 10: 8. Respicitur locus Esai. 55: 1.

18. *Μαρτυρῶ ἐγὼ παντὶ ἀκούοντι, obtestor ego omnem audientem*] Addit Apostolus gravem obtestationem ad eos qui haec audient, ne ea aliqua ex parte immutent. Par ista cautio apud Irenaeum: *Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃ ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς κατὰ τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ* [*Adiuro te, quicunque hunc librum describes, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per gloriosum eius adventum, quo vivos et mortuos iudicatum veniet, ut quod descripseris cum hoc exemplari, e quo descripseris, conferas, atque emendes ex eo diligenter, atque ut hoc quoque iuramentum in descripto tuo adscribas*]. Eandem formulam transcripsit in Chronicon suum Eusebius, et ex eo Latine Hieronymus. Similem habes apud Ruffinum praefatione in libros Origenis a se versos, et apud Valentem Antiochenum. Non de nihilo fuisse hanc curam ostendit Marcionis et aliorum improbitas, qui tota loca Novi Tectamenti falsarunt.

Ἐάν τις ἐπιθῇ ἐπ' αὐτά] *Si quis addiderit* ad hunc Apocalypseos librum.

Ἐπιθήσαι ἐπ' αὐτὸν ὁ Θεὸς τὰς ἑπτὰ πληγὰς τὰς γεγραμμένας ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ, addat Deus illi septem plagas scriptas in libro hoc] Elegans allusio in ἐπιθῇ et ἐπιθήσαι. Illud ἑπτὰ multi Codices Graeci non habent, ut nec Latinus. Intelligendae autem plagae tum quae sunt capitibus octavo, nono, decimo et undecimo, tum quae capitibus 16, 17, 18, quarum illae Iudaeos, hae Romanum imperium tangunt. Est ἐπιθήσαι imprecantis, sed non iniuste, terrendi causa. At in Manuscripto est praedictionis modo ἐπιθήσει, et mox ἀφελεῖ, et sic legit Latinus, et ita citantur verba apud Aretham. Vide quae diximus ad 2 Tim. 4: 14.

19. *Καὶ ἐάν τις ἀφέλῃ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ βιβλίου τῆς προφητείας ταύτης, ἀφέλοι ὁ Θεὸς τὸ μέρος αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, et si quis abstulerit de verbis libri prophetiae huius, auferat Deus partem eius de ligno vitae*] Faciat aut faciet Deus ne is particeps sit beneficiorum quae crux Christi nobis peperit.

Καὶ ἐκ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας, et de urbe sancta] Faciat ne sit ille civis Ecclesiae. Eiiciatur tanquam *ποιῶν ψεῦδος* [*faciens mendacium*].

Καὶ τῶν γεγραμμένων ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ, et de iis quae scripta sunt in libro hoc] Hoc refer tum ad *lignum* tum ad *urbem*.

20. *Λέγει ὁ μαρτυρῶν τοῦτο, dicit qui testimonium perhibet istorum*] Iesus, qui omnia Angelorum dicta suo postremo dicto confirmavit.

Ναὶ, ἔρχομαι ταχὺ, etiam, venio brevi] Brevi haec implebo.

Ἀμὴν, ναὶ, ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ, Amen, etiam, veni Domine Iesu]. *Ἀμὴν* Iohannes respondet. Idem est *ἀμὴν* et *ναί*. Scribens et Iudaeis et Graecis idem vocibus duarum linguarum expressit, ut et supra 1: 7. Tale est *Ἀββᾶ ὁ πατὴρ* [*Abba Pater*], *Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος* [*Thomas qui dicitur Didymus*]. Attamen non tacebo *ναὶ* deesse in Manuscripto, ut et in Latino. *Ἔρχου*, supple ex antecedente *ταχὺ*, *Fac hoc quam primum*.

21. *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων. Ἀμήν. Gratia Domini Iesu Christi cum omnibus Sanctis. Amen*] In Manuscripto nihil aliud est quam *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ μετὰ πάντων*. Subauditur autem *ὑμῖν*, *vobis*, quod adiecit Latinus. Sic Paulus Rom. 16: 24 et alibi. *Omnes* intelligit tum qui legent hae, tum qui aliis enarrantibus audient.







